INSTITUTIONES

POSITIVO-SCHOLASTICÆ

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

WITHDRAWN

I. M. I.

INSTITUTIONES

POSITIVO-SCHOLASTICÆ

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

FRIDERICO SALA

EPISC. FAMAG.

TOMUS II.

DE DEO UNO ET TRINO — DE DEO CREATORE

Qui integri operis editionem *quintam*, ipsi cooperans desideratissimo Auctori, iam curaveram, præsentis tomi *sextam* fideliter expolivi

SAC. OBL. PETRUS MOZZANICA

PHILOS. AC THEOL. DOCTOR

IN SEM. MEDIOLAN. DOGMATICÆ SPECIALIS PROFESSOR

230
S159i
v. 2

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

MODOËTIÆ

EX TYPOGRAPHIA « ARTIGIANELLI » F. M. I.

1910

Mediolani 23 Octob. 1910.

Nihil obstat, quominus imprimatur.

Sac. Doct. BALCONI FRANC. Arch., *Cens. Eccl.*

IMPRIMATUR

in Curia Arch. Mediolani die 25 Octobris 1910.

Can. IOANNES ROSSI, *Vic. Gen.*

JURA PROPRIETATIS RESERVANTUR

INDEX

Tractatus I. — *DE DEO UNO IN NATURA* . . . . *Pag.* 1

Pars Prior. — DE DEI EXISTENTIA ET ESSENTIA . . . » 1
CAPUT I. — De Dei existentia. . . . . » 2
Thesis 1. — Dei existentia e rebus creatis naturaliter cognoscibilis. » 5
Corollar. I. — Dei existentia potest etiam scientifice demonstrari a posteriori . . . . . » 13
Obiectiones . . . . . » 14
— *II.* — Error Traditionalismi iure meritoque damnatus fuit . » 16
— *III.* — Non datur invincibilis ignorantia de existentia Dei . » 16
— *IV.* — Multi theologi affirmant fieri posse ut veritas existentiæ Dei, naturaliter cognita, fide teneri nequeat . » 17
Thesis 2. — Deum esse non constat neque ex intuitione Dei, neque ex idea innata, neque a priori, neque quasi a priori » 18
Corollar. — Deum esse est notum quoad se, non quoad nos . . » 22
Thesis 3. — Existentia Dei comprobatur argumentis rationis a posteriori . . . . . » 22
Obiectiones . . . . . » 24-27
CAPUT II. — De Dei essentia . . . . . » 31
Thesis 4. — Nostra cognitio analogica divinæ essentiæ . . . » 33
Corollar. I. — Multiplices notiones Dei . . . . . » 40
— *II.* — Quæ habent diversam significationem . . . . » 40
— *III.* — Non ideo falsa nostra Dei cognitio . . . . » 41
— *IV.* — Quod prius ordine logico, posterius est ordine ontologico » 42
Scholia I. — Absurda sensibilis visio Dei . . . . . » 42
— *II.* — Intellectualis visio Dei intuitiva naturaliter impossibilis » 42
— *III.* — Visio Dei comprehensiva etiam beatis impossibilis . » 43
Thesis 5. — Essentia Dei, quod est *ipsum esse subsistens* . . » 43
Obiectiones . . . . . » 47
— 6. — Discrimen infinitum inter ens divinum et ens universale » 51
Corollar. — Pantheismus corruit . . . . . » 54
Thesis 7. — Deus numerice unus . . . . . » 58

Pars Altera. — DE ATTRIBUTIS DIVINIS . . . . . » 60
CAPUT I. — De attributis divinam unitatem consequentibus . » 63
Thesis 8. — Deus est absolute simplex . . . . . » 67
Obiectiones . . . . . » 70

Scholion	— De distinctione virtuali in Deo	*Pag.*	71
	Obiectiones	»	73
Thesis 9.	— Deus, Isque solus, immutabilis	»	74
	Obiectiones	»	75
— 10.	— Solus Deus est æternus	»	77
Scholion	— Quomodo temporaria coëxistant æternitati . . .	»	80
Thesis 11.	— Deus immensus et ubique præsens	»	81
Scholion.	— De omnipræsentia Dei per essentiam, præsentiam, potentiam	»	83
CAPUT II.	— De scientia divina	»	85
Thesis 12.	— Deus suam essentiam comprehendit et in ea omne verum	»	88
	Obiectiones	»	92
Corollar. I.	— De secundariis obiectis divinæ scientiæ singillatim .	»	93
— *II.*	— De modo quo Deus cognoscit secundaria obiecta .	»	97
	Obiectiones	97 et	102
Scholion.	— Deus est ipsa Veritas	»	103
CAPUT III.	— De Dei voluntate	»	104
	Obiectiones	»	105
Thesis 15.	— Deus vult omnes homines salvos fieri	»	116
	Obiectiones	»	119
Corollar.	— Etiam infantes vult salvos	»	120
Thesis 16.	— Nemo sive *positive* sive *negative* a Deo reprobatur, ante prævisa peccata	»	121
Thesis 17.	— Dona Dei eo ordine prædestinantur, quo conferuntur .	»	125
Corollar. I.	— Prædestinatio ad gratiam tantum, ante prævisa merita	»	129
— *II.*	— Prædestinatio ad gloriam tantum, post prævisa merita	»	130
— *III.*	— Prædestinatio ad gratiam et gloriam simul, ante prævisa merita	»	131
— *IV.*	— Donum Dei prædestinatio; culpa hominis reprobatio .	»	132
Corollar.	— Deus est ipsa summa et prima Bonitas	»	134
CAPUT IV.	— De omnipotentia Dei	»	136
Thesis 18.	— Deus est omnipotens, seu omnia facere potest . .	»	139
Scholion.	— Deus omnipotens, quatenus in omnia dominatur . .	»	142

Tractatus II. — *DE DEO TRINO IN PERSONIS* . . . » 145

CAPUT I.	— De prævio conceptu SS. Trinitatis	»	146
§ I.	— De notione personæ in divinis	»	146
» II.	— Quomodo concipiatur una divina essentia in tribus personis	»	149
» III.	— De erroribus circa Trinitatem	»	152
CAPUT II.	— De veritate mysterii SS. Trinitatis	»	153
Thesis 19.	— Ea probatur ex complexu doctrinæ Scripturarum .	»	154
Scholion.	— SS. Trinitas in Veteris Testamenti libris . . .	»	159
Thesis 20.	— Idem mysterium ex formula baptismi et textu Ioannis in 1ª Ep. v, 7	»	161
Scholion.	— Genuinitas et interpretatio illius textus Ioannis . .	»	164

Obiectiones . . . . . *Pag.* 167
THESIS 21. — SS. Trinitas ex Patribus sive nicænis sive antenicænis » 168
Obiectiones . . . . . » 173
THESIS 22. — Mysterium hoc supra, non contra rationem. . . » 174
Obiectiones 177-179
CAPUT III. — DE PROCESSIONIBUS DIVINIS . . . . . » 180
THESIS 23. — Filius a Patre *generatur* . . . . . » 181
Obiectiones . . . . . » 184
THESIS 24. — Spiritus Sanctus non generatur, sed procedit a Patre Filioque simul . . . . . » 185
Obiectiones . . . . . » 190
Corollar. — De additione *filioque* adversus Græcos . . . . » 191
THESIS 25. — Filius per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem procedit . . . . . » 192
Corollar. I. — Imago Trinitatis in spiritu creato. . . . . » 194
— *II.* — Duæ tantum processiones . . . . . » 196
— *III.* — Processio Spiritus Sancti non est generatio . . » 196
Scholion. — Quorum obiectorum intellectione et dilectione Verbum et Spiritus Sanctus procedant . . . . » 197
CAPUT IV. — DE ILLUSTRATIONE CONCEPTUS SS. TRINITATIS. . . » 200
§ I. — De relationibus divinis . . . . . » 200
» II. — De notionibus divinis . . . . . » 202
» III. — De circuminsessione . . . . . » 202
» IV. — De missione personarum . . . . . » 204
» V. — De communitate et appropriatione in divinis . . » 205

Tractatus III. — *DE DEO CREATORE* . . . . . » 207

Pars Prior. — DE DEO CREANTE NATURAM . . . . . » 207
CAPUT I. — DE RERUM CREATIONE GENERATIM . . . . . » 208
THESIS 26. — Deus omnia libere creavit, ad suam gloriam externam » 209
Obiectiones . . . . . » 214
Scholia I. — Natura actionis creativæ . . . . . » 218
— *II.* — Causa creationis efficiens . . . . . » 220
— *III.* — Causa exemplaris . . . . . » 221
— *IV.* — Tempus creationis . . . . . » 222
— *V.* — Data della creazione . . . . . » 223
— *VI.* — Modus et ordo creationis . . . . . » 224
— *VII.* — De rerum conservatione . . . . . » 229
— *VIII.* — De providentia divina . . . . . » 230
CAPUT II. — DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM . . . . » 231
THESIS 27. — Angeli existunt . . . . . » 232
Scholia I. — Quando angeli creati . . . . . » 233
— *II.* — Angelorum numerus . . . . . » 234
THESIS 28. — Angelica natura humanâ præstantior et pure spiritualis » 234
Scholia I. — Angelorum locus . . . . . » 238
— *II.* — Cognitio. . . . . » 240

Scholia III. — Locutio . . . . . *Pag.* 242
— *IV.* — Potentia ad actus externos . . . . . » 243
CAPUT III. — De humana natura . . . . . » 243
Thesis 29. — Anima rationalis forma substantialis corporis humani » 244
Corollar. — Ita quidem, ut det ei *ipsum esse corporis* . . . » 250
Scholia I. — De hominis origine quoad corpus. — Unitas et antiquitas g. h. . . . . » 252
— *II.* — De origine animæ humanæ . . . . . » 263
Corollar. — De differentia animarum . . . . . » 267

Pars Altera. — DE DEO ELEVANTE NATURAM . . . » 268
CAPUT I. — De angelorum elevatione, munere et lapsu . . » 271
Thesis 30. — Angeli ad supernaturalia elevati: inde plures lapsi . » 271
Scholia I. — De cœlesti hierarchia . . . . . » 275
— *II.* — De angelis malis - infestatione dæmoniaca - spiritismo » 277
Thesis 31. — Angeli in custodiam hominum a Deo deputantur . » 279
Scholia I. — Gentibus, civitatibus, Ecclesiis sui Angeli præsunt . » 281
— *II.* — Beneficia custodiæ angelicæ . . . . . » 282
— *III.* — Quando incipiat et quamdiu duret Angelorum custodia » 282
CAPUT II. — De elevatione et lapsu hominis . . . . . » 283
Thesis 32. — Protoparentes conditi in statu gratiæ et cum aliis donis » 283
Scholia I. — Cetera dona cum gratia erant connexa . . . » 288
— *II.* — Hæc dona non erant solum personalia sed totius naturæ » 288
Thesis 33. — Gratuitas horum donorum . . . . . » 288
Corollar. — Possibilis est status naturæ puræ . . . . » 292
Thesis 34. — Verum datur peccatum originale . . . . . » 294
Obiectiones . . . . . » 300
Scholion I. — De peccati originalis natura . . . . . » 301
— *II.* — De eiusdem sequelis . . . . . » 305
Index analyticus 308-312

TRACTATUS
DE DEO UNO IN NATURA

1. Sacra theologia, quoniam est ipsius divinæ fidei scientifica evolutio, ideo eam de Deo præsupponit notionem, quam unusquisque fidelis hausit, dum fidei ac doctrinæ christianæ rudimentis imbueretur. Quæ communissima notio eo redit, ut Deus intelligatur esse illud Ens summum, quo nihil melius et perfectius cogitari valet. Decursu tractatus notio hæc fiet distinctior et perfectior.

Iam de Deo duo hic quærimus: 1° An et quid sit Deus, 2° quænam Eius proprietates. Hinc tractatus in partes duas dividitur:

I. De Dei existentia et essentia.

II. De attributis divinis.

PARS PRIOR

DE DEI EXISTENTIA ET ESSENTIA.

2. Binæ hæ quæstiones: de existentia Dei, *an sit* et de Eiusdem essentia, *quid sit*, si obiective, in Deo ipso, accipiantur, nullatenus distinguuntur, nam Deus, uti videbimus, est ipsa sua existentia; attamen si logice, quoad nos, considerentur, sedulo distingui debent. Iam antiqui Patres monuerunt illud prius tum ratione tum fide compertissimum esse, hoc alterum nec humanâ scientiâ nec fide divina doceri; sed essentiam Dei, quando quæritur quid sit, esse *inapprehensibilem* et *incomprehensibilem*. Hinc de utraque quæstione distinctis capitibus agemus.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

3. Tria a nobis investiganda sunt: *primum*, an et qua via possit homo naturali lumine existentiam Dei certo cognoscere; *secundum*, quænam viæ seu rationes argumentandi excludendæ sint; *tertium*, quibus argumentis demonstratio existentiæ Dei adstruatur.

Porro Patrum et Doctorum veneranda antiquitas semper docuit, hominem ex rebus creatis, sua solum ratione duce, habere posse de Dei existentia cognitiones duas: unam ***notionem*** primitivam, rudem eamque facilem; alteram ***demonstrationem*** enodatam, philosophicam eamque propriam sapientiorum, quæ ex illius initialis cognitionis elementis per scientificam evolutionem conficitur.

Hæc tamen nostra doctrina adversarios habet rationalistas omnes et multos inter christianos et catholicos. Quidam enim negant, *directe*, *possibilitatem* naturalis cognitionis Dei; et sunt, ex una parte Traditionalistae, Novatores, Ianseniani, ex altera Positivistae et Materialistae. Illi solum relativam incapacitatem sustinent, attenta scilicet præsenti infirmitate intellectus humani, isti absolutam, ex deficientia cuiuslibet medii obiectivi ad cognitionem alicuius causæ extramundanæ. Alii *proprie* errant, quatenus inepta argumenta adhibent; ita Ontologistae et nonnulli theologi qui *a priori* vel *quasi a priori* arguere præsumunt. Alii tandem *formaliter* impugnant legitimitatem et efficaciam demonstrationis *a posteriori* seu ex rebus mundanis. Possunt hi, uno termino, Subiectivistae vocari et sunt Sentimentalistae, Critici, Neo-critici, Immanentistae.

4. Errores exponuntur:

Traditionalistæ contendunt *homines haud posse sine doctrina ex primitiva revelatione transmissa Dei existentiam cognoscere.* Attamen non una est eorum sententia: De Bonald († 1840) existimavit *nullam esse vel esse posse* in genere humano *rationalem cognitionem*, nisi quam in orto suo a Creatore una cum loquela accepisset. P. Ventura (sacerdos Oratorii, † 1861) adhuc mitigavit eam doctrinam, statuens hominem non posse quidem, sine revelatione, detegere veri-

tates, quæ ad ordinem moralem et metaphysicum spectant, sed posse has veritates revelatione agnitas confirmare ratiocinatione, atque extendere ad novas illationes. Denique UBAGHS aliique Lovanienses professores concesserunt hominem, qui ad plenum rationis usum pervenerit, ex rebus creatis certo Deum cognoscere posse, sed tamen contenderunt hominem ad plenum usum rationis non posse pervenire sine traditione. (H. MAZZELLA p. 5). *Igitur rigidiores* fuerunt DE BONALD, DE LAMMENNAIS († 1854), *mitiores* BONNETTY († 1879, magnus fautor ephemeridum: *Annales de la philosophie chrétienne).* VENTURA, UBAGHS. († 1875) — Doctrina Traditionalismi damnata est decretis repetitis Gregorii XVI et Pii IX (*Denz.* 1488 sqq. 1505 sqq.).

Inter theses, quibus subscribere iussus est BAUTAIN (presbyter ac professor Argentoratensis) 8 Sept. 1840, prima erat: *Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudinem probare valet.* Notæ pariter sunt propositiones a S. Indicis Congregatione, 12 Dec. 1855, contra TRADITIONALISTAS editæ: inter duas huc pertinet secunda: *Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest.* Huc etiam spectant propositiones proscriptæ iterato iudicio ss. Congregationum Indicis et Inquisitionis, 21 Sept. 1864 et 16 Mart. 1866, confirmante sententiam Romano Pontifice; inter quas: 3ª. *Dei existentiam minime demonstrari posse. Deum existere demonstrari posse negamus;* 4ª. *Probationes existentiæ Dei reduci ad quandam fidem, aut fundari in hac fide, qua non tam videmus, quam credimus, seu naturaliter nobis persuasum est ideam hanc esse fidelem, id quod evidentia mere interna cernere non possumus.* Item doctrina Traditionalistarum reprobata fuit a Conc. Vaticano (c. 2 de revel. *Denz.* 1635); rigidior *directe;* mitior *indirecte* (quatenus saltem pro primis hominibus statuit necessitatem fidei divinæ ad Deum cognoscendum). (CHR. PESCH p. 11).

NOVATORES, ulterius progressi, exigunt *auxilium interioris gratiæ,* quia homo per peccatum impar factus est cum ad amandum Deum tum ad eum cognoscendum.

IANSENIANI susceperunt errorem Novatorum et inter propp. damnatas in QUESNELLIO hæc legitur: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.*

POSITIVISTAE (auctore COMTE † 1857), aiunt: datur sola cognitio sensibilis et vires materiales tantum cognosci possunt: Deus est pro nobis indemonstrabilis et *incognoscibilis* (unde et *agnostici* dicuntur). En elegantia verba LITTRÉ: « *Pourquoi vous obstinez-vous à vous enquérir d' où vous venez? L' infini est comme un océan, qui vient battre nos rives, mais nous n' avons ni barques ni voiles pour l'explorer* ».

Materialistæ-Pantheistæ asserunt: res spirituales somnia sunt et figmenta, Deus non existit, materia nullam causam habet præter seipsam.

Ontologi (nomen est a Gioberti † 1852) hæc habent: Nos his in terris immediate Deum intuemur, nimirum Deus, ipsa veritas, prima omnium semper cognoscitur, in quadam visione, sub ratione entis. Sed de huiusmodi errore, cum magis ad cognitionem *essentiæ* Dei referatur, sicut et de iis, qui favent argumentis a priori, plura infra dicenda.

Subiectivistæ, generatim, cognitionem et certitudinem non ex rebus deducunt sed ex aliquo principio nobis intrinseco et notitiæ primæ causæ obiectivitatem, plus minusve, negant.

Sentimentalistæ dici possunt illi omnes, qui, duce Reid (natione scotus † 1796) diverso modo docent nos cæca quadam sentimentalitate vel impulsione coactos Deum esse admittere.

Critici (quorum et omnium recentium *agnosticorum* pater Kant, † 1804, in suis præstantioribus operibus: *Kritik der reinen Vernunft* = critica rationis puræ; *Religion innerhalb der Grenzen der Vernunft* = religio intra fines rationis) docent nos vere cognoscere phoenomena eorumque relationes, minime autem substantias et causas, noumena; ideoque certitudinem cognitionis deducere ex nativa vi intellectus et voluntatis. Consequenter, simul cum *Neo-Criticis* (ex. gr. Spencer † 1903), qui renovarunt systema Kant, existentiam Dei vel penitus non agnoscunt vel deducunt ex enunciatione mentis, a voluntatis imperio determinata, scilicet ex quodam interno *desiderio,* vel naturali *decentiæ* et *convenientiæ* sensu et veluti necessarium *postulatum* totius ordinis moralis faciunt.

Immanentistæ procedunt simul a Kant, Comte, Spencer et forte a Bergson, fautore præcipuo Le Roy. Rationis autonomia proclamata, negant ex re exteriori vel cuiusvis auctoritate posse nos certiorari de obiecto, quod ex congenita *interna experientia* et *voluntate* aut *instinctu divino* prius non cognoscamus. (Manzoni p. 13). Quare en quid dicunt de origine et certitudine cognitionis Dei: homo non demonstrat Deum, sed experitur et vivit; tamen est quædam probatio, quæ fundatur super *exigentiam animi religiosi, il bisogno del divino,* unicuique immanens et residens in obscuris latebris subconscientiæ; est experientia immanens, quæ de Deo fit, in ipso vitae exercitio implicata. Paucis, hic est *modernismus philosophicus* admirabili *Encyclica Pascendi* profligatus (Pius P. X 1907). Huic systemati subscripserunt, saltem partialiter, plures pseudo-catholici, et, ut videtur, accedunt quidam theologi Protestantes, qui secuti Schleiermacher (pastorem protestantem † 1834) loco argumentorum pro existentia Dei, ponunt sensum quemdam internum religiosum, quo homo existentiæ Dei sibi immediate conscius sit. (Pesch p. 18).

OBSERVA QUAM MAXIME: ratio ultima propter quam increduli, fere omnes, et multi credentes rectam viam non inveniant accedendi ad Deum, est quia *principium causalitatis* (quidquid fit ab aliquo fieri debet) vel impugnant, vel male interpretati eiusdem valorem obiectivum et realem negant. (BALLERINI, *Principio di causalità, Crisi del pensiero moderno*).

Nunc igitur ad triplicem quæstionem solvendam et multiplices errores refellendos tres theses statuimus 1ª de existentia Dei cognoscenda naturali rationis humanæ lumine; 2ª de falsis methodis excludendis; 3ª de demonstratione a posteriori ex rebus mundanis.

Thesis I. — *Deus rerum omnium principium et finis naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci potest.*

5. ***Declaratio.*** — Hanc veritatem definivit concilium VATICANUM, ubi decrevit: « Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse ». Quibus verbis hic canon respondet: « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse, a. s. » (1). Hinc veritas, quæ hic definitur, non est *Deum demonstrari*, sed solum *certo cognosci*. Ex verbis autem allatis tria constant: *a)* rationem humanam de existentia Dei certam cognitionem naturali lumine assequi posse; *b)* huius naturalis cognitionis modum, seu viam, esse e rebus creatis; *c)* conceptum, sub quo Deus hac prima naturali via cognoscitur, esse rerum omnium principii et finis, seu Creatoris et Domini nostri, proindeque eum cognosci tanquam Deum personalem ab hoc universo distinctum. Hisce tribus continetur proposita veritas revelata et dogma fidei de naturali existentiæ Dei cognoscibilitate.

6. ***Demonstratur I.*** *ex S. Scriptura.* — Testimonia præcipua et solemniora sunt ad Rom. I, 18-28; Sap. XIII, 1-9, additis, quæ leguntur ad Rom. II. 14-16, itemque Act. XIV 15-16; XVII, 26-28.

(1) Const. *De fide cath.*, cap. II, can. 1.

AD ROM. I.

Revelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. 18.

Dicentes (enim) se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. ... et.... non probaverunt Deum habere in notitia. 22, 23, 28.

Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. 19.

Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles. *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum, glorificaverunt aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. 20, 21.*

SAP. XIII.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: (Μάταιοι πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, *natura vani, veritate vacui et naturali facultate abutentes quicumque Deum ignorant)*

et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est (τὸν ὄντα), *neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem... aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. 1, 2.*

Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. 3, 4.

A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter (ἀνιλόγως) *poterit creator horum videri. 5.*

Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum (i. e. pervestigare mundum visibilem), quomodo huius Dominum non facilius invenerunt? 8, 9.

S. Paulus ad Rom. I, 18–32 asserit et ostendit ethnicos subiacere iræ divinæ seu iustæ vindictæ Dei. Causam reponit in eo quod, cum Deus per creationem clare se manifestaverit, ipsi tamen, cognito Deo cultum non exhibentes, in stultam idololatriam sua culpa prolapsi sunt. Effectus et signa huius iræ describit, turpissima eorum crimina enumerans.

En sensus verborum Apostoli: Deus substraens gratias, manifestat vindictam suam contra omnia gentilium peccata, quæ *impietas* et *iniu-*

stitia vere sunt, utpote voluntatis divinæ contemptus rectique ordinis læsio. Et iuste omnino, quia ethnici iniuste et superbe veritati religiosæ reluctantur, ac veluti captivam reprimunt. Etenim Deus aperte proposuit eorum mentibus et cordibus ea quæ pertinent ad cognitionem veri Dei, scilicet *quod notum est Dei, manifestum est in illis* (iste exurgit sensus si sumas *neutrum* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, notum Dei, pro substantivo ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ, notitia Dei obiectiva), Sed quomodo et quid revelavit Deus de seipso? Respondet Apostolus: *Inde a creatione mundi,* ἀπὸ κτισεως κόσμου, (vel potius *e mundo creato)* attributa et essentia divina, ac præcipue et proxime potentia et maiestas creatoris, perspicue videri possunt (κατορᾶσθαι), non quidem per sensum vel immediate per intellectum (hoc modo revera *invisibilia),* sed ex creaturis, ideoque mediate at naturaliter et facile. Ac propterea sunt inexcusabiles idololatræ; ipsi enim Deum cognoverunt (γνόντες τον θεόν) ac postea, mala voluntate, ad idola conversi, stulti facti sunt, iactantes se esse sapientes, brutis similes esse cœperunt, imaginumque artificialium adoratores, horrendorum criminum auctores effecti. Cf. Cornely. *Com. in Rom.* p. 76.

Ad Rom. II.

14. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter* (φυσει) *ea, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex:*

15. *Qui* (οἵτινες quippe qui) *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,*

16. *in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Iesum Christum.*

Gentiles non habent legem formalem aut supernaturalem et revelatam: attamen nonnulli eorum, absque magisterio externo, natura ipsa magistra ac duce, (quin excludatur gratia) præcepta moralia Legis Mosaicæ observant: quare in ipsis invenitur regula et lex iudicandi et bonum agendi. Quod autem ipsi sibi sint lex per naturam rationalem ex duobus deducitur: ex bonis operibus ipsorum et hoc iam nunc patet: ex conscientiæ dictamine, quæ de malo accusat et de bono laudat; hoc autem apparebit coram Christo iudice. Ita aperit S. Paulus gentes non esse exleges, posse iudicari et salvos vel damnatos fore, non secus ac circumcisos, cognitione legis tam superbos. Cf. Cornely p. 135.

Act. XIV.

Lystris Barnabas et Paulus turbas ipsis sacrificare volentes, ita compescunt:

14. ..... *Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum...* 15. *Qui in præ-*

teritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. 16. *Et quidem* (καίτοιγε = nihilominus) non sine testimonio semetipsum reliquit, *benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra.*

ACT. XVII.

Athenis Paulus Ignotum Deum annuncians, de Eo dicit:

26. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum;* 27. *quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* 28. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus; sicut et quidam vestrorum poetarum* (Aratus et Cleanthes) *dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.*

Ex his locis tria colligimus:

1° *Homo potest naturaliter et certo cognoscere Deum.*

Et revera potest *scire, intelligere, videre, invenire Deum* et quidem ex creaturis, ut auctorem naturæ; facultas vero, ex qua in homine talis cognitio provenit, est *naturalis cognoscendi facultas*, seu eadem, qua homines de aspectabilis naturæ proprietatibus iudicant: *si tantum potuerunt scire, ut possent æstimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius invenerunt?* (Sap. XIII, 9). Igitur notitia, de qua hic est sermo, naturalis apparet ex facultate, ex origine, ex obiecto. Insuper cognitio huiusmodi adeo *certa* et *facilis* dicitur, ut comparetur cum *visu* (Rom. I, 20 = invisibilia Dei intellectualiter videntur; Sap. XIII, 5 = ex perfectione creaturæ per analogiam cognoscuntur et videntur perfectiones Creatoris) ac propemodum cum *tactu* (Act. XVII, 27 = Deus suam providentiam circa homines ita disposuit, ut possint attrectare seu manibus tangere eum, qui ipsis prope est.) et ii vocentur *stulti, vani* et *inexcusabiles*, qui ea carent.

2° *Huius cognitionis modus seu via non aliunde est quam* ex rebus creatis, *et quidem distinctius secundum triplicem earumdem ordinem physicum, ethicum, historicum.*

Porro *a)* ad ordinem *physicum* Paulus et auctor Sapientiæ provocant ubi docent, Deum in hoc visibili universo cognoscibiliter manifestari ac videri. Idque sane non ita accipi debet, quod in creaturis Deus in se suaque substantiâ videatur, uti asserunt pantheistæ, sed quod ex cognito effectu effectusque perfectione ratio intelligat Dei supremæ causæ et existentiam et quadamtenus perfectionem.

Advertas ab utroque scriptore, duplex elementum logicum proponi, quo mens ascendere potest a creaturis in Deum arguendo (ἀναλόγως). Primum est ut *de his, quæ videntur bona,* quoniam revera sunt μή ὄντα (non entia), intelligamus τὸν ὄντα *(eum qui est);* ut *ex operibus*, attentis formaliter prouti opera sunt, agnoscamus *artificem;* ut *ab iis quæ facta sunt* id est a *creatura mundi,* intellecta formaliter ut est creatura, seu ut id quod factum est, *invisibilia ipsius Creatoris* conspiciamus. Alterum argumentationis elementum est ut *a specie*, quæ in creaturis delectat, et *virtute et efficacia*, quam in eis miramur, concludamus quanto *his Dominator eorum speciosior est*, et quanto *qui hæc fecit fortior illis est,* et quanta sit *sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* Primum elementum est evidens *imperfectio* creaturæ, seu eius *contingentia*, unde Creator arguitur esse *Ens necessarium.* Aliud elementum est ipsa creaturarum *perfectio*, ex qua, quo plenius intelligitur, eo etiam clarius *Causæ perfectiones* cognoscuntur.

Ad naturalem Dei manifestationem *b)* in ordine *ethico* pertinent illa ad Rom. II, 14–16, ex quibus argumentamur: Ex Apostolo homines, per naturales suæ rationis vires absque revelatione, legem naturalem eiusdemque absolutam obligationem cognoscere possunt. Atqui hæc cognitio legis moralis absolute obligantis supponit et includit cognitionem aliquam saltem confusam supremi cuiusdam Legislatoris seu Dei. Ergo ex Apostolo, homo per naturales rationis suæ vires, absque revelatione, potest pervenire ad cognitionem Dei. Porro *maior* syllogismi ab ipso Apostolo probatur tum ex eo, quod gentiles faciunt opera legis, tum ex testimonio eorum conscientiæ. *Minor* autem apparet simplici animadversione, quod lex *obligans* sine obligantis legislatoris conceptu non apprehenditur, itemque lex *absolute* et *omnes* rationales creaturas obligans non intelligitur absque supremo dominio in Legislatore, cui absolutum obsequium et ab omnibus debeatur.

Etiam *c) historiam*, suo providentiæ ordine, testari de Deo, declarat Paulus tum Lystris tum Athenis in locis citatis ex Actibus Apostolorum. Nam inibi Apostolus provocat gentiles ad cognoscendum Deum vivum et verum in ea mirabili Ipsius providentia, quæ sive in eventibus naturæ physicis (Act. XIV *benefaciens de cœlo, dans pluvias...*) sive in historicis vicissitudinibus nationum, sive in vita uniuscuiusque hominum (Act. XVII presertim *definiens terminos habitationis eorum. Non longe est*

ab unoquoque nostrum.) relucet. Atqui hæc cognitio Dei, ad quam tunc primo gentiles ab Apostolo provocabantur, alia esse non poterat nisi mere rationalis. Ergo ex Paulo potest homo ratione ex historico divinæ providentiæ ordine cognoscere Deum.

3° *Deus naturaliter cognoscitur tanquam principium et Creator, tanquam finis et Dominus.*

Vidimus Eum ex rebus creatis cognosci tanquam *artificem, factorem, Creatorem;* et quidem ita ut homines debuissent Eum *glorificare, Ei gratias agere,* Eique cultum exhibere (Rom. I et Sap. XIII); itemque naturaliter ipsa hominum conscientiâ Deum supponi tanquam *Legislatorem* et *Iudicem* (Rom. II), et demum in eventibus omnibus manifestari tanquam universalem *Provisorem, Gubernatorem, Benefactorem* (Act. XIV et XVII). Iamvero ex multiplici huiusmodi conceptu illud etiam consequitur, quod Deus est Ens aliquod sapientia et voluntate præditum, distinctum omnino a rebus omnibus, quorum est auctor et gubernator, a creaturis ipsis rationalibus, quarum est Dominus adorandus, Iudex timendus, et quod proinde est Deus vivus et verus et personalis ab hoc universo distinctus, a creatura rationali supremo cultu honorandus.

Demonstratur II. *ex traditione Patrum.* Ex eorum enim documentis tria potissimum constant.

1° Patres magno consensu docent, aliquam Dei notitiam saltem confusam in omnibus hominibus, qui rationis lumen non oppresserunt, sponte sua oboriri. Hanc notitiam Dei primitivam tribus fere characteribus describunt: *a)* quod sit cognitio *naturalis, spontanea* et veluti *anticipatio mentis* et *ratio congenita,* quam scilicet homo ex insita natura et citra institutionem concepit; *b)* quod ideo sit *communissima,* quam scilicet habent omnes, qui anima rationali fruuntur, licet gentiles sint et indocti et rudes; *c)* quod denique ea sit cognitio, ad quam homo insita vi *impellitur ex ipsa rationalis animæ natura,* qua est imago Dei veritatis substantialis. Primus character assignatur passim ab Iustino, Clemente Alex., Tertulliano, Origene, Nazianzeno, Damasceno; alius ab illis Patribus, qui ut Chrysostomus (hom. IX), in Dei testimonium omnes gentes advocant, Græcos et barbaros, Indos et Ægyptios.

Dic testimonium, ait Tertullianus, *o anima rudis et simplex et non christiana. Non eam te advoco, quæ scholis formata, bi-*

bliothecis exercitata, academiis et porticibus atticis pasta sapientiam ructas. Te simplicem et rudem et idioticam appello, qualem habent, qui te solam habent, illam ipsam de compito, de tricio, de textrino totam... Nam et quoque domi et foris ita audimus pronuntiare: Quod Deus dederit, *et:* Si Deus voluerit. *Ea voce et aliquem esse significas, et omnem illi confiteris potestatem, ad cuius spectas voluntatem.* Deus bonus et Deus benefacit *tua vox est, et* Deus te benedicat, *tam facile pronuntias, quam necesse sit christiano, ac perinde eius super nos potestatem consistere confiteris. De conscientia tibi suppetit ea vox:* Deus inter nos iudicabit (1). Hinc merito idem scriptor alibi exclamat: *O testimonium animæ naturaliter christianæ* (2).

Unde vero sit in homine impulsus ad quærendum Deum, clarius inter alios indicat Athenagoras: *Unum Deum esse, ut plurimum vel inviti fatentur omnes, quando ad universorum principia veniunt... impulsi a sua quisque anima secundum cognationem spiraculi a Deo accepti ad quærendum, si possit invenire et intelligere veritatem* (3). In ipsa, scilicet, natura *rationali,* ut est imago Dei, fundatur propensio animæ et impulsus ad quærendum Deum in consideratione universi.

2° Docent præterea Patres, modum et originem huius naturalis cognitionis esse ex spectabili hoc universo. Id fere omnes repetunt et inculcant, quavis data occasione et formulis eloquentissimis inde ab apologetis Iustino, Athenagora, Tatiano usque ad Gregorium M., Ioannem Damascenum et Bernardum. Omnium nomine audiantur Augustinus et Athanasius: Ille ait: *Exceptis propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et visibilium omnino pulcherrima specie quodammodo tacitus et factum se esse, et non nisi a Deo, ineffabiliter atque invisibiliter magno et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat* (De Civ. Dei, lib. II). Ante Augustinum vero Athanasius: *Res creatæ,* inquit, *quasi litteris sua dispositione et ordine Dominum ac Creatorem suum indicant et proclamant..., cum enim Deus secundum propriam naturam invisibilis sit et incomprehensibilis, ideo creationem verbo suo ita disposuit, ut saltem ex operibus ab hominibus cognosci possit; sæpe enim artifex, etiamsi ipse non videatur, ex operibus cognoscitur* (Orat. c. gent. n. 34).

---

(1) *De testimonio animæ,* c. 1.
(2) *Apologet.,* c. 17.
(3) *Legat. pro Christian.,* n. 7.

Cum tamen cognitio, quæ ex rebus creatis prima sponte ab omnibus habetur, sit admodum imperfecta et *enodationis* indigens; tum Patres illius notionis enodationem et demonstrationem scientificam fere omnes instituunt uti præsertim Athenagoras, Athanasius, Lactantius, Gregorius Nazianzenus, Io. Damascenus (1). Hi aliique plerumque, a spectaculo huius universi ascendentes ad Deum Creatorem, argumentum cosmologicum et quod dici consuevit physico-theologicum, præ ceteris excoluerunt. Sed Augustinus, ubi de expolitione quærit intelligentiæ, quid Deus sit, potius ex cognito ordine metaphysico sese erigere solet ad Deum causam exemplarem; ex æterna scilicet et immutabili veritate numerorum, disciplinarum et possibilium, ex ideis sapientiæ, iustitiæ, veri et boni, acutissimo visu mentis conspicere nititur veritatem, sapientiam, bonitatem substantialem, a qua totus ordo metaphysicus pendet et nobis lumen rationale affulget, quo vera intelligimus. Ita argumentari videas Augustinum cum passim, tum etiam Confess., l. vii, c. 17 (2).

3° Quibus omnibus argumentationibus conceptus Dei Creatoris et Domini multipliciter expolitus plenior et distinctior admodum fit, ut omnino Deus appareat ens aliquod vivum, sapiens, bonum, providum, personale, a rebus omnibus visibilibus et invisibilibus distinctum et supra ideas omnes nostras sapientiæ et bonitatis et supra principia omnia scientiarum altissime elevatum, ab iis toto cœlo differens. *Intelligibilis*, ait Augustinus, *Deus est, intelligibilia etiam disciplinarum spectamina* (principia seu axiomata); *tamen plurimum differunt* (3). Et antea : *Quantum in suo genere a cœlo terra, tantum ab intelligibili Dei maiestate spectamina illa disciplinarum vera et certa differunt* (4).

Demonstratur III. ex Ratione.

a) *Deus existens potest naturaliter cognosci.*

Facile suadetur possibilitas tum ex parte intellectus nostri tum ex parte Dei. Et revera mens humana attingit, etsi non cognitione propria sed analogica, totam rationem entis, quare in eius obiecto adæquato continetur Deus, qui proinde intelligi potest aliquo modo, idest saltem quoad existentiam, seu *actualitatem* essendi.

(1) Cf. Petav., *De Deo*, l. I. c. 1, 2.
(2) Cf. Lessium, *De Perf. Div.*, l. IV, c. 4, n. 40 et seq.
(3) *Solil.*, l. I, c. 8.
(4) *Ibid.*, c. 5.

Insuper lumen rationis, Adæ prævaricatione, non fuit extinctum. Item notitia veri Dei necessaria est ad vitam moralem agendam. Tandem *de facto* quamplurimi hanc notitiam per seipsos adepti sunt.

b) *ex rebus creatis.*

Res omnes habent necessariam relationem, seu nexum causalitatis, cum existentia Dei; propter suos characteres apparent entia causata. Porro sicut ratio potest, vi principii causalitatis, ex inspectione rerum legitime pervenire in cognitionem causæ, ita valet, propria virtute, causam primam omnium entium invenire.

c) *tanquam Creator et Dominus, ab ipsis distinctus et personalis.*

Evidens est causata et imperfecta exigere ens incausatum et perfectissimum, quod sit principium primum et consequenter finis ultimus eorum. Per hoc tamen non asseritur, quod existentia Dei personalis *immediate* deducatur ex mundi consideratione; sed tantum quod ad eam ultimo, absque difficultate, mens pervenire queat, cum a simplici inquisitione *an Deus sit* ad ulteriorem procedit *quomodo* sit.

COROLLARIA.

7. I. **Dei existentia potest etiam scientifice demonstrari a posteriori.**

Hoc est: homo potest suam primam et spontaneam illationem ex effectibus habitam reflexe cognoscere, per verum et proprium ratiocinium, et legitimam ostendere, in aperto ponendo rationes huius iudicii, *Deus existit;* et quidem non excluditur, per se loquendo, quod possit perfectam evidentiam attingere.

Nihilominus, etiam omissis incredulis, dantur qui, haurientes existentiam Dei ex aliquo elemento non demonstrabili, sive sit fides aliqua, sive idea Dei innata, sive intuitus Dei, dum concedunt Deum posse certo cognosci, negant posse demonstrari. Revera, ut supra innuimus, hoc non est de fide, a deputatione enim pro fide omissum est illud *et demonstrari,* quod prius legebatur in canone, iam a nobis citato; attamen tenendum est ut *doctrina catholica*, sicut elucet ex propositionibus a Bautain et Bonnetty subscriptis (1).

(1) Cf. Hurter p. 3, vel melius Granderath *Const. dogm. conc. Vatic.* 34.

Et sane cum Scriptura et Patres notitiam Dei ita dicant veram et certam, ut nemo Deum ignorans sit excusabilis, necessario sequitur eam esse scientifice demonstrabilem. Ratio insuper sic dictat (Remer p. 315): Demonstratio manifestissime a posteriori habetur, quando per effectum, tamquam per medium nobis magis notum, demonstratur causa. Etenim, ut utar verbis S. Th. I. q. 2. a. 2. « quum effectus pendeat a causa, posito effectu, necesse est causam præexistere ». Atqui creaturæ 1° sunt nobis notissimæ et certe notiores quàm ipse Deus quoad nos, 2° habent omnes rationem effectus propter characteres contingentiæ, limitationis et huiusmodi. Ergo per creaturas, tamquam per medium nobis magis notum, demonstrari potest a posteriori illud ens, a quo tamquam a causa ipsæ dependent.

Obiiciunt 1.° — Si a posteriori demonstraretur Deum esse, iudicium hoc « Deus existit » esset synteticum: atqui nequit dici synteticum, secus esset veritas contingens; ergo. Dist. M. proprie esset iudicium *synteticum* n. (nam iudicium proprie dicitur analyticum vel synteticum prout fertur *immediate* ex instituta analysi notionum simplicium, vel ex experientia, aut auctoritate), improprie esset *synteticum,* quatenus licet, in eo praedicatum sit de essentia subiecti, hoc tamen a nobis non cognoscitur, nisi per demonstrationem a posteriori c. Contrad. min. Rationem autem additam sic distinguo: ipsa veritas in se « Deus existit » esset contingens, n. cognitio huius veritatis esset mihi contingens, c.

Obiiciunt 2.° — Sine *medio* non potest fieri demonstratio. Medium autem est *quodquid est* subiecti. Ergo ad demonstrandum Deum esse necesse est scire quodquid est Dei. Sed hoc nescimus. Ergo R. C. M. dist. min. in demonstratione *propter quid* c. in demonstratione *quia* subd. *quodquid est* seu quidditas *essentialis* n. *nominalis,* aut etiam *ratio effectus* c. Quidditas *nominalis* Dei, id est primum aliquod ens ex quo omnia dependent, est nota nobis; *sola ratio effectus* est nota ei qui *primo* Deum quærit. — Adverte igitur nos accedere ad probandum Deum esse modo paulo diverso ab illo, quo prima vice ex creaturis aliquis probat Deum esse. Nos enim iam problematice tenemus subiectum et prædicatum, quod dicitur *quæstio,* « an scilicet Deus sit »; et ideo quærimus medium ad solvendam quæstionem. Qui autem prima vice probat Deum esse, ab initio nec subiectum nec prædicatum tenet. Occurrunt autem primo aliquæ creaturæ. Et in illis facillime deprehendit rationem effectus propter agnitam earum contingentiam et limitationem: ergo cognoscit et causam sufficientem illarum dari, saltem proximam, et tandem, ulterius arguendos, remotam omnium rerum.

Obiiciunt 3.° — Ut creatura demonstret causam suam, apprehendi debet ut effectus suæ causæ nempe Dei: sed non potest deprehendi ut effectus illius causæ, nisi et ipsa causa cognoscatur; atqui non cognoscitur. Ergo. R. Dist. M. debet *formaliter* apprehendi ut effectus Dei n., debet apprehendi cum talibus caracteribus, qui *virtualiter* repræsentent eam ut effectum Dei c. Contrad. min.

Obiiciunt 4.° — Creaturæ non continent Deum. Resp. Creaturæ non continent Deum, ut totum partem, aut ut causa suum causatum c. ut effectus causam, cum qua est necessario connexus, aut ut vestigium et imago et signum etc. n. — Si, affirmata

in antecedenti existentia creaturæ, affirmatur in conclusione existentia Dei, conclusio est latius patens quam præmissa. R. Nego, nam conclusio « ergo existit Deus » deducitur non solum ex hac praemissa « existit creatura »; sed ex hac alia latissime patenti « omnis effectus postulat adæquatam sui causam ».

Obiiciunt 5.° — Existentia Entis Supremi nequit, velut veritas secundi ordinis, deduci ex alia veritate. Resp. Confunditur *veritas rei* cum *cognitione ipsius*. Ista quoad nos est secundi ordinis, dependens a cognita alia veritate; proptereaque veritas deducta. Mens autem nostra, cognita per illationem existentia supremi Entis, videt illam esse veritatem absolutam, primam, imparticipatam, necessariam.

Nota nos nullo modo concedere in sententiam quorundam fatentium propositionem hanc « Deus existit » esse tantum physice certam, propterea quod altera præmissarum « existit creatura » sit physice tantum certa, secundum illud « peiorem sequitur semper conclusio partem ». Nam quum dico « existit creatura », imprimis intelligo « existo ego ». Porro quod *ego existo* est mihi metaphysice et plusquam metaphysice (si ita loqui fas est) certum. Obiectum enim conscientiæ metaphysica gaudet certitudine.

Obiiciunt 6.° — Pariter omnis demonstratio fit ex necessariis : atqui creaturæ non sunt necessariæ: ergo — Resp. Dist. M. si sermo sit de principiis ipsis, quibus innititur demonstratio, c. si sermo sit de omni eo quod assumitur ut præmissa, subd. ex necessariis vel hypothetice vel absolute c. solum absolute n.

Obiiciunt 7.° — Prædicatum in demonstratione debet secundum eandem significationem convenire medio demonstrationis et subiecto conclusionis. Atqui terminus *est* non convenit Deo et creaturis secundum eandem significationem. Ergo. Resp. Dist. M. Secundum eandem significationem *univocam* n. saltem *analogicam* analogia proportionalitatis propriæ c. Contr. min.

Obiiciunt 8.° — Ex effectu non porportionato nequit demonstrari causa. Sed creaturæ non sunt effectus proportionati Deo Ergo. Resp. cum S. Th. I, q. 2 a. 2 ad 3.m « Per effectus non proportionatos causæ, non potest perfecta cognitio de causa aberi; sed tamen ex quocumque effectu manifesto nobis potest demonstrari *causam esse*. Et sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse; licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam ». Adverte ergo creaturas dici effectum improportionatum Deo, quia finitæ sunt et univoce proinde cum sua causa non conveniunt. Sed posse dici et esse revera effectum proportionatum, quatenus nonnisi a Deo produci possunt ex nihilo sui et subiecti.

Obiiciunt 9.° — In Deo idem est essentia et esse : seu *quod est et an est*. Sed per rationem pervenire nequimus ad sciendum *quid est*: ergo neque ad sciendum *an est*. Respondet S. Th. c. Gentes I. c. 12. « In Deo idem est essentia et esse..... sed hoc intelligitur de esse, quo Deus in seipso subsistit, quod nobis quale sit ignotum est, sicut eius essentia; non autem intelligitur esse, quod significat compositionem intellectus. Sic enim *esse Deum* sub demonstrationem cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, qua exprimat Deum esse ». Quæ verba si attente perpenderis, intelliges S. Doctorem non dicere nullum aliud *esse* de Deo nos concipere quam illud, quod copula verbalis exprimitur, sed nos intelligere tantum de esse Dei reali, quantum satis est ad efformandam propositionem *Deus est*.

Obiiciunt 10.° — Omnis cognitio fit per speciem repræsentativam obiecti cogniti abstractam a phantasmatibus: atqui nulla potest esse species repræsentativa Dei etc. Ergo. Resp. Dist. M. fit per speciem.... quae vel sit *propria* obiecti cogniti,

vel *aliena* quidem, sed *analogiam præseferens* cum obiecto cognito c. tantum propria subd. quum agitur de cognitione quidditativa c. abstractiva n.

Obiiciunt 11.° — Prima veritas est indemonstrabilis. Atqui Deus est prima veritas. — Ergo R. D. M. prima veritas in ordine logico c. prima veritas in ordine ontologico n. Contr. min. — (ex Remer).

8. II. **Error Traditionalismi iure meritoque damnatus fuit.**

Vidimus iam documenta Ecclesiæ. Similiter consideravimus S. Scripturam nullam mentionem facere revelationis positivæ, traditione conservatæ, sed tanquam unica media exhibere naturalem rationem et mundum adspectabilem, secundum triplicem ordinem. Addere iuvat, inter alia, necessitatem absolutam supernæ revelationis pro veritate, *Deus est* Traditionalismum statuere, dum communis et recepta in Ecclesia doctrina talem necessitatem nunquam agnovit nisi quoad ea dogmata « quæ supernaturalem hominis elevationem, ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt atque ad hunc finem revelata noscuntur (1) ». Quisquis autem videt, huius erroris damnatione, non negari neque magnam *utilitatem* revelationi, neque *factum* ipsum, nempe homines sæpe per eam ad agnitionem Dei pervenire. Tandem, ut revocemus etiam Novatores et Iansenistas, (Positivistæ enim et Materialistæ plusquam haeretici sunt) notandum, ipsos quoque falso inniti principio. Siquidem homo per peccatum originale certe in naturalibus vulneratus fuit, iis donis amissis, quae naturam perficiebant, verum ipsam naturam et facultatem naturalia intelligendi non amisit, sicut illi supponunt.

9. III. **Non datur invincibilis ignorantia de existentia Dei.**

Assertio hoc modo exponenda est: homo sanæ mentis nequit per totam vitam, imo neque per breve tempus, si ad discretionem inter bonum et malum morale pervenerit, Deum ignorare, at minus sub conceptu *primi entis, causæ incausatæ*.... Et re quidem vera, teste S. Scriptura, idea Dei facilis est et obvia; ad eam habendam homini præsto sunt naturalia media, tum externa tum interna: res creatæ, intelligentia, desiderium quærendi causas, perspicua argumenta. Quando vero legem moralem persentit, eo ipso Deum cognoscit seu quendam supremum legislatorem. Unde manifestum est Deum non posse inculpabiliter ignorari.

---

(1) Pius IX, in litt. apost. *Gravissimas inter*. 11 Dec. 1862. (Cf. Billot th. 1).

Quid igitur de atheis? Athei *practici*, qui perverse vivunt, quasi Deus non esset, non solum possibiles sunt, sed reipsa existunt. Athei *speculativi* seu theoretici, *negativi*, qui scilicet, evolutam rationem habentes, simpliciter et penitus Deum ignorant, dari non possunt propter adductas rationes. Athei vero speculativi *positivi*, id est homines quidam positive iudicantes, saltem iudicio opinativo, Deum non existere, sunt possibiles, licet ad breve tempus; quia, cum Deum esse non sit immediate notum quoad nos, possunt avertere mentem a motivis, quæ illam veritatem evidentem ostendunt eamque ad sophismata applicare.

10. IV. **Multi theologi affirmant fieri posse ut veritas existentiæ Dei, naturaliter cognita, fide teneri nequeat.**

Fit quæstio utrum obiectum *aliunde evidens*, puta ex naturali demonstratione, possit etiam, quatenus revelatum, *credi* fide divina. Plerique affirmant ac subscribunt sententiæ Alberti Magni: « *Fides et scientia sunt de eodem non secundum idem et ideo unum non evacuat aliud* ». *(In 3 Distinct.* 24, a. 9). Plures denegant cum S. Thoma, qui aperte asserit: « *impossibile est, quod ab eodem idem sit scitum et creditum* ». (2, 2, q. 1, a. 5) et negant ex eo quod obiecti materialis fidei conditio est, ut sit quoad credentem aliquo saltem modo in se obscurum sive inevidens. Nunc autem, Deum existere utique creditur, attamen si sermo sit de ipsa existentia sic et simpliciter, quam naturale lumen assequitur, sicut possibilis est de ipsa *evidens* scientifica demonstratio, sic etiam possibilis est, quoad eamdem, exclusio actus fidei. Illud ergo quod saltem in confuso credi debet necessitate medii, et de quo nulla datur evidentia, est existentia Dei ut supernaturali via sese manifestantis, hoc sensu dicente Apostolo: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est* (Hebr. XI, 6). Nihilominus de limite impossibilitatis fidei, in casu, te certiorem faciunt auctores, sedulo adnotantes quod non omnis evidentia excludit fidem, sed tantum intrinseca, quæ facit apparere veritatem rei secundum proprias rationes, et quidem ita perfecte, ut omnis etiam possibilitas quocumque modo dubitandi absolute removeatur: hoc, ni fallor, non facile continget. Cetera in tract. *de Fide* exponenda relinquuntur.

Thesis II. — *Deum esse non constat nec ex immediata intuitione essentiæ divinæ, nec ex idea Dei vere innata; item non demonstratur neque a priori neque quasi a priori ex conceptu Dei.*

11. ***Declaratio.*** — Ex creaturis certo cognosci ac probari potest, vera demonstratione a posteriori, Deum existere. Quæritur num aliæ pateant viæ ad notitiam Dei secure perveniendi; et respondetur negative, unde prima thesis sensu excludente sumenda erit hoc modo: notio Dei, pro nobis, est abstractiva, id est non accipitur immediate a re cognita, sed *unice* a rebus mundanis, in quibus resultat: quare reicitur intuitio Ontologistarum et idea Dei innata quorumdam theologorum; item existentia Dei demonstratur *solum* a posteriori: unde respuitur argumentatio a priori et illa quam a simultaneo vocant, ex analysi conceptus Dei, a S. Anselmo et aliis adhibita. Testimonia ex S. Scriptura et SS. Patribus non adducimus, cum sufficiant supra relata, in quibus alius modus non exhibetur cognoscendi et probandi Deum nisi ex effectibus; pauca ergo proponimus, ex ratione, quoad singulas partes theseos,

I. ***Deum esse non constat ex intuitione immediata divinae essentiae.***

Ontologi tuentur veritatem propositionis *Deus existit* hac via nobis apparere: mens directe et immediate, etsi non clare, apprehendit Deum secundum esse seu entitatem, qua consistit in seipso. Iste intuitus, etsi non sit ab initio *iudicium*, quo Deus affirmetur existere, sed sit solum *notio* et quidem aliquatenus confusa, qua Deus concipitur tamquam *ens, verum, bonum simpliciter;* tamen *consideratione rerum creatarum*, fit tum notio distincta Dei, tum iudicium, quod illud ens in rerum natura revera existat (1). Si hoc verum est, notio Dei iam non derivat ex creaturis.

Hic error, ab ecclesiastica auctoritate reiectus, a nobis directe refutabitur capite sequenti, quia respicit præcipue cognitionem *quidditatis* divinæ.

II. ***Non est admittenda idea Dei innata.***

Thomassin († 1695), Klee († 1840), Staudenmajer († 1856)..... qui in aliquibus quæstionibus a principiis Scholasticae deviaverunt, ita opinati sunt: Deus est indemonstrabilis; fundamen-

(1) Cf. Kleutgen, *De ipso Deo*, n. 125.

tum cuiuslibet cognitionis Dei est idea innata de ipso; independenter ab ea nullo modo existentia Dei cognoscitur, ope ratiocinationis a sensibilibus; a S. Scriptura implicite, a Patribus diserte, cognitio Dei dicitur congenita. — E contra systema idearum innatarum non quidem damnatum est, sed, in quantum negat veram demonstrabilitatem Dei, sine temeritate statui non potest (1). Præterea quælibet idea innata excluditur in philosophia. Cæterum hoc ipsum experientia dictat: qui enim a nativitate sensu, ex. gr. visus carent, carent quoque ideis colorum, præcise quia per sensus ideæ omnes a nobis accipiuntur.

Relate ad Patres hæc indicasse sufficiat: Notio Dei dici potest *insita* aut *innata* non eo sensu quod, nullatenus acquisita, inde ab animæ ortu impressa sit et actualis in mente, licet nondum reflexa; sed tantum quatenus idea, saltem confusa et incompleta, alicuius *moventis* aut *dirigentis* naturæ cursum, *sponte sua* oboritur et efformatur ab omnibus hominibus ex aspectu creaturarum, ante inquisitionem philosophicam et ante institutionem positivæ revelationis. Potius innata est, non actualis idea Dei, sed vis et propensio ad eam facile hauriendam ex simplici inspectione universi. Proindeque Dei notionem naturæ humanæ *insitam* appellant Patres non in oppositione ad *acquisitam* simpliciter, sed in oppositione ad cognitionem acquisitam *difficiliore modo* per diligentiores mediationes, et veluti *ab extrinseco* præsertim per revelationem.

Sensus huiusmodi Patrum apparet, 1° ex eorum theoria, contra Platonem, circa originem tum idearum generatim tum speciatim ideæ Dei, quæ theoria est illa, quam deinde S. Thomas et Scholastici evolverunt: animam scilicet, quamdiu cum hoc corpore mortali unam naturam componit, nonnisi a cognitione sensibilium progredi posse ad cognitionem intellectualium et nominatim Dei ipsius. Hac doctrina statuunt profecto Dei cognitionem esse acquisitam. Idipsum fit evidens, 2° ex contextu vel saltem ex collatione doctrinæ, quam iidem Patres aliis in locis exprimunt. Quare S. Thomas ait: « Dei cognitio nobis innata esse dicitur, in quantum per principia nobis innata *de facili* percipere possumus Deum esse » (2). Et alibi: « Cognitio

(1) Granderath, *Const. dogm.* 38 sqq.

(2) Quonam in sensu dicantur *principia innata* disce ab ipso S. Thoma, I, 2ae q. 51 a. 1 in c.: « *ex. gr. intellectus principiorum dicitur esse habitus naturalis; ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini quod, statim cognito*

existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus naturaliter insertum est aliquid unde (quo mediante) potest perveniri ad cognoscendum, Deum esse » (1). Porro *a Deo* insertum est: qua de causa Deus ipse vere manifestat *notum* Dei per ea quæ facta sunt.

III. ***Deum existere nequit ostendi demonstratione, quae sit simpliciter a priori.***

In demonstratione stricte a priori ex notione causæ cognoscuntur et arguuntur effectus, etenim adhibetur *medium*, quod sit prius subiecto conclusionis non solum *in cognoscendo*, sed etiam *in essendo*, ab illo proinde realiter distinctum. Atqui nihil est realiter et in essendo prius Deo et causa Dei. Ergo.

IV. ***Neque probatur argumento, quod vocant a simultaneo, vel quasi a priori.***

Medium quod assumitur in hoc argumento non est realiter distinctum a subiecto vel prædicato propositionis demonstrandæ; sed est ipsum subiectum vel prædicatum aliqua tantum ratione ab eo distinctum, puta secundum diversum statum *essendi* in mente et in re, in *ordine possibilitatis* et *realitatis* etc. Igitur procedit a conceptu *essentiæ* rei, et in præsenti a conceptu essentiæ divinæ. S. Anselmus sic ipsum proposuit: Existit in intellectu etiam insipientis, qui negat esse Deum, id quo maius cogitari nequit, nempe Deus. Ergo existit etiam in re. Consequentia probatur: Illud quod est in intellectu et in re, est maius eo quod est tantum in intellectu. Sed in mente insipientis est quo maius cogitari nequit, nempe Deus. Ergo Deus existit etiam in re (2).

Reiicitur iste modus dicendi, non ut oppositus regulæ fidei, sed ut inefficax. Etenim illius entis existentia realis, seu exercita (et non mere *signata*, id est apprehensa ab intellectu) demonstrari nequit ab eius essentia sola mente concepta, cuius entis essentia non concipitur *intuitive*, sed solum *abstractive*. Atqui omnes conceptus nostri de Deo sunt per species abstractas a rebus sensibilibus, ut patet discurrenti per singulos. Ergo.

---

quid est totum, et quid est pars, cognoscat quod omne totum est maius sua parte. Sed quid sit totum et quid sit pars cognoscere non potest nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas ».

(1) S. Thomas, *super Boëthium*, procem. q. 1, art. 3 ad 6; *De veritate* q. 10, a. 12. ad 1. Cf. Franzelin, *De Deo*, th. VII; Kleutgen, *La filosofia antica*, trat. v. c. III.

(2) Vide V. Remer v. 2, p. 312.

A S. Thoma exploditur his verbis: « Dato quod quilibet intelligat hoc nomine *Deus* significari hoc quod dicitur, scl. illud quo maius cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur quod intelligat, id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit *in re* aliquid quo maius cogitari non potest; quod non est datum a ponentibus Deum non esse » (1). Quæ verba S. Doctoris ita explicantur: Non omnes, imprimis, intelligunt nomine Dei aliquid quo maius nihil cogitari possit sive ens perfectissimum; sed insuper fit *illegitimus transitus* ab ordine ideali ad realem, aut saltem supponitur id quod atheus negat, donec probetur. Potest utique concludi illud ens *concipiendum* esse ut revera existens, non autem, hac sola argumentatione, ipsum realiter existere. Conceptus illius entis necessario continet existentiam, sed daturne *extra conceptum* id quod in eo apprehenditur? Adversarius concedit solummodo possibilitatem *intrinsecam*, seu *non repugnantiam*, huius entis; at non videt *positivam* possibilitatem. Insumma, non potest extrahi ab idea quadam, arbitrarie formata, existentia obiecti respondentis.

12. S. Anselmus (episc. Cantuariensis, † 1109) in opusc. *Proslogium* sive *fides quærens intellectum* c. 2, suum argumentum ontologicum proposuit ut magis idoneum ad convincendum *insipientem*. Fuit deinceps diversimode renovatum, ac etiam nostris diebus a plerisque, posthabitis probationibus ex principio causalitatis desumptis, libenter sub ea forma adhibetur, quam ex S. Anselmo innovavit Cartesius († 1650). Ipse, in Medit. 5, iuxta suam regulam methodicam, sic arguit: Quod continetur in idea clara et distincta alicuius obiecti id verum est, atque adeo affirmandum. Atqui in idea clara et distincta entis perfectissimi continetur *esse* seu existere. Ergo. Respondet P. Remer p. 313: Concedimus affirmandum esse de re quod clare percipitur contineri in eius essentia; sed in eo ordine, in quo essentia concipitur esse. Quare si subiectum sit aliquid existens tantum in mente, prædicatum affirmandum est ut *mere ideale*, seu apprehensum. Iamvero in conceptu entis perfectissimi continetur absque dubio prædicatum *est*, sed utrum hoc sit non solum *signatum*, sed etiam *exercitum* in natura, merito in dubium vocatur, nisi probetur. Cartesius argumentum deducit etiam ex idea Dei seu Infiniti in *nobis*, quatenus talis idea non foret possibilis, si Ens infinitum re non esset. Ipsa enim haberi non potest a posteriori, sed nobis imprimitur ab Ente infinito, quod propterea realiter est. Econtra idea Infiniti haberi potest et habetur per negationem limitum a rebus finitis. — Præstat sub oculis habere etiam argumentum Leibnitii († 1716) in Monodologia § 45: Ens infinite perfectum, si possibile est, existit: nam existentia in ipso cum possibilitate identificatur. Atqui est possibile. Ergo existit. Cui, in forma, prælaudatus Remer: Conc. Maior. e

(1) I, q. 2, a. 1 ad 2. Cf. *De verit.*, q. 10, a. 12; Contra Gentes I, 11.

rationem additam. Dist. min. Est possibile, et hoc affirmare mens potest *consequenter* ad cognitam existentiam finitarum perfectionum, quæ nequeunt explicari, nisi admittatur infinita perfectio existens, c. antecedenter ad illam, n.

13. ***Coroll.*** **Propositio "Deus existit„ est nota per se quoad se, non tamen nota per se quoad nos.**

Assertio eorum, quos nuper refutavimus, huic, quoad rem, æquivalet: Deum esse est per se notum etiam relate ad nos; quare thesis nostra contradictorium ponit. Quod de cetero facile suadetur, nam propositio est *immediata* seu *per se nota*, si prædicatum includitur in ratione subiecti; est per se nota etiam *quoad nos*, si talis inclusio est immediate nobis nota. Porro enunciatio *Deus est* absque dubio est per se nota, quia *esse* (prædicatum) non accidit Deo (subiectum), sed est ipsa eius essentia; attamen non *nobis*, etenim non habemus distinctam et *quidditativam* cognitionem Dei, adeoque non possumus ei tribuere a priori prædicatum *est;* terminus *Deus* non exprimit aliquid in sua *quidditate* omnibus notum; et de facto Dei existentia non est talis veritas, de qua nullus intellectus ambigere queat. Ex eo autem quod sit nobis per se notum dari veritatem in communi, summum bonum, causam sufficientem omnium etc..., non sequitur esse per se notum quoad nos, quod detur illud ens *ut subsistens:* hoc debet probari.

Thesis III. — *Existentia Dei comprobatur argumentis rationis a posteriori.*

14. ***Declaratio.*** — Tandem proponuntur valida argumenta pro scientifica demonstratione Dei. Nonnulla præmittimus, et imprimis quod ex probata, et omnino tenenda, demonstrabililate existentiæ Dei plane consequitur, neminem posse sine temeritate denegare efficaciam omnibus illis argumentis, quibus generatim et per tot sæcula Scholastici usi sunt. Insuper thesis nostra directe impugnat Subiectivistas omnes, qui, non concedentes principio causalitatis suum plenum valorem obiectivum, spernunt probationes, quæ ex sensibilibus et extrinsecis, via causalitatis, a Scholasticis et Neo-scholasticis proferuntur. Et revera omnia argumenta deducuntur ex effectibus vel supernaturalibus i. e. miraculis, vel naturalibus, (mundo seu macrocosmo, homine seu microcosmo). Tres classes communiter indicantur:

Arg. *metaphysica*, in quibus ea quæ sumuntur ad probandum, certitudinem metaphisicam sibi vindicant et sunt notiones quædam, ut motus, efficientia etc., desumptæ quidem a sensibilibus, sed a conditionibus materialibus abstrahentes. Arg. *physica*, quæ scilicet proxime nituntur principiis seu legibus physicis, sicut ordo et finalitas in mundo. Arg. *moralia*, quæ suppeditantur a quibusdam modis agendi, apud homines constantibus et generalibus, ut est cognitio obligationis moralis. Nos paucis exponemus illa notiora et faciliora, quæ S. Thomas, præsertim P. I, q. 2, a. 3, nobis offert, tamquam quinque *vias* perveniendi ad Deum.

Argumenta metaphysica enumerantur: Cineseologicum, ex motu, κίνησις, rerum, qui supponit primum movens immobile. *Cosmologicum,* ex ratione causæ efficientis, quatenus mundus apparet effectus alicuius primæ causæ improductæ. *Alloiologicum,* a voce ἄλλος = diversus, vel ἀλλοιόω = mutare, in quo, ex contingentia rerum mundanarum, Deus nobis innotescit ut ens necessarium. *Henologicum,* ἕν = unum, quo, ex gradibus et relatione entium, assurgimus ad unum principium supremum omnis entitatis et perfectionis. Ista sunt quatuor primæ viæ S. Thomæ. *Ideologicum*, sive *ontologicum*, quod innititur æternitate essentiarum rerum seu possibilium, prout in *ordine ideali* nobis apparent, ac proinde æternitate veritatum, et hinc arguit ens quoddam a se, positive æternum et immutabile, quod sit possibilium et veritatum necessarium ontologicum fundamentum, vera *causa sufficiens* immutabilitatis ipsarum. Placuit SS. Augustino et Bonaventuræ et placet plerisque recentibus, aliis tamen videtur non cogens, sed tantum utilis confirmatio aliorum argumentorum. — *Arg. physica sunt præsertim: Teleologicum*, a τέλος = finis, ex ordine et finalitate mundi, quæ ordinatorem infinite sapientem exigunt. Est quinta via S. Thomae. *Entropologicum* nititur lege *entropiæ*, ἐντροπή = conversio, et sic instituitur: Verificatur haec lex seu *processus*, quo omnis energia sensim mutatur in calorem et calor ipse tendit ad uniformem diffusionem. At cum hic processus non sit æternus, etenim neque energia, quæ in calorem vertitur est æterna, neque de facto mundus ad uniformem temperaturam pervenit, requirit primum motorem immobilem veluti causam sufficientem sui. *Arg. ex origine vitæ:* Si vita super terram non potuit semper adesse, neque potuit ex materia inorganica originem habere, iuxta *abiogenesim* seu generationem spontaneam, profecto admittenda est aliqua causa extramundana saltem ut causa vitae. — *Arg. moralia sæpe exhibentur: Eudæmonologicum*, ab εὐδαίμων = beatus, quod hoc *medio* utitur: existere debet *terminus* realis illius motus naturalis, quem nos tamquam præcipuum et absolutum experimur, ad summam veritatem et summum bonum. *Deontologicum* sive ethicum, a δέον = obligans, pro-

cedens a lege morali universali, æterna, absoluta et arguens Legislatorem supremum, infinitæ auctoritatis. *Ethnologicum*, ἔθνος = populus, super consensum et persuasionem omnium populorum fundatum. Aliqui tamen nolunt accipere hanc probationem ut *per se demonstrativam*. Traditionalistæ docebant notitiam certam de Dei existentia haberi posse solum ex revelatione per traditionem populorum servata, consequenter argumentum ex consensu populorum appellabant *arg. necessarium*, utpote a quo cetera pendeant. Sed contrarium verum est: videlicet hoc arg. alia ex rebus creatis præsupponit et in eis fundatur. — Ex effectibus supernaturalibus conficitur *arg. theologicum*. Vel unum miraculum Deum demonstrat, sed quot dantur mira in ordine physico et morali, quæ hominem bonæ voluntatis ad Deum attollere valent!

1. ***Prima et manifestior via est quae sumitur ex parte motus.***

In mundo multa entia moventur, seu acquirunt perfectionem, qua antea carebant. Atqui omne quod movetur ab alio movetur, hoc est, non habet perfectam sufficientiam se *totaliter* movendi; præterea in moventibus motis non est procedere in infinitum, nam, utcumque multiplicata serie moventium motorum, non habetur ratio sufficiens ipsius motus. Ergo deveniendum est ad aliquod ***primum movens immotum.***

Dices 1.° — Si omne quod movetur ab alio movetur, nihil in rerum natura movet seipsum, atque adeo nihil vivit. Resp. Sylv. Maurus, vol. 3 *de primo Motore:* « Sensus principii est *affirmativus*. Non enim negatur quod possit aliquid movere seipsum, *partialiter* concurrens ad suum motum; sed asseritur quod non potest movere seipsum *totaliter* et tamquam perfecta sufficientia, sed debet ab aliquo alio moveri, ut se moveat ».

Dices 2.° — Possum cogitare *movens* quod partes habeat, quarum altera moveat, altera moveatur. R. Pars quæ movet, vel et ipsa moveri dicitur, et deveniendum est ad motorem primum immobilem; vel nullo modo movetur, et stulte ponitur ut pars eius quod movetur: 1° quia quod ita movet, ut non moveatur, est ens, totum quantum est, actus; proinde habens totam essendi plenitudinem, et certe nequit esse pars entis quod movetur. 2° quia si ex penitus immobili et mobili fieri posset unum coalescens ex partibus, iam non esset primum movens. « Nam si diversa in aliquo uniuntur, necesse est huius unionis *causam* esse aliquam; non enim diversa secundum se uniuntur » II c. Gentes, 15.

Dices 3.° Possunt plura moveri cyclice, et causam sufficientem motus ex ipsa collectione virium accipere, non autem necessario a primo aliquo motore immobili. R. absque motore qui sit extra illam seriem, id esse impossibile. Nam motus sine initio repugnat. Iamvero in illa serie cyclica nullum potest incipere movere, quum singula non moveant nisi moveantur, ideoque ibi locum non habet insufficentia aliqua mere partialis, quæ cesset per concursum omnium illarum virium. *(Ex* Remer p. 320 *fere ad verbum)*.

II. ***Secunda via est ex ratione causae efficientis.***

Existit in rebus sensibilibus series et ordo causarum efficientium per se ordinatarum, i. e. dantur causæ inter se genere vel specie diversæ, ad invicem dependentes in ipsa ratione causandi, ac omnes necessario et actu influentes in effectum. Atqui in causis per se ordinatis procedi nequit in infinitum, secus neque explicatur efficientia causarum mediarum, neque existentia ipsius effectus. Ergo existit causa aliqua *prima*, causa causarum.

Dices. — Non videtur impossibilis processus in infinitum in causis efficientibus, sicut etiam mundus æternus. R. in causis per se ordinatis n. in causis per accidens ordinatis subd. dempta causa prima quæ sit extra seriem n. admissa causa prima extra seriem, transeat. Observa cum KLEUTGEN *de ipso Deo* n. 165: Si ponatur mundum semper fuisse, nihil sequitur, nisi non extitisse usquam causam primam eiusdem speciei, ex. g. nullam primam pirum, vel aquilam. Atqui de huiusmodi causa prima non quæritur. Etiamsi enim posuerimus, quod verum est, rerum universitatem in tempore fuisse conditam, adeoque cuiusque speciei aliquod individuum extitisse primum; hoc tamen non fuit causa prima nisi homogenea. Quæ cum non potuerit esse causa sui efficiens, admittenda est diversi generis causa, quæ sit prima simpliciter. Porro hanc concedat necesse est etiam qui series causarum homogenearum infinitas admiserit. Nam neque in singulis, sive causis sive seriebus causarum, neque in universis rationem sufficientem, per quam existant, inveniet... Sed in ordine causarum per se ordinatarum unam esse supremam, planum est.

III. ***Tertia via est sumpta ex possibili et necessario.***

Existunt contingentia seu entia mutabilia, nimirum quæ sunt, sed possunt non esse. Ergo existit primum ens per se necessarium, ex seipso determinatum ad esse et alia determinans. Revera si quidquid *actu* est, foret essentialiter contingens et possibile non esse, aliquando nihil fuisset actu in rebus. Quare aliquid eorum quæ sunt est necessarium, et quidem *per se*, secus iremus in infinitum.

Dices 1.° — Res existunt vi suæ non repugnantiæ. R. Non repugnantia rei est mera interna seu absoluta possibilitas ipsius, quæ non dicit *esse realem ullum*, sed tantum *obiectivum* in intellectu. Quare possibile *absolutum* est in potentia ad omne esse reale et non potest reduci in actum nisi ab eo qui actu est.

Dices 2.° — Si causatio mundi ponitur *necessaria*, habebitur *pantheismus*, si *libera*, non existit nexus necessarius inter existentiam Dei et existentiam mundi. Ita FROSCHHAMMER. R. Si ponitur causatio mundi *necessaria* ex parte mundi eo sensu, quod si mundus est, necessario a Deo causatus sit n. si ponitur causatio mundi necessaria ex parte Dei, ita scilicet ut, posito Deo, etiam mundus ponendus sit c. Item si causatio mundi est *libera*, non datur nexus necessarius ex parte mundi n. ex parte Dei, ita scilicet ut, si existit Deus, debeat existere et mundus c.

Dices 3.° — In affirmatione entis contingentis non continetur affirmatio entis necessarii. R. Continetur mediate et implicite. Nam contingens formaliter, seu immediate et explicite, dicit quod ita est ut possit non esse. Sed hoc ipso, mediate et implicite, appellat ens a quo recepit esse; quod ens non est aliud nisi necessarium. Remer p. 323.

IV. ***Quarta via sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur***

« Quum aliquid invenitur a pluribus diversimode participatum, oportet quod ab eo, in quo perfectissime (h. e. in summo seu infinito gradu) invenitur, attribuatur omnibus illis, in quibus imperfectius invenitur. Nam ea quæ positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex excessu remotiori vel propinquiori ad aliquid unum. Si enim unicuique eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur ». S. Th. III. *de Potentia* a. 5. Evidenter igitur suam perfectionem habent ab alio participatam. Et cum etiam hic non sit abire in infinitum, fatendum est illam perfectionem participatam esse ab *ente infinite* perfecto.

Dices 1.° — Illa perfectio potest intelligi participata, ex hoc quod recipitur in subiecto limitato. R. Si recipitur in subiecto, iam hoc subiectum est compositum ex potentia subiectiva et actu; ideoque mutabile, contingens, ab alio causatum.

Dices 2.° — Non videtur verum quod S. Th. dicit, hoc argumentum in Summa exponens: « Quod dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium quæ sunt illius generis » R. Tibi verum apparebit, si *a*) « in rerum generibus spectas perfectiones, quibus *genera* constituuntur, ut subsistere in mineralibus, vivere in plantis, intelligere in homine; et cum dicitur, *quod est maxime tale,* non intelligitur quod est maxime minerale, planta vel homo, id enim absonum esset; sed quod est maxime subsistens, vivens, intelligens; et similiter considerantur perfectiones accidentales, quod est maxime forte, sapiens etc. De quibus omnibus verissimum est, id quod est maxime tale, causam esse reliquorum ». Kleutgen l. c. n. 170. *b*) Consequenter si illum terminum *genus* intelligis non de *genere proprie dicto,* sed de *ordine* quocumque; maximum autem illius ordinis convenit cum aliis, quæ eamdem perfectionem participant, *analogice,* non univoce.

V. ***Quinta via sumitur ex gubernatione rerum.***

« In rerum *naturalium* universitate adest mirabilis ordo, nimirum apparet infinita varietas ac stupenda unitas entium, in proprium finem et in bonum universi continuo conspirantium. Atqui impossibile est ut *casu* infinita propemodum entia, quæ cognitione carent, tendant constanter *singula* in determinatum finem particularem, et *omnia* in finem universalem. Cum enim non cognoscant finem, non possunt se determinare in finem; et si ab alio non determinantur, nihil prorsus agunt: ab indeterminato enim nihil sequitur. Ergo necesse est admittere *ens*

aliquod *præditum intellectu*, quod, secundum exemplar prælucens, rebus naturalibus præstituit finem » (1).

Dices. — Datur absoluta possibilitas casualis compositionis ordinatissimæ, emergentis ex atomis volitantibus per spatium et agitatis tempore plus minusve longo. R. Nulla prælucente et dirigente idea, est impossibilis actio et proinde ordinatio quævis. Ergo atomi ex seipsis non solum non ordinantur in unum mirabile opus, sed nec moventur aut agitantur. Remer l. c. Quare manifeste vanæ sunt hypotheses illæ vel alicuius continuæ evolutionis *progressivæ et regressivæ* (quod ceteroquin adversatur experientiæ et *degradationi energiarum*) vel alicuius *nebulosæ*. Homo mente sanus semper inquirit: Undenam hæc omnia? quænam *causa* motus, ordinatæ evolutionis, vitæ in illa massa cosmica?

15. ***Multa adducuntur a Subiectivistis,*** cuiuscumque coloris demum sint, ad infirmandam vim horum argumentorum. Haec inter alia produntur: — 1) *legitima* conclusio quinque viarum nunquam est, aut esse potest hæc: existit, et quidem realiter, Deus personalis, subsistens intelligens, a mundo distinctus etc. et tamen thomistæ hoc contendunt; — 2) probationes istæ vel sunt de necessitate corroborandæ vel etiam totaliter substituendæ per argumenta mere interna et subiectiva, etenim, relate ad veritates præsertim religiosas et morales, magna pars competit voluntati, imo toti nostræ activitati morali; — 3) fundamentum argumentationum, videlicet principium causalitatis, est omnino fragile, vel quia gratis admitittitur, vel quia valor eius obiectivus iniuria asseritur aut sin minus exaggeratur. Ad hoc ultimum, bene novimus, tandem reducuntur omnes aggressiones Subiectivistarum.

Ad I^m. - Ex entibus mobilibus, ex causis efficientibus, ex contigentibus, ex rebus plus minusve perfectis, ex rebus ordinatis legitime et *immediate* deducitur realiter existere primum Motorem immobilem, primam Causam efficientem improductam, ens Necessarium per se, ens maxime Perfectum, supremum Gubernatorem: uno verbo, principium aliquod absolutum necessarium et intelligens. Ita revera sumitur nomen *Deus* in quæstione de eius *existentia*. Attamen conceptum Dei aliquid amplius continere quam idea causæ absolutæ, iam S. Th. indicavit, Scholastici adnotarunt, nec ad hoc requirebantur criticæ observationes Kant. Sufficit ergo meminisse, conceptus illos (utique indeterminatos, sed reales ac soli Deo proprios) postea evolvi ac perfici in quæstione *quomodo Deus sit*, et alios ex ipsis mediate ac legitime deduci (2). Ex. gr. in

---

(1) Remer p. 325.

(2) Nomine *Dei* in quæstione de eius existentia non intelligitur *principium* quoddam *transcendens* totum mundum, *creans ipsum* sed tantum quoddam *Movens non motum*, quamdam *Causam efficientem non productam* etc. Utrum enim Deus, sub his rationibus ontologicis demonstratus, sit *incorporens, transcendens* universum etc. determinare pertinet ad quæstiones *quomodo Deus sit*, aut *quomodo*

secunda via evidenter probatur causa incausata; hoc satis est contra atheos, hanc vero causam esse unicam alibi apparebit. In argumento teleologico per se concluditur solum ad supremum Ordinatorem; ulterius autem inquiritur utrum ipse causam habeat an non, utrum ipse possit esse aliquod intelligens *intrinsecum* mundo an non. Inde elucet quod unaquæque demonstratio in se sufficiens est, etsi non sit cuilibet tribuenda absoluta et plena evidentia, præsertim cum probationes existentiæ Dei tendant potius ad hanc ipsam clarificandam et confirmandam. Ex dictis etiam consequitur, allata argumenta nullo modo procedere a priori, nec in argumentum ontologicum incidere, ne partialiter quidem. Etenim totaliter fundantur supra entia sive facta *realia* et supra qualitates eorum: poterunt haec in dies melius explorari, nunquam exuent evidentem characterem *dependentiæ* a causa prima. Ens contingens realiter existens requirit ens necessarium reale; talis idea profecto obiectivum valorem habet, ideoque etiam illæ proprietates quæ in ea continentur. Vere igitur argumenta S. Th. valida sunt, dummodo convenienter proferantur (1).

Ad 2m. — Ratio adducta frequenter repetitur a defensoribus immanentiæ *vitalis* seu *psicologicæ*, qui ita nos alloquuntur: veritates omnes, morales et religiosæ, rationales et supernaturales, manare debent ab *esse* nostro intrinseco et a conscientia nostra; ad cognitionem Dei desiderium cordis et tota nostra natura, non pura speculatio, tendere debet; qua de re argumenta theorica sunt parvi facienda. — Sed hic latet nimia amicitia cum Criticismo Kantiano; partes voluntatis et elementi subiectivi in homine alterantur; intellectus atque obiectivitas eius cognitionis in discrimen adducuntur. Quæ omnia ita breviter declarantur: Relatio inter intellectum et voluntatem intima est ac constans; nostra iudicia et assensus, etsi elicita ab intellectu, a voluntate pendent; unde veritates, præcipue morales et religiosæ, latum subiectivum vere habent, ex dispositionibus et inclinationibus agentis, sicut fautores immanentiæ convenienter in maiori luce posue-

---

Deus non sit; et ista determinanda erunt de Deo, non ex sola conditione mundanarum rerum, sed præcipue ex conditione propria *Moventis non moti, Agentis primi,* cuius existentia ex ipsis mundanis rebus fuerit primo demonstrata. — Similiter per prædicatum *est* non intelligitur illud *esse* quo Deus in seipso subsistit, sed quod significat *compositionem* quam intellectus facit, adinvento prædicato in subiecto significat *actum* essendi vel *actualitatem,* communiter sumptam, quam Deo, scilicet rei cuidam conceptæ sub ratione *Moventis non moti* etc., res sensibiles convenire ostendunt, ac proinde quod Deus sit *res actualitatem habens* in ordine obiectivo. Lorenzelli *Philos.* v. 2, p. 451.

(1) Leibnitz (*Théodicée* I, 7) mutavit naturam argumenti thomistici, quia sic argumentatus est: Mundus est *contingens;* sed ratio sufficiens contingentis est *necessarium* et *æternum; ergo ponendum est necessarium et æternum extramundanum.*

runt. Et revera, quoniam veritates sæpissime non sunt immediatæ, voluntas applicat intellectum ad considerationem eorum, eumque assidue comitatur in investiganda veritate. Et si de existentia Dei agitur, voluntas bene disposita tum impedimenta removet, tum ipsi veritati seipsam et totum hominem conformat. Haec vera sunt, at inde minime sequitur, intellectum non posse ex seipso, per verum ratiocinium, Deum existentem invenire. Si hoc affirmas, naturam humanam et vires rationis deprimis. Et sane doctrina immanentismi etiam ex hac parte perniciosa est, quod cognitionem naturalem Dei evertit atque, nexum dependentiæ cognitionis nostræ a rebus debite non admittens, in scepticismum impellit. Scholastici arguunt utique interdum ex desiderio hominis naturali et universali; attamen per hoc nequaquam secundant suppositiones immamentismi, sed elementum subiectivum ac, generatim, vim argumentorum moralium aeque agnoscunt.

Ad 3^m. — Certe fundamentum semper est principium causalitatis. S. Thomas, Aristotelem sequutus, illud applicat proprietatibus universalibus omnium rerum; recentiores apologetæ præsertim, ipsum ad particulares classes et qualitates rerum restringunt et hac ratione occasionem habent bonis adinventis scientiarum fruendi. Adversarii fragile reputant vetus hoc fundamentum; nos vero contendimus principium causalitatis, eo quidem sensu quo a Scholasticis assumitur, magno hominum consensu gaudere, atque cuiuslibet scientiæ necessarium fundamentum esse. In commodum discipulorum nonnulla subnectimus, deprompta ex BALLERINI, *Principio di causalità.*

16. 1.° *Molti negano* il principio di *causalità* e dicono: non vi è vera causalità ma *successione e continuità* di fenomeni; tutto lo scibile si riduce al sensibile cioè a quelle cognizioni che possono essere controllate dall'esperienza, ossia ai fatti e ai fenomeni; *la scienza deve stare ai fatti*, il nostro sapere è *relativo* ai fenomeni, è impossibile penetrare le cose *in se*, conoscere *l'assoluto*, la sostanza, la causa.

Si risponde: negato il principio di causalità, ne va di mezzo *qualunque* scienza naturale, perchè la cognizione dei fatti diviene scientifica, solo quando la ragione scopre il *nesso* causale, che lega un fenomeno all'altro, il rapporto dinamico, la legge. Lo scibile non si esaurisce nei fenomeni; questi sono *visibili*, ma al di là vi è qualche altra cosa, che è *conoscibile*, come oltre il senso nell'uomo vi è la ragione, perchè egli non è un bruto; bisogna rintracciare la causa o forza dei fatti, spingersi *al di là*, come del resto fanno anche le scienze sperimentali, nell'usare l'induzione incompleta.

2.° *Molti gli negano ogni valore oggettivo.* È una creazione artificiosa della ragione per l'abitudine di associare i fenomeni che si succedono costantemente, come se il primo fosse causa del secondo; è un *giudizio,* ossia un dato della ragione, e non dell'esperienza, la quale sola ci dà l'ordine oggettivo e reale; come l'idea di causa, così quella di *sostanza* è priva di realtà oggettiva, e non ci sono che fenomeni e gruppi di fenomeni.

Si oppone: la genesi stessa del principio di causalità è prova del suo valore oggettivo e reale; non deriva dalla sola esperienza, come vuole l'empirismo, nè dalla sola intelligenza, come vuole l'idealismo; ma dall'una e dall'altra assieme, ossia la proposizione o giudizio « *ogni effetto,* vale a dire *tutto ciò che ha cominciato ad esiste re, esige una causa* » è un dato della ragione, quello invece di cui si vale la mente nel formare il giudizio è mandato dell'esperienza, giacchè contemplando coi sensi fenomeni e realtà che si succedono, l'intelletto scorge e ricava la nozione di dipendenza fra loro e quindi il *nesso di causalità.* Da questo appare anche la realtà oggettiva della sostanza, la quale non è altro che la causa produttrice o principio, onde scaturiscono le azioni e i fenomeni. Essa pure non cade sotto i sensi ma sotto l'intelletto.

3.° *Altri gli concedono valore oggettivo solo nell'ordine fenomenico.* Dicono che non ha valore metafisico, perchè entrambi i fenomeni, quello causa e quello effetto, debbono essere soggetti alla nostra osservazione empirica. Ma Iddio non è fenomeno, perciò non è possibile salire a lui dai fatti.

Si osserva: per essere certi che una cosa deriva da un'altra, non è necessario che tutte e due cadano sotto l'osservazione empirica; basta che il fatto o fenomeno, presente ai nostri sensi, ci manifesti la sua genesi o dipendenza da un antecedente: così ad es. si rivelano a noi cose in se invisibili, come la forza di gravitazione, l'anima, l'ingegno e così pure Iddio. Il fisico, come tale, perchè studia la realtà sensibile, non può rintracciare altra causalità che quella esistente tra i fatti stessi dell'ordine sensibile, tuttavia la *causalità,* per sè, non è cosa sensibile neppure nell'ordine empirico. Egli, nella sua deduzione, è guidato dalla medesima legge, che guida il metafisico; l'uno e l'altro usano un procedimento scientifico.

4°. *Altri infine gli concedono valore oggettivo oltre i fenomeni non però fuori di essi.* Sono i difensori dell'immanenza, i quali così si esprimono: I fenomeni suppongono un antecedente non fenomenico, un essere primitivo e assoluto che è posto a base dei reali finiti; ma questo è da cercarsi solo *dentro e sotto* i fenomeni. Esso non è causa efficiente bensì immanente, costitutiva e identica all'universo: è la materia, oppure le forze naturali, ovvero la materia e la forza insieme, come vuole il *monismo* sia fisico, sia idealistico. — Non si può affatto cercar la causa dei fenomeni *fuori* della loro serie.

Si osserva. — Ogni fenomeno suppone una causa o principio prossimo, da cui deriva, ma questo non è *l'Essere primo ed assoluto,* piuttosto è *un primo* relativo al fenomeno, è ciò che noi diciamo *la realtà sostanziale:* non è unico, bensì molteplice, temporaneo, prodotto, come lo provano le mutazioni sostanziali. Adunque per trovare l'Essere primo ed assoluto, ossia per trovare la causa di una serie di fatti, bisogna uscire da quella determinata serie, come per trovare la causa di un fatto solo, bisogna uscire dal fatto stesso. Del resto anche gli avversari cercano sempre fuori di ciascuna serie la causa dei fatti, p. e. la causa del primo uomo fuori dell'uomo. Per conseguenza la *serie totale* degli esseri naturali deve avere per causa un *sovra-naturale,* che è quanto dire: la causa prima deve trovarsi fuori di tutti i reali finiti, non è immanente, ma trascendente l'universo.

CAPUT II.

DE DEI ESSENTIA.

17. Sequitur quæstio: *quid Deus sit.* Ad eam solvendam tria quæri debent: 1° Utrum et quomodo haberi possit cognitio *propria* divinæ essentiæ; 2° in quo consistat hæc Dei essentia; 3° ex cognita divina essentia quinam falsi modi concipiendi Deum excludantur.

18. Quod ad primum, cognitio quidditativa Dei dupliciter accipi potest, vel ita *propria* ut opponatur *analogicæ* et est cognitio ex conceptibus immediatis, qui ipsam essentiam veluti in se visam proferant; vel ita *propria*, ut opponatur *communi* et est cognitio quæ licet efformata ex conceptibus mediatis et analogicis, satis Deum distinguat a ceteris omnibus entibus. Iamvero cognitionem Dei quidditativam, quæ propria sit sensu priore, asseruerunt Eunomiani (1) et asserunt Ontologistæ (2) nobis adhuc viantibus datam esse. Sed Patres cognitionem tantum analogicam de Dei essentia nobis nunc esse possibilem tuentur; quam sane doctrinam, uti unice catholicam, prima insequenti thesi proponemus et demonstrabimus.

---

(1) Ita dicuntur ab Eunomio, an. 360, ex secta Arianorum. Fundamentum erroris erat *esse abstractum,* quod primo et in omnibus apprehendimus, esse *ens divinum.* Ulterius statuebant, omnia Dei attributa ipsasque Personas unum idemque esse etiam nostro conceptu. Ex omnibus autem attributis præferebant illud *Ingeniti;* hinc excludebant, *Filium* esse Deum.

(2) Nomen accipitur ab *intuitu Entis.* Nam fundamentale principium huius doctrinæ est, aliquam immediatam Dei aut entis divini intuitionem esse intellectui humano naturalem et essentialem. Dicitur *immediata* i. e. excludens omne medium interpositum in ratione obiecti prius cogniti. Dicitur *aliqua* Dei intuitio, tum quia intelligitur solum habitualis et non explicite conscita, tum quia non intelligitur Deus in sua tota plenitudine visus, sed tantum sub ratione communissima *entis,* quatenus illud esse commune, quod in omnibus concipimus, sit vel ipsa divina *essentia* vel saltem ipsa divina *idealitas,* quamvis adhuc confuse et indeterminate concepta. Hinc duplex distingui solet Ontologismus, vel *realis* uti ille Lovaniensium, vel *idealis* uti ille Rosminii; verum quia in Deo non distinguitur eius idea ab eius entitate, ideo in idem reincidunt. Dicitur demum *naturalis* intuitio, quia habetur per vires naturæ, imo *essentialis,* quia in hac ipsa intuitione ipsum lumen intellectuale hominis consisteret.

19. Quod ad secundum advertas, duplici modo essentiam in rebus creatis accipi. Vel accipitur uti *complexus eorum omnium*, quæ sunt *necessario communia* singulis subiectis eiusdem ordinis et dici solet *essentia physica*, ad cuius analogiam essentiam Dei intelligimus constitutam *omnibus perfectionibus absolutis*, in oppositionem non ad accidentia, quæ nulla sunt in Deo, sed ad relationes internas notionesque trium Personarum. De hac essentia Dei totus tractatus agit. Vel etiam essentia accipitur pro nota illa, quæ, sive formaliter sive virtute, ceteras notas comprehendat, et hæc dicitur *essentia metaphysica*, quæ illud est, *quod primum in re intelligitur, utpote fons et principium omnium, quæ rei insunt* (1). — Quamvis in Deo, propter infinitam eius simplicitatem, non possimus distinguere essentiam metaphysicam eo modo, quo in creaturis intelligitur; hoc tamen non impedit, quominus pro modulo nostro inter *rationes* multiplices concipiendi quid Deus sit, assignetur aliqua, quæ sit instar *essentiæ*. Iamvero essentiam hanc metaphysicam alii ponendam putant in *infinitate radicali* seu in exigentia omnium perfectionum, alii in *intellectione actuali* sive in intellectu divino subsistente; communiter vero in eo sitam esse dicunt, quod Deus sit *ipsum esse subsistens* (2). Hanc sententiam tuebimur thesi altera.

20. Demum ex declarata huiusmodi divina essentia pronum erit ea deducere, quibus duo systemata, illaque absurdissima, destrui possint, *pantheismus* scilicet et *polytheismus*.

Porro pantheismi error ultimo nititur confusione Entis infinitae perfectionis cum ente abstracto. Quæcumque enim sit pantheismi forma vel materialis, vel realis, vel idealis, radix semper in eo est, quod Ens infinitum, ab æterno existens, non distinguatur ab illo *esse*, quod logice rebus commune est. Hinc tertia

---

(1) E. g. essentia metaphysica hominis in illa notissima definitione continetur, qua dicitur: *animal rationale*. Physicam eius essentiam profers aiendo, quod homo est tale compositum substantiale animæ et corporis, ut corporis aptis organis vivat et sentiat et loco moveatur, animæ vero spiritualibus facultatibus intelligat et libere velit.

(2) Multi essentiam Dei metaphysicam reponunt in *aseitate*, seu in hoc quod Deus sit *ens a se*. Re fere idem ac nos dicunt, attamen minus accurate loquuntur. Conceditur enim ex conceptu creaturarum, quæ sunt ens ab alio, *primo* efflorescere conceptum Dei ut entis a se, verunt superest inquirendum cur Deus sit *ens a se*, et responderi debet, quia est *ipsum esse subsistens*.

thesi vindicabimus, Ens, quod est Deus, omnino distingui ab ente universali.

Polytheismus, cui etiam dualismus adnectitur, error fuit gentilium, qui multiplicitatem deorum sibi finxerunt. Videbimus alia thesi quod plenitudo entis, propria Dei, omnem multiplicitatem excludit.

Thesis IV. — *Divina essentia nullo modo a nobis hic cognoscitur mentis intuitu in se ipsa, sed per analogiam ex præcognitis perfectionibus creaturarum: idque notionibus, quæ simul sint per affirmationem, negationem, eminentiam.*

21. ***Declaratio.*** — Thesis est de modo nostræ cognitionis, quid Deus sit; et duas partes continet. Prima et principalis est, nobis in hac vita nullam dari cognitionem divinæ essentiæ immediatam et intuitivam, sed omnem nostram de Deo cognitionem esse mediatam et analogicam, seu constare notionibus derivatis non ab ipso Deo, in se viso, sed ab eius effectibus, qui eum a longe adumbrant per quandam proportionem et similitudinem. Diximus autem, cognitionem huiusmodi de Deo immediatam nobis possibilem esse *nullam* et divinam essentiam sic immediate a nobis cognosci *nullo modo* posse, ad excludendam quamcumque attenuationem, sub qua Ontologi suum proponunt Dei intuitum. Sive enim veteres Eunomiani sive recentiores Ontologi intuitionem Dei, quam nobis asserunt naturalem, non dicunt esse plenam et beatificam, sed tantum initialem et sub conceptu entis simpliciter, sive realis sive idealis. Iamvero intuitum qualemcumque Dei vel entitatis divinæ hic omnino excludimus duplici decreto innixi S. Sedis, tum quo an. 1861 proscriptus fuit ontologismus realis Lovaniensium, tum quo an. 1887 damnatus fuit ontologismus idealis Rosmini (1). Ceterum hæc doctri-

(1) Ex septem propositionibus an. 1861 damnatis 1ª sic effertur: *Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.* Ad quam conferri iuvat 4ª sic iacens: *Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia omnem etiam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.*

Inter XL propositiones an. 1877, 14 Dec. damnatas Decreto *Post Obitum,* huc pertinent præsertim septem priores, in primis autem hæc sub. n. 1.° *In ordine*

na, facili argumentatione, sequebatur etiam ex opinione in Conc. Viennensi damnata: *Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum atque beate fruendum.*

Altera pars theseos pertinet ad distinctius explicandum ex quibus notionibus resultet, vel etiam quibus viis comparetur, ea analogica cognitio, quam hic de Deo habere possumus. Notiones scilicet, quibus Deum apprehendimus, sunt tum *affirmantes*, tum *negantes*, tum quæ *secundum excessum* appellantur; ex quibus modis apprehendendi Deum quilibet alios duos simul implexos continet.

22. ***Prima pars.*** — *Divina essentia nullo modo a nobis hic cognoscitur mentis intuitu in se ipsa, sed analogice ex creaturis.*

I. Ex S. Scriptura. — Ex ss. Scripturis distincte ea duo constant, quæ invicem connexa in hac prima parte asseruntur, et *primum* quidem (nostram de Deo cognitionem non esse immediatam) ex Ioanne dicente: *Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I. Io. III, 2). Itaque videre Deum *sicuti est* non pertinet ad hanc vitam et est maxime supernaturale, quippe est fructus divinæ adoptionis, quæ supra naturam est et est causa futuræ transformationis in Deum qua modo excellentiore *similis ei erimus*. Atqui cognoscere quomodocumque Deum immediate esset videre Deum sicuti est. Cum enim in Deo nulla sit compositio, hinc nequit aliquid Dei immediate cognosci quin tota eius essentia in se ipsa videatur (1). Ergo cognoscere quomodocumque Deum, etiam solum secundum communem entitatem aut idealitatem, est aliquid prorsus supernaturale nobis viantibus nullatenus datum. Exinde sequitur *secundum* (nostram cognitionem esse imperfectam et impropriam) disertius expressum a Paulo: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus. Videmus nunc per speculum* (per similitudines) *et in enigmate* (obscure et analogice): *tunc autem facie ad faciem* (I. Cor. XIII, 12).

---

rerum creatarum immediate *manifestatur humano intellectui* aliquid divini in se ipso, *huiusmodi nempe quod ad divinam naturam pertinet.* Quæ et declaratur a prop. 4.ª *Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.*

(1) Suarez. *De ultimo fine,* disp. 16, lect. 2, n. 5.

II. Ex Patribus et ratione. — Hanc porro doctrinam vindicarunt Patres contra Eunomianos, uti S. Basilius, Gregorius Naz., Gregorius Nys., Chrysostomus, Cyrillus Alex., Theodoretus; idque plena tractatione, cuius capita potissima hic volumus recensere.

1.° *Generatim* affirmant, quid Deus in se sit, non intelligi, nisi cognitione quadam admodum imperfecta, idque ex eo, quod ad cognitionem perfectionum divinarum non pervenimus nisi ex perspectis perfectionibus creaturarum. *Nihil ad nos,* ait Nazianzenus, *in hac vita pertingere* (de Dei notitia), *nisi exiguum quemdam rivulum; ac velut parvum magnæ lucis radium.* Et paulo inferius: *Omnis humana ac terrena scientia* (utique de Deo) *nihil supra specula et ænigmata esse a Paulo statuitur; utpote quæ id exiguis veritatis simulacris tota consistit* (1). Et Basilius: *Nos autem ex efficientiis Deum nostrum novisse dicimus, ad essentiam autem eius accessum non pollicemur. Efficientiæ enim eius ad nos descendunt, essentia autem manet inaccessa* (2).

Nec porro ex Patribus alia est ratio cognitionis, quam Dei habemus per fidem. Ii enim manifesto loquuntur de quovis modo cognitionis, ad quam in præsenti statu pertingere possumus. Ceterum quandoque diserte declarant, neque in revelatione ipsam Dei essentiam exhiberi videndam, dum per fidem et non per speciem ambulamus. Si vero revelatione plures quidem et excellentiores notiones de Deo didicimus; hæ tamen nobis Deum manifestant *modo nobis accomodato,* scilicet semper per *analogiam. Si enim,* inquit Nyssenus, *nomina aliqua ad declarationem divinæ cognitionis didicimus* (per patriarchas, prophetas et apostolos), *hæc omnia communionem habent et analogiam cum nominibus, quæ proprietatem alicuius hominis demonstrant* (3). — In hunc sensum citant Paulum dicentem: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus,* i. e. etiam in cognitione supernaturali fidei.

2°. Ut vero generalem affirmationem veluti *facto* comprobent, Patres examinant ipsos conceptus nostros, quos de Deo habemus, atque de his ita docent: = Conceptus nostri de Deo, quos tum ratione tum fide didicimus, vel sunt affirmantes vel negantes. Si *affirmant* aliquam perfectionem, eam vel in concreto affir-

---

(1) *Orat.* 34.
(2) *Ep.* 234 *ad Amphilochium.*
(3) *Contra Eunom.* l. XII, p. 319. — Cf. II *Cor.* V, 7; I^a Jo. II. 3; I^a *Tim.* VI, 16.

mant et exhibent subiectum veluti perfectione imformatum, scilicet ut sapiens, ut iustum, etc., vel eam affirmant in abstracto et exhibent perfectionem veluti formam, quæ postulat esse in subiecto, uti sapientiam, iustitiam, etc. Atqui haec omnia solum in creatis hoc modo se habent: quippe Deus nec est subiectum sub forma perficiente, nec est forma abstracta, sed est sapientia substantialis, quæ simul sit omnis alia perfectio in summa simplicitate. Igitur conceptus nostri, quibus Dei perfectiones affirmamus, eas exhibent *non quomodo* in Deo reapse sunt. Ita pariter de conceptibus *negantibus*, quibus imperfectio in Deo negatur. Hi porro non repræsentant Deum, uti in se est, sed exhibent imperfectiones, quæ sunt in creaturis, illæque de Deo negantur, quia intelligimus imperfectionem in Deo nullam esse. Hanc doctrinam totidem verbis exprimunt Patres. Legi posset, speciminis gratia, oratio 34 Gregorii Nazianzeni (1).

3.° Præterea Patres, ad funditus convellendam eunomianam opinionem, *plenam exhibent theoriam cognitionis humanæ,* ea principia statuentes, quæ postea S. Thomas et Scholastici excoluerunt. Docent *a*) modum nostrum cognoscendi in præsenti vita a sensibilibus incipere. Inde enim inferunt naturam Dei, cum cognosci debeat ex præcognitis effectibus, quomodo in se est, apprehendi non posse, quia effectus et creata omnia sunt plane alterius rationis (effectus *æquivoci* non *univoci*) virtutemque divinæ causæ non adæquant. Hanc rationem, velut principem, quæ sumitur ab obiectis, unde incipit nostra cognitio, S. Thomas multis in locis explicat (2). Iidem PP. *b*) declarant hunc modum

(1) Franzelin, *De Deo,* th. X.

(2) Ex. g. *In Böet. Trin.* lect. II, q. 2, a. 3. « Immediate ferri non potest intellectus noster, secundum statum viæ, in essentiam divinam et alias separatas essentias, quia immediate extenditur ad phantasmata, ad quæ comparatur sicut visus ad colorem, ut dicitur 3 de anima; et sic immediate potest concipere intellectus quidditatem rei sensibilis, non autem alicuius rei intellectualis... Sed quædam invisibilia sunt, quorum quidditas et natura perfecte exprimitur ex quidditatibus rerum sensibilium notis et de talibus intelligibilibus possumus scire *quid est,* sed mediate (e. g. *quid sit vita,* intelligimus ab eo, quod in animali *vivere* dicimus)... Naturæ autem sensibiles intellectæ non sufficienter exprimunt divinam essentiam neque etiam aliquas essentiam separatas, cum non sint unius generis naturaliter loquendo; et quidditas et omnia huiusmodi nomina fere æquivoce dicuntur de sensibilibus et de illis substantiis... et sic per viam *similitudinis* non sufficienter illæ substantiæ ex his innotescunt. Neque etiam per viam *causalitatis,* quia illa, quæ ab illis substantiis inveniuntur effecta in his inferioribus, non sunt effectus adæquantes eorum virtutes, ut sic perveniri possit ad sciendum *quodquid est* (το

nostræ cognitionis ex ea ratione, quod cognitio quaevis est secundum modum cognoscentis, cuius ea est vitalis actus. Nos sumus natura composita, et quidem in ipsa per se anima, quæ potentia èt actu constat: hinc omnia, et etiam *Esse* infinitum, intelligimus ad proportionem et analogiam huius nostri *esse* compositi et non prouti in se est omnis simplicissima perfectio. Hoc sensu Patres solent docere, *mensuram* cognitionis Dei esse in nobis (1). Hanc quoque rationem, quæ a subiecto ipso cognoscente sumitur, sæpe exponit S. Thomas (2).

4.° Ultimo contra recentes Ontologos adnotasse præstat, quod huic Patrum doctrinæ nullatenus repugnat sententia S. Augustini, qui sæpius repetit, nos omne verum quod videmus, videre *in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate* (3). Etenim eam sententiam interpretatur S. Thomas non quatenus immediate ipsam veritatem, quae Deus est, videamus et in ea præcognita veritates alias omnes videamus; sed quatenus substantialis illa Veritas et Sapientia est *causa et exemplar tum omnium cognoscibilium, tum luminis rationis in cognoscente;* proindeque Deus est lumen rerum cognoscendarum et lumen mentium, non *formaliter*, sed *efficienter* et *exemplariter* (4). Hanc ipsius Augu-

---

τι ἡν εἶναι) de causa. Unde de substantiis illis immaterialibus, secundum statum viæ, nullo modo possumus scire *quid est* (conceptu proprio, sed tantum analogo), non solum per viam naturalis cognitionis, sed nec etiam per viam revelationis, quia divinæ revelationis radius ad nos pervenit secundum modum nostrum, ut Dionysius dicit. Quamvis enim per revelationem elevemur ad aliquid cognoscendum, quod alias nobis esset ignotum, non tamen ad hoc, ut alio modo cognoscamus nisi per sensibilia... Et sic restat, quod formæ immateriales non sunt nobis notæ cognitione *quid est,* sed solum cognitione *an est,* sive naturali ratione ex effectibus creaturarum sive etiam ex revelatione, quæ est per similitudines a sensibus sumptas ».

(1) Dionys. *de div. nom.* c. I, § 1.

(2) *Sum theol.* I, 12, 4, ubi ex principio quod « cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ » concludit quod « cognoscere ipsum Esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati; quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum ».

(3) *Confess.* l. XII. c. 25.

(4) « Augustinus (Quæst. l. 83, q. 46) posuit loco idearum, quas Plato ponebat, rationes omnium creaturarum in mente divina existere, secundum quas omnia formantur, et secundum quas etiam anima humana omnia cognoscit. Cum ergo quæritur, utrum anima humana in rationibus æternis omnia cognoscat, dicendum est, quod aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter: uno modo sicut in obiecto cognito (*formaliter*), sicut aliquis videt in speculo ea, quorum imagines in speculo resultant; et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus

STINI esse doctrinam ex disertis eius verbis apparet. Nam constanter docet, non aliam hic nobis possibilem esse Dei cognitionem, quam mediatam et analogicam ex præintellectis perfectionibus ordinis creati eamque laboriosam, et in eo ponit distinctionem mentis nostræ ab angelica mente, quod hæc e contra res ipsas creandas prius videat in ipso Verbo Dei, seu in ideis exemplaribus. *Mens humana*, scribit, *prius hæc quæ facta sunt, per sensum corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: et deinde quærit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter et incommutabiliter permanentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia eius per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere. Quod quanta tarditate ac difficultate agat et quanta temporis mora propter córpus corruptibile, quod aggravat animam, etiam quæ ferventissimo studio rapitur, ut istanter et perseveranter hoc agat, quis ignorat? Mens vero angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut præcederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda quam facta sunt... quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quae vespera dicta est* (1).

23. ***Secunda pars.*** — *Essentiam Dei cognoscimus per causalitatem, remotionem, eminentiam.*

æternis, sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia beati, qui Deum vident et omnia in ipso. Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio *(efficienter* et *exemplariter)*; sicut si dicamus, quod in sole videntur ea, quæ videntur per solem: et sic necesse est dicere, quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam *participata similitudo* luminis increati, in quo continentur rationes æternæ... Quod autem Augustinus non sic intellexerit, omnia cognosci in rationibus æternis vel in incommutabili veritate, quasi ipsæ rationes æternæ videantur, patet per hoc, quod ipse dicit in l. 83, qq. (l. c.), quod *rationalis anima non omnis et quæcumque, sed quæ sancta et pura fuerit, asseritur illi visioni,* scilicet rationum æternarum, *esse idonea,* sicut sunt animæ beatorum ». *Sum. theol.* P. I, 84, 5; cfr. infra q. 88 a. 3. ad 3. « Propter Deum alia cognoscuntur non sicut propter primum cognitum sed sicut *propter primam cognoscitivæ virtutis causam* ». Item *C. G.* l. III, c. 47; *De veritate,* q. 10, a. 11 ad 12 et alibi. Cfr. FRANZELIN Th. XI; KLEUTGEN, *Filos. Ant.* n. 57 et seq.

(1) *De Genes. ad lit.* l. IV, n. 40, 41, 49. Ibidem, c. 23, duplicem cognitionem Angelorum considerat: beatam qua res vident in Verbo et *diurnam* vocat; inditam seu infusam, qua res vident in seipsis et *vespertinam* appellat; illa multo clarior est. — V. etiam *De vera Rel.* n. 52-67; *Confess.* VII, c. 17.

Demonstratur. — Prædescriptus modus noster cognoscendi *mediate* et *per aliud* Dei essentiam fit tripliciter, *affirmando* perfectiones, quarum ideam ex Dei operibus concipimus, *negando* imperfectiones, quibus afficiuntur sive creaturae etiam perfectissimæ sive ipsæ obiectivæ nostræ ideæ etiam perfectionum simpliciter simplicium, denique *superelevando* in infinitum quidquid, sive affirmando sive negando, de Deo praedicamus. Hunc triplicem modum cognoscendi Deum ex ipso Paulo S. Thomas desumit scribens: Hæc autem tria, *invisibilia* Dei, sempiterna eius *virtus* et *divinitas*, quæ Paulus (Rom. 1) nominat, referuntur ad tres modos cognoscendi supradictos: nam invisibilia Dei cognoscuntur *per viam negationis ;* sempiterna ejus virtus *per viam causalitatis* ; divinitas *per viam excellentiæ* » (1).

Verum sedulo advertendum est, commemoratas cognoscendi rationes invicem connecti et in unaquaque alias includi. Quando enim *a*) *affirmamus* de Deo perfectiones non modo mixtas sed etiam simplices, uti e. g. *sapientiam* et *iustitiam* (2) ; tum subintelligimus simulque significamus perfectionem eam in Deo non ita se habere ut nos illam concipimus (en *negatio*), sed longe *eminentius*, quod fere indicamus appositis superlativis, unde dicimus, Deum esse sapientiam *infinitam, verissimam*, vel esse *suprasapientem*, etc. Pariter *b)* quando aliquid in Deo *negamus*, nihil perfectionis ab eo excludimus, sed tantum aliquem defectum in absoluta perfectaque realitate denegamus, atque adeo negationes huiusmodi sunt negationes negationum seu efficacissimæ *affirmationes.* Cum autem perfectio hoc modo affirmata confuse a nobis concipiatur ; hoc ipso intelligimus, eam esse in Deo supereminentius, quam ea a nobis intelligatur et dicatur. In hisce igitur negationibus supponitur notio *affirmans* confusa tamen, et includitur notio *per eminentiam. c)* Denique in notionibus

---

(1) Lect. 6 *in Rom.* I, 19 ; in *Boët. Trin.* procem. q. 1, a. 2 ; *Sum. th.* I, 12, 12 ; qua in doctrina secutus est Patres et ipsam S. Scripturam, quæ *causalitatem* indicat Ps. XCIII, 8 ; Rom. I, 18 ; *excellentiam* Sap. XIII, 3 ; Matth. VII, 11 ; *negationem* Is. XL, 12.

(2) Perfectiones *simplices*, vel *simpliciter simplices*, illæ dicuntur quæ in sua ratione formali nonnisi perfectionem dicunt et proinde nullam involvunt imperfectionem, uti *bonitas, sapientia*, unde prædicantur de Deo *eminenter* et etiam *formaliter:* vocantur *mixtæ*, aut *secundum quid simplices*, quæ in suo conceptu cum perfectione quam dicunt, imperfectionem aliquam involvunt, ut est *ratiocinari, sentire, moveri.* Non sunt convenientes *enti, ut enti ;* ideoque nequit dici de qualibet ipsarum : *melior ipsa quam non ipsa ;* dicuntur ergo de Deo solum *eminenter.*

eminentibus, cuiusmodi a PP. græcis adhibentur *superessentia*, *supersapientia*, forma ipsa nominum ostendit, et *affirmari* in Deo perfectionem, et simul *negari* in eo esse secundum modum, quo nos eam concipimus (1). Ergo tres illae cognoscendi rationes non sunt invicem disiunctæ, sed semper una ratio *directa* reliquas duas includit *in obliquo*.

Patrum doctrina, qua declarant hunc triplicem cognoscendi modum, legi potest apud PETAVIUM, l. I, c. V, n. 5 et seq. Eam DIONYSIUS brevi complectitur aiens quod Deus sit: *Omnium positio* (perfectionum affirmatio) *et omnium ablatio* (negatio), *super omnem et positionem et ablationem* (eminentia) (2). Ab eodem vero Dionysio aliisque Patribus ratio negans cognoscendi Deum anteponitur affirmanti; quo amplius enim et profundius intelligimus Deum a nobis non posse cognosci, eo verius et profundius intelligimus perfectionem Dei (3). Negatione autem triplici relate ad Deum uti solemus; negamus scilicet omnem imperfectionem, perfectiones mixtas quatenus imperfectionem in se continent, ipsas perfectiones simplices secundum eum modum, quo nos eas percipere possumus.

COROLLARIA.

24. Notionibus multiplicibus nobis opus est, ut Deum, quid sit, quadantenus intelligamus.

Perfectiones enim creaturarum, ex quibus intelligimus Deum, quid sit, sunt multiplices; et licet singulæ adumbrent ex parte

---

(1) S. THOMAS. *De potent.* q. 7. a. 5, ad 2. « Tripliciter ista de Deo dicuntur primo quidem *affirmative* ut dicamus, *Deus est sapiens*, quod quidem de Deo oportet dicere propter hoc, quod in eo est similitudo (exemplar) sapientiæ ab eo fluentis; quia tamen non est in Deo sapientia, qualem nos intelligimus et nominamus, potest vere negari, ut dicatur, *Deus non est sapiens*. Rursum quia sapientia non negatur de Deo, quia ipse deficiat a sapientia, sed quia supereminentius est in ipso quam dicatur aut intelligatur, ideo oportet dicere, quod *Deus sit supersapiens* ».

(2) Παντων θεσις και παντων ἀφαιρεσις το ὑπερ παντων και θεσιν και ἀφαιρεσιν *De Div. nom., c. 2.*

(3) Cf. LESSIUM, *De Perf. Div.*, l. I, c. 3, 4. Hoc sensu explicari potest ille *ignotus modus* contemplandi Divinitatem, de quo loquitur DIONYSIUS, c. I *Mysticæ theologiæ*: « Tu vero, o care Timothee, intentissima contuendis spectaculis mysticis exercitatione, et sensus relinque et intellectuales operationes et omnia sensibilia et intellectibilia, et omnia quæ sunt, et quæ non sunt; et ad unionem Eius, qui super omnem essentiam et notionem est, quantum fas est, *ignoto* modo attollere ».

perfectionem causæ exemplaris et efficientis, non tamen singulæ nec omnes simul Deum adæquate exprimunt. Multiplicibus conceptibus multiplicia nomina respondent, sed sicut omnes nostri de Deo conceptus deficiunt ab adæquata cognitione, ita omnia nomina, quæ Deo tribuimus, deficiunt ab adæquata significatione (1).

25. **Licet obiectum respondens his multiplicibus notionibus unum sit in se simplicissimum, tamen notiones ipsæ inter se sunt diversæ.**

Scilicet exhibent idem in se *Esse* divinum, at secundum diversas rationes. Diversitatis huius *fundamentum* est in ipsa Dei infinita perfectione, *necessitas* ex nostræ intelligentiæ imperfectione. Summa enim Dei perfectio est virtualiter multiplex, quia una eademque modo eminentissimo æquivalet pluribus perfectionibus, quæ in creatis sunt inter se distinctæ et diversæ. Imperfectio vero intellectus nostri ea est, qua cogimur videre Deum per has distinctas creaturarum perfectiones, veluti per multas similitudines Dei deficientes. Hinc nomina, quibus notiones ita diversæ exprimuntur, non sunt omnia synonyma (2).

26. **Non ideo falsa nostra de Deo cognitio.**

Veritas enim et falsitas non est in ideis per se, sed in iudiciis. Iam age, non iudicamus perfectiones in Deo esse secundum modum, quo nos eas concipimus; sed intelligimus, a nobis eas concipi non posse secundum propriam rationem, qua in Deo sunt. De Deo scilicet affirmamus *rem* perfectionis, sed negamus *modum*, qui creaturis tantum competit (3). Hinc per *eminentiam* velut corrigimus nostras de Deo cognitiones, non tamen quia sint *falsæ*, sed quia *imperfectæ* sunt.

Dicit hanc unionem fieri, *ignoto modo*, quia non fit contemplando aliquam formam vel rationem a nobis conceptibilem, ut vitam, sapientiam, potentiam, etc., sed fit ablatione omnis formæ, considerando Deum, omni forma, quæ a nobis concipi queat, esse eminentiorem. Ita locum explicat etiam S. Thomas, *In Boët. Trin.*, prooem. q. 1ª a. 2 ad 1.

(1) S. Thomas, *Sum. Teol.* I, q. 13, a. 1. S. Augustinus, *De div. nom.* c. I. habet: « Omnia possunt de Deo dici et nihil digne dicitur de Deo. Nil latius hac inopia. Quæris congruum nomen? non invenis: quæris quoquo modo dicere? Omnia invenis ».

(2) S. Thom., *De Potent.*, q. 7, a. 6; *Sum. theol.* I, q. 13, a. 4.

(3) S. Thom., *Sum. theol.* I, q. 13, a. 3.

27. **Ordine logico prius concipimus perfectiones in creaturis, quam in Deo; contra, ordine ontologico, perfectio primum et principaliter est in Deo quam in creaturis.**

Nostra enim cognitio Dei est ex creaturis, sed realitas creaturarum ex Deo est. Hinc etiam nomina « quantum ad *rem significatam*, per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia a Deo huiusmodi perfectiones in creaturis manant; sed quantum ad *impositionem nominis*, per prius a nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus » (1).

SCHOLIA.

28. *Visio Dei exteriore vel interiore sensu impossibilis.*

Id consequitur ex eo quod, Deus est spiritus, et quod nulla potentia ferri potest extra suum obiectum. Sic argumentatur S. Thomas: omnis potentia sensitiva « est actus corporalis organi. Actus autem proportionatur ei, cuius est actus. Unde nulla huiusmodi potentia potest se extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus est (ut infra dicetur). Unde nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu » (2).

29. *Intellectualis visio Dei immediata naturaliter est impossibilis cuique intellectui creato, sed tantum donatur creaturæ in ordine supernaturali per lumen gloriæ.*

Doctrina Patrum in hac re etiam ex dictis apparet, eamque compendio repetit S. Thomas: « Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.... Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit *suum esse subsistens*.... Relinquitur ergo, quod cognoscere *ipsum Esse subsistens* sit connaturale soli intellectui divino et quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum *esse*, sed habet *esse* participatum » (3). Non excluditur tamen, sed supponitur id, quod manifeste in revelatione proponitur et promittitur, vide-

(1) S. Thom., *Sum. theol.* I. q. 12, a. 6.
(2) S. Thom., *Sum. theol.* I. q. 12, a. 3.
(3) S. Thom., *Sum. Theol.* I, q. 12, a. 4.

licet Deum creaturas suas rationales evehere voluisse ad immediatam beatificam visionem sui, ad quam mens creata beatorum elevatur per illud supernaturale adiutorium, quod aiunt *lumen gloriæ*. Sed de his in tractatu de *Novissimis*.

30. *Visio Dei comprehensiva est etiam beatis impossibilis.*

« Unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est *ens* actu. Deus igitur, cuius *esse* est infinitum, infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. In tantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, in quantum maiore vel minore lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum, in quocumque intellectu creato receptum, non possit esse infinitum, impossibile est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat. Unde impossibile est Deum comprehendere » S. Thomas, I, q. 12, a. 7.

Thesis V. — *Deus est ipsum esse subsistens, in hoc autem essentia Dei metaphysica contineri videtur.*

31. ***Declaratio.*** — Dicendo quod Deus est *ipsum esse subsistens* significatur quod est existentia ipsa, realis et concreta, non recepta in aliqua essentia a se distincta, non *in alio* sed *se ipsa subsistens*, non limitata sed in tota plenitudine essendi. Aliis verbis: Deus est *ipsum suum esse in tota plenitudine essendi*, proindeque ens necessario existens in plenitudine perfectionis.

Iamvero thesis duo ponit demonstranda: 1° Deum esse *ipsum esse subsistens* sensu exposito, ad quem reduci poterit sive *Ens absolutum* recentiorum, sive *Esse simpliciter* scholasticorum (1); 2° in hac subsistentia actus essendi essentiam Dei metaphysicam merito collocari. Primum est veritas fidei in Scripturis ipsis et Patribus, uti videbimus, evidentissima; alterum est theologica conclusio communior, quam ut veram breviter demonstrabimus et quae ideo praeferenda est aliis, quae in hac re proferuntur, sententiis (2).

---

(1) Kleutgen, *Filos. antic.*, n. 542 et seqq.

(2) Nominalibus placet essentiam divinam constitui per collectionem omnium perfectionum, in qua collectione diximus essentiam physicam contineri. Scotistæ eamdem collocant in infinitate radicali seu in exigentia omnium possibilium perfectionum. Alii etiam ex thomistis, inter quos Billuart, eam ponunt in supremo gradu intellectualitatis Deo convenientis. Porro in ipsa summa necessitate et plenitudine

32. *Praenota.* — *De nominibus Dei.* — Primum ens, omnium causa, latine dicitur *Deus* et *Dominus*, græce Θεός et Κύριος, hebraice *Adonai*, *El* cum plurali maiestatico *Eloim*, quod poëtice scribitur *Eloach* et *Iehovah* seu melius, ut modo ab eruditis legitur, *Iahve;* quibus nominibus absolutis adiectiva aliquando copulantur, ut cum dicitur *Elion Schaddai, Kadosch, Zebaoth.* Iamvero Deus, ex sanscrito *Deva* a radice *dyer* (lucem) vel *div* (lucere) derivatus, supremum ens exhibet, utpote qui est *lux vera*, quae illuminat omnem hominem, quique lucem inhabitat inaccessibilem. — *Dominus* vox est latina exprimens dominium seu proprietatem rei, et dicitur de Deo, quia omnium creator et gubernator, unus est verus et absolutus mundi possessor. — Θεός probabilius est a Θεᾶσθαι (providere) Deumque exhibet, qui scientia omnia cognoscit et providentia omnia gubernat. — Κύριος idem est quod *Dominus* et de solo vero Deo enuntiatur. — *Adonai* in Scripturis et maxime in Pentateuco, per antonomasiam dicitur de Deo vero; plurali maiestatico ex *'Adon = haerus, possessor* derivatum, ideam exhibet creatoris et Domini omnium. — Et diversimmode explicatur: probabilius ex verbo *'Ul = potens fuit* derivatum, Deum præbet ut omnipotentem. — *Eloïm* et *Eloach* sunt formæ ex *El* derivatæ, quæ etiam de falsis diis enuntiantur. — *Iahve* est nomen incommunicabile, cui reverentiæ causa in Scripturæ lectione hebrei substituebant *Adonai.* De *origine* huius nominis non conveniunt Auctores: quidam ex verbis Exodi putant primum revelatum fuisse Moysi in monte Horeb; alii *a)* ex contextu testimonii Exodi, *b)* ex etymologia vocis, et *c)* ex nominibus, quae ante Moysen ex *Iahve* sunt composita, æstimant a prima antiquitate fuisse notum, Mosaico vero tempore eius significationem eventu esse comprobatam. Quod vero attinet ad nominis *significationem*, omnes concedunt derivari a verbo *haiah* vel melius ab antiqua forma *havah = fuit;* sed alii explicant de esse *mere historico*, alii lege conversionis (praeteriti in futurum), explicant de *ineffabilitate* Dei, alii ex forma *hiphil*, quæ notionem causalitatis imbibit, explicant de Deo prout *esse facit* res, unde concludunt ad notionem *creatoris*, alii tandem intelligunt de esse *existentiæ*, quasi Deus sit ille, cuius essentia est *esse* seu existere. Hæc ultima sententia tum proprietate linguæ, tum auctoritate Patrum et interpretum uti *vera* et *certa* est retinenda. Porro ex notione τοῦ *esse* existentiæ (τοῦ ὄντος) proxime sequitur ratio *immutabilitatis* et consequentis *fidelitatis* in promissarum adimplemento. Hinc, quia ordo supernaturalis divinis *promissis* innititur, ulterius nomen *Iahve* Deum exhibet *auctorem ordinis supernaturalis*, quapropter in Scri-

---

essendi tum exigentia omnium perfectionum tum ipsa perfectionum collectio fundatur: perfectiones vero ipsas si investigemus easque invicem comparemus, apparebit inter omnes gradus entitatis maximum esse *intelligere.*

ptura præfertur cum de redemptionis opere agitur. — Quod attinet ad adiectiva, *Elion* significat Deum *altissimum, Schaddai* Deum *omnipotentem* sibique sufficientissimum, *Kadosch* Deum *sanctum, Zebaoth* Deum *exercituum* seu victoriæ. *(Transcripsi ex Manzoni, p. 41, qui diligenter collegit).*

33. ***Prima pars.*** — *Deus est ipsum esse subsistens.*

I. Ex S. Scriptura. — Princeps demonstratio est ex nomine; *Iehovah ὁ Ων Qui est,* quod Deus ipse tanquam nomen sibi proprium revelavit, sibique attribuit. — Moyses, uti legitur *Exod.:* III, 13 et seqq., ad Deum, qui sibi in rubo apparuerat, ait: *Ecce ego vadam ad filios Israël et dicam eis: Deus* (Elohim) *patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixitque Deus ad Moysen;* Ego sum qui sum, (*ἐγώ εἰμι ὁ ὤν*). *Ait: sic dices filiis Israël:* Qui est (heb: ehejeh i. e. Ego sum) *misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Haec dices filiis Israël:* Dominus (heb.: Iehovah, i. e. Qui est), *Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in aeternum.* — Hinc eruitur argumentum: Significatio nominis Dei ex verbis *Ego sum qui sum, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν,* intelligenda est. Etenim Moysi nomen postulanti Deus respondit: *Ego sum qui sum;* quod est vel iam nomen quæsitum, vel prævia declaratio nominis inde fluentis: *Qui est.* « Sic dices filiis Israël: *Qui est* misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen...: *Dominus* i. e. Iehovah, seu *Qui est....* hoc nomen mihi est in aeternum ».

Iamvero Deus verbis huiusmodi ac nomine sibi attribuit quod in *ipso esse subsistente* continetur, scilicet existentiam necessariam et plenitudinem perfectionis.

Attribuit sibi existentiam necessariam. Porro Moyses non quæsivit a Deo an esset seu existeret, sed quodnam esset nomen eius. Hinc sensus obvius verborum illorum: *Ego sum qui sum,* non est simpliciter *ego sum* seu *existo,* sed est: *Ego sum qui* proprie *sum,* i. e. *qui sum ita, ut nequeam non esse;* cetera autem omnia ita sunt, quasi non essent, quia sunt ita, ut potuissent et adhuc possint non esse. Atqui Deum ita esse, ut nequeat non esse, est esse necessario. Ergo Deus illis verbis existentiam necessariam sibi attribuit.

Attribuit sibi Deus etiam plenitudinem realitatis et perfectionis. Nam dixit: *ἐγώ εἰμι ὁ ὤν; ego sum ipsum Esse.* Creatura, quia habet esse limitatum ad certam speciem et certum gradum,

ideo nulla potest dicere: *ego sum ipsum Esse*, sed dicere debet: ego sum *hoc* vel *illud ens* i. e.: *ego sum homo*, *ego sum angelus*. Deus igitur, quoniam cum veritate dicit *ego sum ipsum Esse* (ὁ ὤν), ideo totam plenitudinem *essendi* possidet, seu totam plenitudinem realitatis et perfectionis.

Confirmatur. — Textui Exodi alia parallela sunt testimonia V. et N. Testamenti, quæ confirmant et illustrant Deum esse illum, qui a nullo alio, sed a se ipso est in plenitudine realitatis, videlicet, qui est *primus et novissimus*, *principium et finis*. *A et Ω; qui est, qui erat et qui venturus est* (2).

II. Ex Patribus. — Quod Deus sit Esse necessarium in plenitudine omnis perfectionis, Patres præcipue prædicant, dum significationem nominis *Qui est* illustrant. Eorum doctrina ad hæc fere redigi potest: *a)* Ideo nomen *est* ὁ ὤν sibi vindicat Deus, quia non ab alio, sed a se proindeque necessario est, nimirum *quia*, sicut ait S. Hieronymus, *cetera ut sint*, *Dei sumpsere beneficio: Deus semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui* origo *est sucque* causa *subsistentiæ* (existentiæ) (2); et sicut docent Hilarius et Ambrosius, *quia* Deus *non potuit aut poterit aliquando non esse* et *illius est esse*, *qui semper est* (1); *b)* ideo *Esse* tamquam proprium sibi nomen Deus attribuit, quia plenitudo est perfectionis, nimirum quia, inquit Nazianzenus, *totum esse* ὅλον το εἶναι *in ipso collocandum est, a quo cetera habent ut sint* (3); quia *Esse*, et *quidem totum Esse essentialiter proprium est Dei, neque aliquo terminatum et circumscriptum, quod sit sive ante ipsum sive post ipsum* (4). Hinc præclare Dionysius nomen illud Dei illustrat dicens, quod ipse *non quadantenus est Ens, sed simpliciter et infinite totum in se Esse complectitur* (5).

---

(1) *Isai.* XLI, 4 — Quis hæc operatus est et fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus; cf. etiam XLIII, XLIV; *Apoc.* 1, 4, 8 XXI, 6; XXII, 13, *Io.* VIII, 58.

(2) *In Eph.* III, 14.

(1) Hilar., *De Trin.*, l. I, c. 5: Ambr. *in Luc.* X, c. 83. Hinc aiunt quandoque Patres nomen ὁ ὤν complecti tria tempora *fuit, est et erit,* quin contradicant alii docentes, nomine illo excludi præteritum et futurum, excludi videlicet de præterito aut futuro non *esse*, sed successionem.

(2) *Or.* 12, n. 12.

(4) *Or.* 30, n. 18.

(5) *De Div. Nom.*, c. 5, § 4. — Convenienter citatur **auctoritas Rabbinorum**, præcipue doctissimi M. Maimonides (sec. XII). Ipse expendit, iuxta regulas sermonis hebraici, vim locutionis « Sum qui Sum » et quia vox posterior « plane in sub-

III. Ex ratione. — In Deo essentiam et existentiam esse realiter idem, sequitur ex eo quod Deus est α) *Causa prima incausata.* Nam quodcumque habet esse realiter distinctum ab essentia, habet esse causatum: est enim *compositum* et compositum indiget causa componente seu adunante per efficientiam principia compositionis. — β) *Ens necessarium*, quod ideo solum existit et non potest non esse, quia existentia est de eius essentia et cum ipso identificatur. — γ) *Ens perfectissimum.* Etenim si in Deo existentia est realiter distincta ab essentia, non tantum essentia, utpote habens rationem potentiae, dicit imperfectionem, verum etiam existentia, quia licet sit *esse* i. e. *actus*, nihilominus est tale esse seu limitatum. — Vide ergo quam recte dicatur Deus: ***super omne ens; ipsa sua essentia; suum esse; ens per essentiam; qui solus proprie est; purissimus actus*** (1).

34. *Parergon.* — Hæc veritas est omnino fundamentalis, atque plures aliæ, magni momenti, ex ipsa immediate fluunt. Ex. gr.:

a) *Ergo Deus est omniperfectus,* videlicet « universaliter perfectus, cui non deest alicuius generis nobilitas » *c. Gentes* c. 28. Nam entia dicuntur magis et minus perfecta secundum quod *esse* contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis maiorem vel minorem. Ens ergo quod est ipsum esse nulla perfectione et nobilitate essendi carere potest.

b) *Ergo in Deo sunt virtute et eminenter perfectiones omnium entium. Quæ autem dicuntur simplices, etiam formaliter; mixtæ non formaliter, sed eminenter.* — Siquidem perfectiones creaturarum omnium nihil aliud sunt quam participationes *ipsius esse.* Sed ipsum esse est Deus. Recte igitur intelligas verba *Psal.* 93. 9 « *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* »

c) *Ergo Deus est simpliciter infinitus;* h. e. non in aliquo genere, sed in ratione entis. Præcise quia esse subsistens, utpote actus purissimus, est infinitum. Expresse Scriptura, Psal. 144, 3 « *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis* ». (*Denz.* 1631). Eadem ratione sequitur Deum esse a mundo distinctum et maxime unum. De his infra: nunc dirimere sufficiat quasdam difficultates contra statuta corollaria.

Difficultas 1.ª — Aliquæ perfectiones sunt oppositæ, ut sunt spiritus et corpus; ergo non sunt omnes in Deo. — R. Non sunt formaliter vel eminenter, n.;

---

stantia eadem est cum priore », concludit Deum voluisse ostendere « subiectum ipsum idem in substantia esse cum attributo, ut haec totius rei declaratio sit: *Deum existere, sed non per existentiam* (intellige: distinctam, receptam). Apud Petav. *de Deo,* l. 1, c 6, n. 5.

(1) Cf. Remer p. 329.

formaliter c. vel subd. si involvunt imperfectionem aliquam, c. si solum sunt oppositæ, sed sunt perfectiones simplices, n. Obiter adverte quod notæ individuantes, quia radicantur in materia prima, sunt perfectiones mixtæ. — Recole duo requiri ad hoc quod aliqua perfectio contineatur in alio *eminenter:* ut id quod continet sit perfectius eo quod dicitur contineri, et ut possit in suo esse perfectiori præstare quidquid facere potest illud, quod dicitur contineri. Atqui Deus in omni genere perfectior est omni re creata et creabili; et, ut infinitus in essendo atque in operando, præstare potest quidquid possunt causæ secundæ.

Difficultas 2ª. — Quod determinatum est, infinitum dici nequit. Atqui Deus est determinatus. — R. Essentia divina non est aliquid determinatum *ratione limitationis,* sed *ratione distinctionis.*

Difficultas 3ª. — Quod ab alio substantialiter distinguitur debet esse substantialiter finitum. — R. Quod ab alio distinguitur per differentiam additam generi c. quod ab alio distinguitur *per seipsum* n.

Difficultas 4ª. — Si Deus est infinite perfectus, nullæ possunt dari, extra illum, perfectiones aut imperfectiones; quoniam infinitum totaliter excludit alia, ut esset de infinito secundum locum. — R. Perfectiones finitæ sunt efficienter a Deo, ideoque omnes in ipso eminenter continentur. *Imperfectiones* sunt in effectibus Dei, quatenus hi deficienter participant eius perfectionem; non sunt autem aliquid positivum et causam habent *per accidens.* Unus *locus* non continet alium neque formaliter neque eminenter, ac proinde, si daretur infinitum secundum locum, utique nullus alius locus foret possibilis.

Difficultas 5ª. — Aggregatum ex Deo et creaturis maius est quam solus Deus. — R. quoad perfectionem, seu quoad rationem ipsam boni et entis, n. quoad numerum entium, quibus competit ratio perfectionis aut boni, et quidem diversimode, c. — Entitas participata, addita entitati *participatæ* auget perfectionem, non autem addita τῷ esse per essentiam.

35. ***Secunda pars.*** — *Ipsum esse subsistens constituit essentiam Dei metaphysicam.*

Ex S. SCRIPTURA. — Probatur ex eodem principe loco *Exodi* hoc modo: Ex demonstratis in prima parte, Dei nomen *Qui est* significat *ipsum esse* actu, seu *ipsum esse subsistens.* Aqui illud Dei nomen Dei essentiam continet. Ergo *ipsum esse subsistens* est propria Dei essentia.

Minor probatur duplici argumento. *a)* Ex *proprietatibus* illius nominis. Nam illud nomen est Dei *proprium,* alteri praeter Deum *incommunicabile,* illudque non ex externis Dei relationibus desumptum, sed ab eo, quod Deo ipsi est *intrinsecum.* Et revera *prima* proprietas constat ex intentione tum Moysis nomen postulantis tum Dei illud revelantis. Nam Moyses aliquo alio communiore nomine Deum vocari, uti *Deum patrum suorum* iam sciverat; ideoque non aliud postulavit nomen, quam quod esset maxime proprium. Ipse vero Deus, manifestato nomine,

subdit hoc esse nomen *suum* et *æternum: hoc nomen mihi est in æternum.* Proprietas *secunda* seu incommunicabilitas constat ex usu biblico. Nam ex omnibus nominibus Dei, quæ decem in Scripturis usurpata enumerat S. Hieronymus, nonnisi hoc unum *Qui est* (Iehovah) usu biblico habetur tanquam nomen Dei omnino *incommunicabile* (1). Alia nomina, licet substantiva uti *El, Elohim* (Deus), adhibentur etiam ad designandos deos falsos, et ita induunt velut rationem appellativorum: hoc in tota Scriptura nunquam usurpatum invenitur ad quidvis aliud designandum (2). *Tertia* proprietas constat ex ipsa nominis etymologia, quæ manifestat, hoc nomen non ex aliquibus Dei efficientiis et externis relationibus, sicuti de aliis omnibus Dei nominibus docent Patres, sed potius ex eo desumi, quod Deus *est*, utique est *omnino* seu in tota plenitudine essendi. Iamvero, nihil est ipsi Deo magis intrinsecum in eoque prius, quam quod *est* et *plene* est: inde profluere eoque refluere omnia concipiuntur, quæ de Deo prædicari possunt. — Iamvero hæ tres proprietates ostendunt nomen illud esse ipsi Deo maxime *essentiale* ita scilicet, ut ipsam Dei essentiam contineat. Nam essentia ipsa Dei non aliud est quam aliquid Ei maxime *proprium*, alteri *incommunicabile*, quodque veluti *interius* in ipso Deo et *ante* alias omnes attributiones et relationes concipitur.

b) Aliud argumentum ad idem probandum est ipsa *obvia significatio* illorum verborum: *Ego sum qui sum.* Sive enim ea sint ipsum Dei nomen sive prævia eiusdem nominis declaratio, evidenter intelligi debent veluti si hoc nomine Deus de se ipso enunciet *quid sit*, seu *quidditatem* (quod quid est). Reponit autem, se esse *Qui sum;* unde nomen *Qui est.* Ergo nomen *Qui sum* vel *Qui est* continet propriam Dei quidditatem et veluti definitionem (3).

Ergo redit conclusio, quod essentia Dei est *ipsum esse subsistens*, seu esse necessarium et non secundum gradum aliquem entis, sed in tota plenitudine essendi. — Huic principi loco Exodi

---

(1) Hieronymus, epistola 136 apud Petavium, *De Theologia Dogmatica*, l. VIII, 9.

(2) *Deut.* IV, 32. *Scito ergo hodie, quod Dominus* (Iehovah) *sit Deus* (Elohim) *in cœlo sursum et in terra deorsum, et non sit alius.* Cfr. ibidem III, 24.

(3) Satis patet, nullam de Deo dari posse definitionem per genus proximum et differentiam ultimam. Deus enim est supra omne genus. Franzelin, th. XX, in fine. Cf. S. Thom., *Sum. theol.* I, q. 3, a. 5.

alia Scripturæ testimonia ad idem ostendendum conferri possent (1).

II. Ex Patribus. — Patres eandem sententiam ex ipsis Scripturæ testimoniis, vel etiam directe declarant. *Deus*, ait S. Ambrosius, *non respondet nomen, sed negotium, hoc est expressit non appellationem, dicens: Ego sum qui sum* (2). Scilicet Deus hisce verbis non tam nomen sibi dedit, quam rem definivit; cuius nomen postulabatur. Præclare ad rem S. Bernardus: *Quis est* (Deus)? *Non sane occurrit melius quam* « qui est ». *Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum:* « qui est, » *misit me ad vos: merito quidem; nihil eo competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est* « Est. » *Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab* « Esse »; *si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.* Hisce verbis Sanctus Doctor declarat, rationem *Entis* in Deo esse supremam, ex qua omnes aliæ Dei perfectiones deducuntur. Iam huc sane recidit conceptus essentiæ metaphysicæ.

III. Ex ratione. — Essentia metaphysica est illud, quod primo in re intelligitur, ex quo derivantur omnia quæ rei insunt, et quod ideo satis eam distinguit ab omnibus aliis. Atqui hæc apprime conveniunt rationi *entis simpliciter*, quod diximus esse Deum. Nulla enim ratio prior est illâ *entis*. Deinde, doctore S. Thoma, « *Esse simpliciter* acceptum, secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi, præeminet vitæ et omnibus perfectionibus subsequentibus. Sic igitur ipsum *Esse* præhabet in se omnia bona subsequentia (3). » Hinc hæc ratio *Entis simpliciter*, qua Deus est Ens summe determinatum plenitudine perfectionis, satis Eum distinguit a quovis alio ente, in quo licet ratio entis suprema sit, tamen non capit totam perfectionem essendi, sed est restricta ad certum gradum et limitem.

---

(1) *Deut.* XXXII, 39, 40; *Is.* XLI, 4; XLIII, 10, 11; XLIV, 6; XLVII, 12; *Malach.* III, 6; *Apoc.* I, 8; XXI, 6; XXII, 13. Cfr. Franzelin, th. XXII.

(2) In Ps. 43. Nota quomodo hæc interpretatio S. Doctoris apprime respondeat declarationi, quam horum verborum acutissime exornavit Franzelin th. c.

(3) *Sum. th.* I, 2, q. 2, a. 5, ad 2.

Thesis VI. — *Errant qui docent, ideam entis, sub qua omnia et sine qua nihil intelligimus, esse ideam Dei, atque adeo Ens illi ideæ obiective respondens esse Deum, licet nondum reflexæ cognitum.*

36. ***Declaratio.*** — Thesis est contra eos, qui *Esse* divinum confundunt cum illo *esse* abstracto, quod est primum veluti elementum conceptuum nostrorum. Est hic error præsertim Ontologistarum, sed cui ultimo nituntur etiam Pantheistæ. Scopus theseos est, ut perspiciatur diversitas, quæ *in ipsa entis ratione* est maxima inter Deum et quidquid præter Deum concipi potest.

Veritas proposita nititur iterato iudicio supremæ Congregationis S. Officii, die 18 Sept. 1861 et die 14 Dec. 1887. Primo decreto pronunciantur *non tutæ* septem illæ notæ propositiones Lovaniensium, quarum omnium ultima ratio est hæc confusio *entis nostræ intuitionis* cum *ente absoluto* (1). Altero decreto damnantur XL propositiones ex operibus A. Rosminii excerptæ, quarum priores hanc ipsam confusionem continent entis indeterminati, quod homo intuetur, cum ipso Deo, et expressius addunt confusionem inde consequentem entis divini cum omnibus entibus creatis (2).

---

(1) Ita illæ enuntiabantur:

1ª Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale.

2ª Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est Esse divinum.

3ª Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur.

4ª Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia omnem etiam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.

5ª Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur.

6ª Res creatæ sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

7ª Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura (homine v. g.), creaturam producit.

« E.mi et R.mi DD. Cardinales, præhabito voto DD. Consultorum, omnibus et singulis propositionibus superius enuntiatis mature perpensis, proposito dubio (utrum *tuto* tradi possint) responderunt: *Negative* ».

(2) Huc pertinent priores XIX propositiones. In illis, præter alia, hæc asseruntur: *Esse indeterminatum, quod procul dubio notum omnibus intelligentiis, est divinum illud, quod homini in natura manifestatur* (4ª cfr. 1ma) quodque *est divi-*

37. ***Demonstratio.*** — Fit pandendo infinitum discrimen *Entis divini* ab *ente universali;* quod multipliciter apparet:

1. In ipso modo concipiendi utrumque ens.

Ens enim, quod de omnibus prædicamus, *immediate abstrahimus* ex ipsis rebus creatis. Inde autem assurgimus ad *Esse exemplare*, principium et causam totius entis creati et creabilis, et ita *mediate*, seu *concludendo* ex rebus creatis, Ens divinum concipimus. Hinc conceptus entis, quem habemus et prædicamus de omnibus, non est *proprius* Dei, sed tantum entium creatorum, unde fuit abstractus; de Deo autem prædicatur non univoce, secundum identitatem, sed secundum similitudinem et proportionem quamdam seu *analogiam*, quippe derivatus fuit non ex intuitu directo Dei, sed ex eius effectibus *æquivocis*, seu ordinis diversi, Deum solummodo adumbrantibus. Unde proprie Deus non esset dicendus *ens*, sed *supra omne ens*, quod nos concipere valemus.

Quod discrimen eo evidentius fit, quod adumbratio Dei, quæ in *ente communi* reperitur, est omnium remotissima. Sicut enim plus perfectionis est in entibus determinatis et concretis quam in ente universalissimo, utpote quod unica nota constat in oppositione ad *nihilum;* ita maior est imitatio essentiæ divinæ in entibus determinatis, secundum multiplices gradus eorum perfectionis creatæ, quam in ente universali et abstracte considerato. Atqui entia hæc omnia determinata virtutem suae causæ divinæ non adæquant, sed ab ea longe deficiunt. Ergo multo plus ab ente divino deficiet ens universale.

2. In ipsa eorum intrinseca ratione entis.

Siquidem notio entis, sub qua omnia concipimus, est *minime intensa*, quia continet unicam notam oppositionis ad *non ens*, et importat id cui competit esse; ideoque est *maxime inde-*

---

num non sensu figurato, sed proprio, actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinæ (2ª et 3ª). Et clarius: *Esse, quod homo intuetur, est aliquid entis necessarii et æterni, causæ creantis* seu *Dei* (5ª), aut *Verbi* (7ª); unde *in esse indeterminato* (nostræ intuitionis) *atque in Deo, esse absoluto, eadem est essentia* (6ª). Hoc autem *esse, obiectum intuitionis, est actus initialis omnium entium et pariter Dei* (8ª et 9ª), *pars essentialis omnium omnino entitatum* (10ª), ita ut *fiat essentia omnis entis realis* (12ª). *et* sic *ens absolutum* (Deus) *et relativum* (creatura) *sint unicum esse* (13ª); *hinc actus creaturarum proprie non est a Deo factus, sed positus* (17ª), vel si res factæ, non tamen ex nihilo, sed *ex materia illa invisa, quæ est Verbum* (19ª).

terminata, quia, ab omnibus determinationibus singulorum abstrahendo, exprimit tantummodo eam rationem omnibus communem, qua sunt *non nihil*, nimirum aliqua essentia cum esse. Contra vero *Ens*, quod est Deus, est *maxime infinite intensum*, quippe est plenitudo essendi et per hanc ipsam plenitudinem est *determinatum determinatione summa* ad *Esse* singulare, non secundum *aliquem gradum* entis, sed secundum *plenitudinem* entis. Optime Scriptura *(Exod. III)*. hanc singularitatem et personalitatem exprimit verbo ὁ ὤν; ego sum ipse idem qui existit, non indefinitum ὄν.

3. *Ex proprietatibus utriusque entis omnino diversis.*

Imprimis *simplicitas* propria *entis in communi* est negativa, seu per abstractionem ab omnibus perfectionibus determinatis, proindeque est tantum in mente, non in reali existentia: simplicitas *Entis divini* est positiva per infinitam intensionem perfectionis in ipsa ratione *entis summe determinati* et ideo necessario est in reali existentia. Deus itaque dicitur *Ens simpliciter*, quia nihil habet imperfectionis seu *non entis* (1); sed ens commune dicitur *ens simpliciter*, quia ab omni determinata perfectione præscindit et melius dicitur *ens in communi*.

Pariter diversa est *infinitas* utriusque entis. Ens divinum est infinitum *comprehensive* et in actu, quatenus omnes perfectiones cuiusque limitis expertes actualiter continet; dum ens in genere est infinitum solummodo *privative* et in potentia, quia, dum præscindit ab omnibus determinatis perfectionibus, hoc ipso prædicari potest indefinite de singulis entibus peculiaribus. Brevi: infinitas Dei est *comprehensio actualis* omnium perfectionum; infinitas entis abstracti est *receptibilitas potentialis* cuiusque peculiaris perfectionis. Sic dicito de aliis proprietatibus, si quae utrique enti communes dicantur (2).

---

(1) « Ipsum *Est* purissimum, ait S. Bonaventura, non occurrit nisi in plena fuga *non esse*... nam *ipsum Esse* nihil habet de *non esse*. » Itiner., c. 5.

(2) Utrumque ens *commune* et *divinum* est *extra omne genus*. Verum illud, quia ob minimam suam intensitatem non valet ad aliquid distinguendum ab alio, sed est omnibus commune; econtra Ens divinum est *extra*, vel melius, *supra omne genus*, quia ob infinitam intensitatem seipsum distinguit et separat ab omnibus ita profundius et plene, ut nihil in se habeat, quod alteri commune esse possit. Ad notionem enim *generis* requiritur perfectio tum *communis* pluribus speciebus,

4. Auctoritate S. Thomae.

In summa contra Gentiles l. I, c. xxvi, data opera, demonstrat, quod Deus non est *esse formale* et constitutivum omnium; esset autem, si *esse commune* vel universale non distingueretur ab Esse divino. Porro toto cœlo distinguitur, et hanc considerationem, inter alias, ipse adducit: Esse *commune*, nedum existere queat *in re* sine additione seu notione aliqua ipsum contrahente, etiam *in cogitatione*, licet possit ibi præcisive accipi absque actuali additione, non potest intelligi sine *receptibilitate* additionis. Esse *divinum*, e converso, et est in re, nulla additione facta, et mente concipitur absque *receptibilitate* additionis. Est enim purissimus actus, in tota plenitudine perfectionis, ab omnibus distinctus existens (1).

Illud quoque afferri potest, quod passim Angelicus docet, et quod huius theseos est veluti summa, nimirum: nomina, et primum illud *entis*, de Deo et creaturis non *univoce* (non secundum eandem rationem) dici, sed *analogice*, quatenus entitas et perfectiones creaturarum non sunt positiones aut determinationes, aut limitationes Entis divini, sed sunt eius *similitudines* longe deficientes ab entitate et perfectionibus illius divinæ causæ.

COROLLARIUM.

Pantheismus ut absurdus refellitur.

38. ***Error.*** — Pantheismus, a πάν et θεός, error est, qui omnia cum Deo confundit; ita ut Pantheistæ omnes *monismum*

---

tum eas *distinguens* ab omnibus aliis speciebus. Ens *abstractum* est ita commune ut non distinguat; Ens *divinum* ita omnio distinguitur ab aliis, ut nihil in se habeat alteri, in eadem specie, communicabile.

(1) Audi ipsum S. Thomam: « Secundum quod eos in hunc errorem promovit, est rationis defectus. Quia enim id, quod commune est, per additionem specificatur vel individuatur, æstimaverunt divinum esse, cui nulla fit additio, non esse aliquid proprium, sed esse commune omnium; non considerantes quod id, quod commune est vel universale, sine additione esse non potest, sed sine additione consideratur. Non enim animal potest esse absque rationali vel irrationali differentia, quamvis sine his differentiis cogitetur; licet etiam cogitetur universale absque additione, non tamen absque receptibilitate additionis est. Nam si animali nulla differentia addi posset, genus non esset..... Divinum autem *Esse* est absque additione non solum cogitatione sed etiam in rerum natura, et non solum absque additione sed etiam absque receptibilitate additionis. Unde ex hoc ipso, quod additionem non recipit nec recipere potest, magis concludi potest, quod Deus non sit *esse commune* sed *proprium* ».

profiteantur. Ad tres formas revocari potest. Prima est *emanatio transiens*, qua statuitur res omnes a divina substantia effluxisse ac proinde eiusdem divinæ naturæ esse, cuius est Deus ipse: hunc pantheismum invenimus iam apud Indos, in religiosis Vedorum libris et deinceps apud Pythagoricos; eum Gnostici cum dualismo iungebant, media vero aetate Scotus Erigena, tempore Caroli Calvi, et Iordanus Bruno († 1600) scientificis formulis proposuerunt. Altera forma est *evolutio immanens realis*, quæ in omnibus rebus unicam divinam subtantiam esse ponitur, quae sui evolutione vel manifestatione omnia fit, non per efficientiam logicam sed realem. Hanc theoriam iam Neoplatonicorum perfecit sec. XVII Spinoza († 1677) seu potius crassiorem effecit, docens unicam esse substantiam cum duobus attributis, cogitatione et extensione; quidquid vero existit, substantiæ huius secundum unum aut alterum modum affectiones esse. Tertia forma est quæ, cum pantheismo idealismum consocians, entis cuiusdam universalis seu indefiniti *evolutionem mere phœnomenalem seu apparentem et idealem* admittit ita, ut subiectum et obiectum, cognitio et existentia unum idemque sit. Hic pantheismus invenitur iam apud Indos in philosophumenis Vedanticorum et apud Græcos in schola Eleatensi eumque nostris temporibus, modo vere transcendentali, ex Kantii principiis Hegel († 1831) eiusque discipuli proponunt.

I Panteisti sono tra quegli avversari al principio di causalità, i quali lo fanno valere sino a concludere per l'esistenza di una causa prima, ma immanente nell'universo. Il loro errore è dunque l'*immanenza*. Di questa dottrina e delle sue forme dice ancora il prof. Ballerini a p. 20 *nel Principio di Caus.*: Tutti i sistemi cosmogonici sin qui escogitati, all'infuori della creazione, non sono che diversi modi di concepire l'essere primo ed assoluto posto a base dei reali finiti. — Tre però sono le forme principali. — La *prima* è di coloro che mettono la materia al posto di Dio e derivano tutti gli esseri per successive combinazioni ed evoluzioni della medesima. — La *seconda* è di quelli che mettono Dio al posto delle forze naturali e fanno di Lui una specie di anima dell'universo. — La *terza* finalmente è di coloro che si sforzano di togliere ogni dualismo fra la materia e la forza con fare dei reali finiti altrettanti fenomeni di un unico essere — il *monismo*.

E questi ultimi si suddividono poi in due classi: la prima, che dal vecchio Parmenide viene giù giù sino agli ultimi hegeliani, professa un monismo tutto idealistico e metafisico: la seconda che inizia dal trasformismo e dall'evoluzionismo darwiniano e viene fino agli ultimi positivisti, professa un monismo puramente fisico, empirico, materialistico.

I primi cercano addentrarsi nella *natura dell'essere* per trovare modo di conciliare *l'uno* coi *molti*. E qui abbiamo i diversi sistemi del panteismo ideale e ontologico. Alcuni concepiscono l'essere primo come *principio entificatore* dei reali finiti; altri come *sostanza*, di cui i reali finiti non sarebbero che diversi fe-

nomeni: altri come l'*assoluto* che si fa relativo nei reali finiti; altri come lo stesso *fieri* di tutte le cose, l'*indeterminato,* l'*inconscio,* ecc. ecc., che viene poi esplicandosi, determinandosi e facendosi cosciente nelle diverse evoluzioni attraverso ai reali finiti. Tanto per averne un saggio, ecco il sistema dell'Hartmann, filosofo ancora vivente. Egli pone a fondamento di tutto il reale un Essere che è ad un tempo Idea, come la concepiva Hegel, e Volere, come lo concepiva Schopenhauer. Dall'Idea egli fa venire la natura *essenziale* del mondo e delle cose. Idea e Volere, secondo l'Hartmann, sono due funzioni tra di loro coordinate dello spirito Inconscio ed Assoluto, da cui derivano tutte le cose e nel quale il mondo e tutte le cose consistono. — Ma il monismo idealistico o metafisico ha ormai fatto il suo tempo e i pochi seguaci che ancora conta non hanno più voce in capitolo. Poichè, se nulla si può conoscere oltre il sensibile, come vuole la scienza moderna, ogni indagine intorno alla *natura dell'Essere* è affatto assurda ed antiscientifica. È dunque il monismo fisico, quello degli evoluzionisti e positivisti, che oggi è di moda.

Veritas. — Huius pantheismi fundamentalem doctrinam omnibus formis communem Concilium Vaticanum damnavit hoc canone: « Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; a. s. ». Triplicis vero formæ pantheismi expressam damnationem subdidit hoc altero canone: « Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales e divina substantia emanasse: aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, a. s. (1). ».

Confutatio. — Porro in hac absurditate refellenda non est cur immoremur. Satis sit advertere eam, sub quacumque forma vel larva proponatur, huc tamen reduci, quod *unica* tantum admittatur *substantia* aut *unicum ens,* cuius creaturæ sint emanationes, diffusiones, evolutiones, explicationes, modificationes, apparitiones, limitationes, determinationes, contrapositiones, prouti pro systematis varietate pantheistæ loqui solent (2). Huius au-

(1) Conc. Vatic. *Const. Dogm. de fide cath.,* I, can. 3 et 4.

(2) Iuxta doctrinam Decreto *Post obitum* damnatam res creatæ non aliud sunt quam *limitationes infinitæ realitatis* (prop. XII); proindeque entia finita, quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, id est ex *termino reali finito* (seu ex illa, quam diximus, limitatione) et ex *esse initiali* (seu ex illo esse indeterminato divino, quod homo intuetur et est aliquid Dei aut Verbi), quod eidem termino tribuit formam entis (pr. VIII). Hinc in rebus finita realitas *non est,* sed solum *est* illud esse initiale, quod fit essentia omnis entis realis (pr XII); adeoque « discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo maius; unum enim est absolute

tem absurdi fundamentum et radix revera in eo est, quod Ens infinitum et ab æterno existens satis non distinguatur ab illo esse, quod rebus omnibus commune inesse concipimus. Hac enim posita confusione, Esse divinum et esse rerum creatarum iam tanquam quid unum consideratur, id quod pantheismum audit. Jamvero illam distinctionem thesi antecedenti asseruimus et invictis argumentis probavimus. Ergo iam inde omnia pantheistarum sophismata per se concidunt.

Et revera principia, quæ a Pantheistis ex Dei natura deducuntur ad suum errorem confirmandum, sunt sequentia: 1° Deus est ens universale; ergo Deus est omnia; 2° Deus non habet terminos, ergo est indeterminatus, ergo indistinctus ab omnibus quæ sunt; 3° Deus est plenitudo totius esse, ergo nihil esse potest, quod ad eius esse non pertineat. Jamvero demonstrata diversitas entis divini ab ente communi ad hæc solvenda omnino sufficit.

Ad primum enim revoca proprie *universale* non dici nisi id, quod per abstractionem a singularibus formaliter in solo intellectu est, proindeque universale quidem esse ens commune, quod mente de omnibus prædicatur, Deum autem universale dici non posse, nisi alio omnino sensu, scilicet quatenus est ens, cui nihil de perfectione essendi deest et est causa universalis omnium entium, quæ præter Ipsum sunt vel esse possunt.

Ad secundum advertas aliquid dici determinatum dupliciter: ratione *limitationis* et ratione *distinctionis* (1). Primo modo determinata sunt omnia singularia entia creata, quia limitata sunt, quæ ipsis etiam limitibus distinguuntur. Verum ens divinum nonnisi secundo modo est determinatum, quatenus scilicet ipsa sua infinita entitatis plenitudine toto cœlo *distinguitur* ab omnibus aliis entibus, quæ, præter ipsum, necessario limitata sunt. Econtra ens in communi, quoniam abstrahit ab omnibus determinatis perfectionibus singulorum exprimens tantummodo

---

ens, alterum est absolute *non-ens*. At hoc alterum est *relative* ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens, hinc absolutum et relativum absolute non sunt unica substantia, sed *unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, imo habetur unitas esse* » (pr. XIII).

Porro aliud est dicere unicum esse in nobis *conceptum* ENTIS, sub quo diversimode pro diversa entitate cuisque rei, res omnes et Deus ipse conveniunt; aliud est dicere quod *ens* ipsum in se, seu in rebus ipsis omnibus, sit unicum, prouti hæc damnata propositio affirmat.

(1) S. THOMAS, *Quodl.* 7, a. 1 ad 1um.

notam communissimam *non nihil;* hoc ipso est maxime indeterminatum, proindeque ab omnibus singularibus entibus plane indistinctum.

Ad tertium advertas entia omnia particularia, præter Deum, et ipsum ens in communi non esse nisi effectus et participatas similitudines Dei ipsius, proindeque sua entitate, quamvis alia et diversa ab entitate divina, nihil detrahere de plenitudine Dei, qui virtute et eminenter in se præcontinet quidquid entitatis est, vel esse potest in creaturis.

Exinde intelligant Ontologistæ rem esse plenam periculi eam distinctionem, non dicam, destruere, sed etiam solum verbis obscurare: ii sciverint se, contra pantheistarum tela, omni valido argumento destitui, imo ipsis prodesse et falso tramite incedere.

Thesis VII. *Essentia divina una est unitate singularitatis.*

39. ***Declaratio.*** — Hic eam divinæ essentiæ *unitatem* intelligimus, quæ eiusdem essentiæ multiplicationem et deorum numerum excludit: aliis verbis, asserimus Deum, quem contra Monistas a mundo distinctum et super omnia ineffabiliter excelsum probavimus, esse numero unum. Assertio est corollarium ex demonstrata absolutæ perfectionis plenitudine in Deo. Hac thesi dualistæ, tritheitæ, polytheistæ simul refelluntur (1).

Unitas Dei non modo est veritas rationalis, sed etiam dogma fidei, quod in symbolis omnibus profitemur et quod iterum, post Conc. Lateranense IV, confirmavit Vaticanum hisce verbis: « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, *unum* esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ. — Si quis *unum* verum Deum, visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; a. s. (2) ».

40. ***Demonstratio*** fit explicando distinctius, quomodo ex plenitudine perfectionis divinæ sequatur repugnantia intrinseca multiplicationis, idque, iuxta doctrinam tum S. Scripturæ, tum

(1) Dualistæ, i. e. Gnostici et Manichæi, posuerunt duplex principium, bonum et malum. Tritheitæ, auctore quodam philosopho sec. VI in Siria, in Deo agnoverunt non solum tres personas, sed tres essentias sive substantias.

(2) Const. *De fide*, cap. 1, et can. 1.

P atrum, qui nobis efficaciter exhibent præcipua argumenta *rationis.*

1° ***Scripturæ*** ubi nomen Dei *Qui est* Eiusque plenitudinem perfectionis declarant, eodem fere sermone definiunt Dei unitatem. *Ubi sunt Dii eorum?... videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me... Vivo ego in æternum* (Deut. XXXII, 37 – 40). *Ego Dominus* (Iehovah), *primus et novissimus ego sum... Ut sciatis et credatis mihi et intelligatis, quia Ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus* (Iehovah) *et non est absque me salvator. Hæc dicit Dominus* (Iehovah)..... *Ego primus, et Ego novissimus, et absque me non est Deus* (Isai. XLI, 4; XLIII, 10, 11; XLIV, 6). *Ego sum* α et ω, *principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est qui erat, et qui venturus est, omnipotens* (Apoc. I, 8; XXII, 13). Ex quibus testimoniis aliisque parallelis simul collatis deducimus, unitatem Dei contineri in Eiusdem plenitudine *Entis absoluti,* adeoque Deum Iehovah esse *primum* et *novissimum* non solum in ordine durationis, sed etiam in ordine ontologico ita, ut præter ipsum nihil possit esse *Entis absoluti,* et ab illo uno, omnium principio et fine, derivetur per participationem quidquid entis relativi existit.

2° ***Patres*** ex plenitudine divinæ perfectionis concludunt, repugnare multiplicationem deorum, ideoque idem esse plures effingere deos ac penitus Divinitatem negare. Ita IRENÆUS: *Si extra illum* (Deum) *est aliquid* (absolutum ab eo non pendens), *iam non omnium est pleroma* (plenitudo), *neque continet omnia; deerit enim pleromati, aut ei, qui sit super omnia, Deo, hoc quod extra eum dicunt. Quod autem deest* (i. e. illud cui aliquid deest) *aut delibatum est ab aliquo, hoc non est omnium pleroma* (1). Hoc ipsum expressit BOËTIUS verbis ad rei evidentiam detegendam aptissimis: « Quæ discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum liquet, quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest (2). »

Ad hanc intimam rationem divinæ unitatis facile reducuntur cetera omnia argumenta Patrum; puta quod, si duo essent dii pluresve, nullus esset Summus (3); quod nulla inter plures

(1) L. II, c. 1, n. 2.
(2) *De consol. phil.,* l. III.
(3) TERTULL., *c. Marc.* I, c. 3.

posset esse differentia (1); quod plures dii superflui essent, cum unus sufficiat (2).

Cum itaque ex conceptu essentiali ipsius divinitatis necessario requiratur, ut unus sit Deus; ideo præclare ait Tertullianus: *Deus si non unus est, non est* (3). Unde Apostolus *atheos* vocat deorum cultores (4) et SS. Patres polytheismum dicunt esse atheismum (5).

---

(1) Gregor. Nyss., *Orat. catech. prol.*
(2) Tertull., ib., c. 5.
(3) Ib., c. 3.
(4) *Eph.* II, 12.
(5) Athan., *Cont. Gent.*, n. 24, 40.

PARS ALTERA

DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

41. **Attributorum enumeratio.**

Licet Deus una res sit simplex omnino, non tamen possumus Eum nobis repræsentare nisi conceptibus distinctis, veluti si Ipse constaret distinctis perfectionibus, quæ et *proprietates* dici solent, quatenus Deo necessario Eique soli competunt. Unam ex hisce, videlicet plenitudinem essendi, veluti Dei essentiam superius descripsimus. Ceteræ in Deo proprietates, quæ ex hac essentia quasi ex radice communi profluere videntur, etiam *attributa* vocantur.

Porro divina attributa alii aliter distribuunt theologi.

S. Thomas distinctionem insinuat inter attributa *essendi* et attributa *operandi* (1). Priora determinant modum, quo Deus *est*, sive potius, quo *non est;* posteriora respiciunt modum, quo Deus *operatur*. Sub illis recensentur *simplicitas*, *perfectio*, *bonitas*, *infinitas*, *immensitas*, *immutabilitas*, *æternitas*, *unitas*, *incomprehensibilitas*, *ineffabilitas*. Sub aliis veniunt *scientia*, *veritas* et *vita*, *voluntas*, *amor*, *iustitia* et *misericordia*, *providentia* et *prædestinatio*, *potentia*, *beatitudo*.

Lessius, qui de perfectionibus divinis commentarium scripsit omni auro pretiosius, eas pro suo instituto ad quatuordecim reducit. Quarum quatuor, quasi modi aut conditiones generales, quibus Deus est, sunt *infinitas* (2), *immensitas*, *immutabilitas*,

---

(1) *Sum. theol.* I, procem. ad qq. 2am, et 14am.

(2) *Infinitas*, quæ *formaliter* est carentia omnimoda termini et limitationis et *materialiter* complexio omnium perfectionum, *radicaliter* est ipsa entis plenitudo, de qua locuti sumus. Hac itaque essendi plenitudine præsupposita, rectius infinitati substitues *simplicitatem*. Cum infinitate Dei summam eius *simplicitatem* Lessius ipse connectit; unde *infinitudo* ab eo definitur: *omnis perfectionis et entitatis simplicissima et eminentissima complexio. De perf. div.*, l. I, n. 5, 6.

æternitas. Quatuor, sicut qualitates absolutæ seu absque respectu ad creaturas existentes, sunt *omnipotentia, sapientia, perfectio, sanctitas.* Reliquæ sex, qualitates relativæ ad creaturas existentes, sunt *benignitas, dominium, providentia, misericordia, iustitia, finis ultimus.*

Plura Dei attributa distincte recensuit et definivit, post Later. IV, concilium Vaticanum illis verbis: « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, *unum* esse Deum *verum* et *vivum*, *Creatorem* ac *Dominum* cœli et terræ, *omnipotentem*, *æternum*, *immensum*, *incomprehensibilem*, *intellectu* ac *voluntate* omnique *perfectione infinitum*; qui cum sit una singularis, *simplex* omnino et *incommutabilis* substantia *spiritualis*, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se *beatissimus*, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, *ineffabiliter excelsus* (1) ».

42. Quænam a nobis exponentur.

Nos agemus, non quidem de hisce omnibus, sed de iis attributis, quæ præcipua esse et sponte prima profluere videntur ex conceptu Entis absoluti et plenissimi, quod est Deus. — Sane proprietates entis generatim tres numerantur *unitas*, *veritas*, *bonitas*, quarum prima negativa et aliæ positivæ sunt (2). Deus itaque, quia est *Ens* in tota plenitudine, est pariter plenissima Unitas, plenissima Veritas, plenissima Bonitas. Unitas plenissima et absoluta a Deo removet quamcumque divisionem, sive spectetur Ipse in se (tum in *essendo*, tum in *operando*), sive in relatione ad ipsum spectentur spatium et tempus. Ipse enim sua unitate plenissima quamvis a se excludit compositionem, tum in *essendo* unde est *simplicissimus* tum in *operando* unde est *immutabilis*, simulque eminet unus et totus supra relationes omnes temporis et loci, unde est *æternus* et *immensus*. Deinde veritas plenissima et absoluta *ontologice* est ipsa Dei essentia, ut infinite intelligibilis et actu ab ipso Deo infinite intellecta et comprehensa, fons et mensura omnis veritatis; sed *formaliter* est ipsa divina intellectio et comprehensio, seu ipsa *divina scientia*, quâ Deus se ipsum et in se cetera omnia cognoscit. Pariter summa et plenissima Bonitas *ontologice* est ipsum divinum *Esse* ut summe perfectum, quod ut ultimum

(1) Const. *De fide cath.*, cap. 1.
(2) Lessius, *De div. perf.*, l. VI, 33.

finem omnia appetunt; sed *moraliter* est ipse Amor essentialis, seu *divina voluntas*, quâ Deus infinite amat seipsum ut summum bonum et consequenter cetera omnia bona, quæ de Eo participant.

Denique cum ens quodlibet ordinetur ad operandum etiam in cetera entia, tum etiam in Ente divino hæc operatio speciatim considerari debet quæ procedit in exteriorem effectum. Cum autem huius operationis principium *potentia* dicatur, tum expressius etiam de divina potentia, vel dicam melius, *omnipotentia* disserendum erit.

Hinc ordo tractationis in quatuor capita:

I. De Attributis divinam unitatem consequentibus,
II. De Scientia divina,
III. De divina Voluntate,
IV. De divina Omnipotentia.

CAPUT I.

DE ATTRIBUTIS DIVINAM UNITATEM CONSEQUENTIBUS.

43. Duplex *unitas* Dei considerari debet, tum quæ excludit deorum multiplicitatem et quæ dici posset *unicitas*, de qua superius diximus; tum quæ removet multiplicitatem partium in Deo ipso. Unitas hæc si partes removet in ipsa Dei substantia *simplicitas*, si in Eius actibus *immutabilitas*, si in Eiusdem duratione et expansione *æternitas* et *immensitas* dicitur. De singulis aliquæ præviæ notiones.

44. **Simplicitas.** Notio *simplicis* ab ea compositi tanquam a notiore declaratur. Sicut *unum* consideratur in oppositione *ad multa*, ex quibus constat compositum, ita *simplex* in oppositione *ad compositum*, quod constat ex multis. Hinc simplex id est, *quod nullis constat partibus*. Qua tamen locutione negante indirecte simul significatur positiva entis perfectio ita, ut simplex dicat *ens*, quod componentibus caret, eo modo quo *unum* non solam indivisionem dicit, sed ens indivisum. Si partes sunt res in obiecto ipso physice distinctæ, habetur *compositio realis* seu *physica*, qualis est ex partibus essentialibus, materia et forma, ex partibus integrantibus sive quantitativis, ex substantia eiusque accidentibus. *Compositio rationis* seu *logica* econtra est ea, in qua partes non re in obiecto ipso distinguuntur, sed tantum ratio-

ne, ita tamen ut altera pars præcisive considerari possit ut determinabilis, perfectibilis et in potentia, altera vero ut determinans, perficiens et actus primæ partis. Huiusmodi sunt compositiones ex animalitate et rationalitate in homine, ex genere et differentia (1). — Hinc nomine partis semper intelligitur imperfectum, quod per alterum, ei sese communicans et uniens, perfectionem accipit. Perfectio autem totius compositi, ex unione mutua ac communione omnium partium prodiens, nonnisi causata et finita unquam esse potest.

Circa Dei simplicitatem erraverunt gentiles, quibus commune fuit Deum corporalium membrorum lineamentis circumscribi. Sed inter christianos luculenta semper fuisset in hac re fides, nisi in ea errassent, seculo IV, monachi anthropomorphitæ Ægypti, seculo XIV, alii monachi schismatici orientales nuncupati Palamitæ, et in Ecclesia latina, sec. XII, Gilbertus Porrentanus, qui docuit essentiam ac proprietates divinas realiter inter se et a personis distingui, id quod ex parte renovavit seculo insequenti Joachimus abbas.

45. **Immutabilitas** est ea perfectio, quæ a Deo omnem mutationem removet. *Mutari* autem dicitur quod *in se ipso aliter se habere* incipit, quam antea se habebat; nam erga alterum novo modo se habere potest etiam id, quod permanet immutatum; sicut columna immutata manet, etsi animal nunc ad dexterum nunc ad sinistrum latus habeat, sicut sol non mutatur propterea quod incipit corpora calefacere, quæ nunc primum ad radios eius exponuntur. Porro aliquid *aliter in se ipso* incipit se habere, quando transit a potentia ad actum, vel vicissim ab actu ad potentiam; ut si quis agere incipiat vel ab actione cesset. Cum vero huiusmodi transitus aliud non sit quam aliquis *motus*, hic immutabilitas dici potest ea perfectio, *qua in Deo quilibet motus excluditur*. Mutatio autem est *substantialis*, si fit in esse primo, ut cum vivens moritur. Est *accidentalis*, quando, manente eâdem substantia, alia succedunt realia accidentia, et tunc ipsa contingit in esse secundo, ut cum discipulus fit sapiens. Jamvero Deus in se ipso est omnino immutabilis, quatenus in eo nullus datur motus, seu nullus transitus sive a potentia ad actum sive ab actu ad potentiam.

---

(1) Plures cum Schiffini, *Metaph.* v. 2, n. 422, compositionem realem subdistinguunt in *metaphysicam* et *physicam*.

46. **Æternitas**, quæ immutabilitatem consequitur, sensu strictissimo, prouti uni Deo convenit, nihil aliud est quam Eius duratio immutabilis, principio, successione et fine carens. Ea definitur a Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Nomine *vitæ* designatur ipsum Esse divinum, etiam quatenus vivit et operatur, et Eius duratio, utpote firma et tranquilla, dicitur *possessio*; possessio vitæ *interminabilis*, quia principio et fine caret; *tota simul*, quia est sine successione; possessio *perfecta*, quia est actus purus, in quo successio absolute et ab intrinseco repugnat. Ad æternitatem itaque quatuor postulantur: primo ut sit *duratio:* secundo ut *careat principio et fine:* tertio ut sit sine *successione;* quarto demum ut *ab intrinseco*, seu ex vi illius esse, in quo fundatur, careat principio, fine et successione. Brevi est: *Duratio ab intrinseco carens principio, fine et successione.* Cum vero habere principium et finem sit æque aliqua successio, tum proprius character divinæ æternitatis formaliter spectatæ est perfectio, quæ intrinseca sua ratione excludit possibilitatem successionis, proindeque continetur in ipsa plenitudine Entis absoluti, unde Deus est sua æternitas. — Si æternitas comparatur cum tempore et ævo, paucis dici potest: Aeternitas est mensura durationis, i. e. permanentia in esse, rei *omnino* invariabilis et secundum substantiam et secundum operationem; tempus mensura durationis rei *omnino* successivæ et variabilis (creaturæ materiales); ævum mensura durationis rei invariabilis quantum ad naturam, non vero quantum ad operationem (creaturæ spirituales) (1).

---

(1) « Differentia inter *æternitatem* et *tempus*, ut dicit Boëtius, ex hoc quod æternitas est *tota simul*; quod tempori non convenit; et iterum quia æternitas est mensura *esse* permanentis, tempus vero est mensura motus. » S. Thomas, I, 10, 4. Ab utroque autem, seu a tempore et ab æternitate, differt *ævum*, sicut medium inter illa. « Cum æternitas sit mensura *esse* permanentis, secundum quod aliquid recedit a permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate: Quædam autem sic recedunt a permanentia essendi, quod *esse* eorum est subiectum transmutationis, vel in transmutatione consistit et huiusmodi mensurantur *tempore*; sicut omnes motus et etiam *esse* omnium corruptibilium: Quædam vero recedunt minus a permanentia essendi; quia *esse* eorum nec in transmutatione consistit nec est subiectum transmutationis: tamen habent transmutationem adiunctam, vel in actu, vel in potentia; sicut.... patet de Angelis, quod habent *esse* intransmutabile quantum ad eorum naturam pertinet, cum transmutabilitate secundum electionem et cum transmutabilitate intelligentiarum et affectionum et locorum suo modo; et ideo huiusmodi mensurantur *ævo*, quod est medium inter æternitatem et tempus. *Esse* autem quod mensurat *æternitas*, nec est mutabile, nec mutabilitati adiunc-

47. **Immensitas.** — Sicut æternitas se habet ad tempus, ita ad locum et spatium se habet *immensitas* divina. Immensitatis notio primum sese offerens videtur concipi tanquam præsentia sine limite loci et spatii, et describi potest: *ea divinæ naturæ perfectio, per quam Deus ita existit, ut nulla creatura sit possibilis, nullus possibilis locus, nullum possibile spatium, quibus Deus, si creata illa ubicumque et quantacumque existerent, non esset intime præsens absque ulla mutatione.* Hoc modo immensitas est ipsum absolutum Esse divinum *illimitatum in præsentia*, quam præsentiam declaramus sub hoc conceptu, quod Deo immenso possunt alia coëxistere præsentia, vel melius potest Ipse esse præsens aliis coëxistentibus in indefinitum. Quæ sane creaturarum coëxistentia in indefinitum est solum possibilis. Si autem velimus creaturam considerare, quæ est Deo realiter coëxistens; tum ex ipso absoluto immensitatis attributo consequitur attributum relativum ad extra, quod dicitur *omniprœsentia* seu *ubiquitas*, et est præsentia Dei omnibus rebus actu existentibus (1).

Ex S. Thoma aptius definiri potest immensitas ea divina perfectio, qua Deus est ubique *primo* et *per se*. Dicitur *primo* seu non consequenter postquam sit ubique per partes, sed primo quatenus est statim ubique *secundum se totum*. Dicitur ubique *per se*, seu non per accidens, quia quæcumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita præter ista, quæ sunt, oporteret in omnibus esse Deum (2).

48. **Quatuor proprietates simul comparantur.** — Quia Deus est absolute unus nullam habens partem post par-

---

tum. Sic ergo *tempus* habet prius et posterius, *ævum* autem non habet in se prius et posterius, sed ei coniungi possunt: *æternitas* autem non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur. » S. Th., l. c., a. 5.

(1) Tripliciter res aliqua per entitatem suam alicubi existere potest: *circumscriptive* ita, ut diversis partibus locati respondeant diversæ loci partes; *definitive* solum, cum res locata tota est in toto loco et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur extra suum definitum locum; *repletive* cum tota sic omnibus locis et partibus loci presens est, ut tamen nullo loco ambiatur nec terminetur. Prima præsentia est corporum. Substantiis spiritualibus creatis competit tantum secunda, ipsæ enim per contactum virtutis, sive per operationem, in loco præsentes fieri possunt et etiam pluribus locis, non tamen omnibus possibilibus locis, quandoquidem earum virtus est finita. Tertia solius Dei est propria, qui supra omnia loca etiam possibilia eminet, iuxta illud Jeremiæ: *Numquid non cœlum et terram ego impleo?*

(2) *Sum. th.* I, q. 8, a. 4.

tem, sed omnem suam plenitudinem perfectionis una simul possidens; ideo in una simplicissima substantia et in uno actu purissimo omnes perfectiones et operationes recolligit, simulque in omni suæ æternæ durationis momento, si id dicere fas est, tenet totum sibi unitum quidquid per infinitos seculorum tractus continuatum habet; et in punctum adunat quidquid sua immensitate absque termino in omnem partem diffundit; ita ut Deus nullas omnino partes habeat nec *entitativas* in essendo, nec *potentiales* in operando, nec *successivas* in duratione, nec *extensivas* in diffusione, sed sit omnino unus in se ipso et in operibus, supra omnia tempora et spatia.

His notionibus aliquantisper illustratis, iam probemus distinctis thesibus, Deo has quatuor proprietates absolute convenire.

Thesis VIII. — *Deus est absolute simplex, ea scilicet simplicitate, quæ est actus purus perfectionis.*

49. ***Declaratio.*** — Dicimus, Deum esse *absolute* simplicem, quatenus, propter intensionem suæ plenissimæ perfectionis, omnem a se excludit compositionem sive ex partibus physicis (h. e.: ex partibus quantitativis, ex partibus essentialibus, materia nempe et forma, ex essentia et esse, ex subiecto et accidentibus, ex natura et supposito) sive ex partibus metaphysicis (ex genere et differentia). Quæ divina simplicitas eo tandem revocatur, ut nulla sit in Deo compositio, quæ concipi possit quocumque modo resultans ex potentia et actu, seu ex perficiendo cum alio perficiente, prouti necessario contingit in omni creatura, quæ suapte natura nequit non esse actus commixtus cum potentia. Ideo propriam divinæ simplicitatis rationem in eo ponimus, quod Deus est *actus purus* i. e. sine ulla potentialitate sive ad esse, sive ad perfectius esse; unde excluditur quod possit in aliorum compositionem venire. Hæc veritas proposita est in fidei professione a Conc. Lat. IV edita, in qua Deus prædicatur *natura simplex omnino;* et iterum in Conc. Vatic. docente Deum esse « unam singularem, *simplicem omnino et incommutabilem substantiam spiritualem* » (1).

---

(1) Cap. *Firmiter;* cfr. Vatic. *Const.* I, c. 1.

50. ***Demonstratur I. ex S. Scriptura.***

a) In primis manifeste Deum prædicat immunem a quavis materiæ concretione et physica quacumque compositione, dum *negative* a Deo removet quidquid corporeum est et naturæ puri spiritus repugnat, *positive* autem Deum spiritum esse pronuntiat. *Numquid*, ait Iob, *oculi carnei tibi sunt; aut, sicut videt homo, et tu videbis?* (x, 4) Et Paulus: *Non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile* (Act. xvii, 29). Imo exinde Christus infert Dei adorationem iam in spiritu esse debere, quia spiritualis est Dei natura. *Spiritus est Deus*, dixit mulieri Samaritanæ, *et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Jo. iv, 20–24). Porro ex verbis Christi, Deus non minore veritate est *spiritus*, ac quâ *spiritualis* esse debebat nova adoratio. Atqui nova adoratio in spiritu, ex oppositione ad veterem cultum externum, cæremonialem et typicum, esse debebat et est interna, soluta ab omnibus materialibus, sistens in actibus animi, qui proprie sunt et dicuntur *spirituales*. Ergo etiam Deus, non modo hic supponitur a quavis materiali concretione solutus, sed et dicitur, sensu maxime proprio, *spiritus* (1).

b) Verum, omissa hac crassa compositione, cuius exclusio manifesta est, S. Scripturæ aliam quamcumque excludunt, quæ exsurgat ex quavis mixtione potentialitatis cum actu. Idque *explicite* præstant, cum exibent Deum veluti unum idemque cum singulis perfectionibus, quas de Deo prædicamus, ita ut non modo *perfectio sit in ipso*, sed *Ipse sit perfectio* tum una, tum altera, tum consequenter omnes simul. Sicuti Deus dicitur habere vitam in semetipso et vitam dicitur esse in Deo (2), ita Deus et *ipsa vita* (3). Sicut in Deo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ (4) ita Deus est *ipsa sapientia* (5). Sicut Deus est plenus veritatis (6), ita Deus est *ipsa veritas* (7). Sicut inhabitat lucem (8), ita *ipsa lux est* (9). Sicuti caritas ex Deo est et Dei est, ita Deus est *ipsa caritas* (10). Ergo essentia divina ex se ipsa, non vero ex aliquo addito, est sicut *ipsum Esse*, ita *ipsa vita, ipse intellectus, ipsa veritas, ipsa caritas*, hæc aliaque

(1) Cf. II, *Cor.* III, 17.
(2) *Io.* I, 4; v, 26.
(3) *Io.* I, 4; XIV, 6.
(4) *Coloss.* II, 3.
(5) *Prov.* I, 20.
(6) *Io.* I, 14.
(7) *Io.* XIV, 6.
(8) I *Tim.* VI, 16.
(9) *Io.* I, 8, 9.
(10) I *Io.* IV, 8, 16.

omnia in actu absoluto. Ergo nulla in Deo potentialitas ad ulteriorem vitam, sapientiam, potentiam, caritatem, etc., uti in omnibus creaturis: sed est in Deo vel potius ipse est harum aliarumque omnium perfectionum *purissimus actus* (1).

Demonstratur II. *ex Patribus.* — Idem dogma eundemque dogmatis conceptum proponunt *Patres* multiplici prædicatione.

a) Docent generatim Deum esse *simplicissimum et ab omni compositione remotissimum,* uti Cyrillus Alex.; *summe simplicem,* uti Augustinus; *tam simplicem quam unum, et, si dici potest, unissimum,* uti Bernardus; *unam simplicitatis eminentiam,* uti Dionysius; hanc autem veritatem esse, *in quam universum nomen christianum consenserit,* uti Origenes et rursus Cyrillus Alex., eamque negare esse *nimis stolidi et hebetis hominis, summæ impietatis, novum blasphemiæ genus,* uti Nyssenus, Damascenus, Athanasius (2).

b) Frequenter assumunt hoc dogma tanquam principium ad alias veritates revelatas vel declarandas vel vindicandas. Ex g. Athanasius confutat subdulam confessionem Arianorum qua aiebant Filium procedere a Patre, non tamen ab eius substantia. Si ita est, inquit, tunc in Deo Patre, præter substantiam, aliquid aliud invenitur et est compositus: quod absurdum est. Damascenus cum aliis hæc habet: Filius in Scriptura dicitur sapientia, voluntas, virtus Patris, simul vero a Patre distinctus; ergo vel est sapientia subsistens, tum vero Deus est, vel est qualitas inhærens Patri, tum vero Deus est compositus, quod ex omnium confessione est absurdum.

c) Notionem ipsam simplicitatis declarant et illustrant multiplici modo. Sicuti sacri scriptores, ita et Patres ex absoluta perfectione Dei concludunt, quod ipse est singulæ perfectiones et omnes simul, et est id, quod habet. *Ideo simplex dicitur Deus,* docet Augustinus, *quoniam quod habet, hoc est* (De Civit. Dei, xi, 10). Idipsum præstant cum de iis perfectionibus agunt, quæ concipiuntur velut actiones Dei. Augustinus tract. 40 in

---

(1) « De Deo loquentes utimur nominibus concretis (Deus est *vivens, sapiens*), ut significemus eius subsistentiam, quia apud nos non subsistunt nisi composita: et utimur nominibus abstractis (Deus est *vita, sapientia*), ut significemus eius simplicitatem ». S. Thomas, q. 13, a. 3 ad 1.

(2) Cfr. Franzelin, thes. XXVII, p. 298.

Joannem ait, quod *hoc est Filio esse, quod nosse.... Quia simplici naturæ veritatis esse et nosse non est aliud et aliud, sed hoc ipsum.* Et in l. XIII, c. 16. Confessionum, in Deo essentiam, scientiam et voluntatem ad invicem incommutabiliter identificari, ita ostendit: *Sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit, et vult incommutabiliter, et scientia tua est et vult incommutabiliter et voluntas tua est et scit incommutabiliter.*

Demonstratur III. *ex Ratione.*

Deus enim est perfectissimus, et compositio quævis imperfectionem et limitationem semper supponit. Quidquid enim habet rationem partis, vel concipitur in mera *potentia* ad perfectionem seu ad *actum* (sive sit pura potentia *obiectiva*, videlicet possibilitas rei, sive sit pura potentia *subiectiva*, quæ de se, licet pars alicuius entis realis, puta materia prima Petri, nullum actum habet), vel est in actu quadantenus et in potentia ad aliquam ulteriorem perfectionem sibi advenientem ex alterius communione. Hinc compositiones diversæ, enumerari solitæ, consectaria sunt et certa indicia limitationis. Quod talis sit compositio physica, evidens est: siquidem ipsa nequit resultare ex duobus actibus (nec ceteroquin ex duabus potentiis) sed ex potentia et actu, nimirum ex principiis perficiente et perfectibili: quod evidenter tum imperfectionem tum limitationem dicit. Sed etiam in compositione metaphysica, licet partes in obiecto ipso non sint distinctæ, attamen unum elementum considerari debet tanquam determinabile, cui alterum determinans accedat; ita gradus metaphysici generis et differentiæ concipiuntur tanquam partes invicem complendæ. Quæ omnia in Deo repugnant eo ipso, quod est absolutum *esse*, seu purissimus actus, cui nulla potest accedere perfectio et quod *fundamentum* distinctionis logicæ non est res simplex sed res composita ex potentia et actu. — Ex eadem ratione absurde fingeretur Deum posse in aliorum compositionem venire; etenim in hac compositione, v. gr. cum mundo, deberet, tamquam pars, perfectionem acquirere, mutari et ab alio uniri.

Opponitur 1.° — Scriptura manifeste supponit Deum esse extensum, figuratum, membris et sensibus præditum: « *Excelsior cœlo est et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terrâ mensura eius et latior mari.* (*Job.* XI, 8). — R. S. Th. I, 3, a. 1: « S. Scriptura tradit nobis spiritualia et divina sub similitudinibus corporalium. Unde, cum trinam dimensionem Deo attribuit,

sub similitudine quantitatis corporeæ quantitatem virtualem ipsius designat; utpote per profunditatem, virtutem ad cognoscenda occulta; per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia; per longitudinem, durationem sui esse; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut dicit *Dionysius:* Per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiæ: per longitudinem, processus virtutis eius omnia penetrantis: per latitudinem vero, superextensio eius ad omnia; inquantum scilicet sub eius protectione omnia continentur ». — Quæ ad situm pertinent, non attribuuntur Deo, nisi secundum quamdam similitudinem; sicut dicitur *sedens* propter suam immobilitatem et auctoritatem; et *stans* propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur ei.

Opponitur 2.° — In Incarnatione Deus in compositionem venit cum natura humana. — R. *Unio* Verbi Incarnati absque ulla sui mutatione in tempore facta est, *non in natura*, sed in persona.

Opponitur 3.° — In Deo, qui *unus* in seipso est, datur distinctio *realis* personarum, *logica* essentiæ et relationum atque attributorum. — R. *Proprietas personalis* in Trinitate, comparata ad suum correlativum facit distinctionem realem. Sed ex illa parte non est aliqua *unio* et ideo *nec compositio* (*Ita S. Th.*). — *Relationes* non considerantur ut *adæquate* distinctæ a substantia communi, quia relatio non ponit *aliquid*, sed *ad aliquid;* ibi nulla realitas *additur* realilati alterius. — Denique unum attributum implicite continet alia.

Opponitur 4.° — Relationes Dei ad creaturas obstant simplicitati ipsius. — R. Non, quia non reales, sed rationis sunt. Non sunt *accidens*, nam hoc in Deo non datur; non sunt *substantia*, quia hæc non dicit *ad aliud*, sicut relatio. Cum ergo non sint in Deo realiter et tamen dicantur de eo, relinquitur quod ei attribuantur solum secundum *intelligentiæ modum* ex eo, quod alia referantur ad ipsum (realiter). S. Th. II c. *Gentes,* 13.

Opponitur 5.° — Quomodo possunt a Deo simplicissimo multiplices effectus dimanare? — R. Deus non agit *necessario*, neque ut causa *univoca,* ideoque non producit aliquid *omnino* simile sibi extra se.

Opponitur 6.° — Deus potest a nobis *definiri; differt* ab omnibus aliis rebus; accipit prædicata superiora et communia aliis: de ipso possunt efformari propositiones non synonymæ. — R. De Deo non potest effici propria et *essentialis* definitio, ex genere et differentia, unde nec demonstratio fieri potest nisi *per effectum:* differt, vel melius *diversus* est, per puritatem sui esse, seu toto suo esse; accipit prædicata superiora, at non univoca, sed analogica: quod possint efformari propositiones non synonymæ, non est ex parte rei intellectæ, quæ constet ex diversis realitatibus, verum ex parte intellectus, qui diversis conceptibus eandem rem concipit.

SCHOLION.

De distinctione virtuali in Deo.

51. *Notiones præviæ.*

Licet Deus sit absolute simplex, potest tamen atque debet humana ratio essentiam, attributa et operationes divinas inter se distinguere

distinctione, quam vocant *rationis cum fundamento in re:* hoc autem fundamentum non est aliqua in Deo *præcisio obiectiva* i. e. adæquata distinctio conceptuum, sive essentiæ a perfectionibus, sive harum inter se: sed illius distinctionis fundamentum est ipsa Dei infinita perfectio quatenus, sine ulla potentialitate et tota in actu, *necessario æquivalet* innumeris perfectionibus conceptu nostro distinctis.

Ad cuius rei intelligentiam revocandum est, duplicem dari *distinctionem,* aliam *realem,* quæ rerum diversitatem supponit, aliam *rationis* seu mentalem, quæ diversitatem supponit conceptuum, quibus res in se una repræsentatur. Scotistæ admittunt præterea *distinctionem formalem,* aut *actualem, ex natura rei,* quæ antecedit operationem intellectus et intercedit inter *aliquid* et *aliquid* eiusdem rei, i. e. inter rationes formales seu formalitates ipsius. Reicitur tamen, quia omnis distinctio vel est in re antecedenter ad mentis considerationem, et est realis vel consequitur mentis considerationem, et est rationis.

Distinctio autem rationis vel est *rationis ratiocinantis,* seu pure *mentalis,* absque fundamento in re, uti esset e. g. distinctio inter *hominem* et *animal rationale:* vel est *rationis ratiocinatæ,* seu cum fundamento in re. Hoc fundamentum tunc habetur, cum res, etsi una revera sit, virtute tamen multis *æquivalet.* Ita e. g. anima humana, quamvis sit re ipsa unicum principium, tamen virtute tribus æquivalet, quæ ideo mens distinguit in principium *rationale, sensitivum, vegetativum.* Item ens, quamvis in se unum et simplex, tamen æquivalentia sua fundamentum præbet, ut distinctis notionibus mens concipiat *ens, verum* ac *bonum.*

At facile apparet, *æquivalentiam virtutis* aliam esse in primo, et aliam in secundo ex allatis exemplis. Siquidem id, quod intelligitur conceptu principii *vegetativi,* non includit illud, quod intelligitur conceptu principii *sensitivi,* nec utrumque includit illud, quod intelligitur conceptu *rationabilitatis.* Et ratio est, quia non est de intrinseca ratione principii vegetativi, ut sit etiam sensitivum, nec de intrinseca ratione utriusque, ut sit etiam rationale. Multa enim vegetant quæ non sentiunt, multa sentiunt quæ non intelligunt, et multa etiam intelligunt quæ nec sentiunt nec vegetant. Econtra si cogitem ens ut *ens,* in re entis, conceptu cogitata, includitur etiam entis *veritas* et *bonitas:* quia est de intrinseca ratione entis, ut necessario sit verum et bonum. Hisce declaratis, apparet *æquivalentiam,* quæ præbet fundamentum distinctioni in primo casu, esse perfectionem, quæ non necessario continet ulteriorem perfectionem, sed *in potentia* ad eam concipi potest: in altero casu esse perfectionem, quæ iam *necessario* ulteriorem perfectionem præcontinet. Hinc distinctio illic est cum præcisione obiectiva, et dicitur a nonnullis *maior:* hic absque ulla obiectiva præcisione, et appellatur *minor.* Porro distinctio cum præcisione obiectiva facit rem aliquo modo compositam, distinctio sine hac præcisione rem in se omnino simplicem relinquit.

52. *Fit applicatio ad Deum.*

Hisce positis, facile intelligimus, inter divinam essentiam et attributa, et inter attributa ad invicem, dari quidem distinctionem rationis cum fundamento in re, at sine aliqua præcisione obiectiva: dari scilicet distinctionem virtualem minorem. Hoc enim fundamentum est plenissima Dei perfectio, quæ una simplex innumeris perfectionibus, quæ ex creaturis colligi possunt, ideo æquivalet, quia Deus eas omnes modo eminentiore necessario præcontinet, et superexcedit. Hinc possumus in Deo distinguere *essentiam* ab Eius *sapientia* hoc sensu, quod possumus cogitare Dei *essentiam*, quin expresse cogitemus eam, ut est *sapientia;* attamen non possumus essentiam divinam cogitare ita, ut divina sapientia non includatur in re essentiæ, licet conceptu cogitata, quia essentia Dei necessario est ipsa sapientia, sicuti est iustitia, et ceteræ omnes perfectiones. Quare diversitas attributorum Dei non infert compositionem, quia hoc modo intelliguntur, quod unum implicite continet alia. Quod de attributis, id etiam est dicendum de tribus divinis personis, quæ licet inter se realiter distinguantur ob originem unius ab altera seu relationis oppositionem; attamen a divina essentia ratione tantum, et non adæquate, distinguuntur ob eam infinitam perfectionem, qua Deus necessario est tres ipsæ divinæ personæ, et hæ necessario sunt Deus: natura divina nequit concipi in potentia ad perfectionem personæ, uti contingit in conceptu naturæ rationalis creatæ. Unde distinctio hæc est rationis cum fundamento in re, sed absque præcisione obiectiva.

Dices 1.° — In Deo attributa re non distinguuntur; ergo neque in nostra mente, quia rationes quæ aliter sunt in mente quam in re, sunt falsæ. — R. Mens nostra ea convenienter ut distincta accipit: « Rationes plures horum nominum (quæ Deo tribuimus) non sunt cassæ et vanæ, quia *omnibus* eis respondet *unum* quid simplex, per omnia huiusmodi multipliciter et imperfecte repræsentatum » S. Th. I, 13, a. 4 ad 2.

Dices 2.° (*cum Scotistis*). — Quorum definitiones diversæ sunt, ea distinguuntur formaliter ex natura rei; sed essentiæ divinæ et attributorum definitiones diversæ sunt. — R. Si illæ definitiones sint *adæquatæ*, tunc res definitæ *etiam realiter* distinguuntur: si sint *inadæquatæ* et ita diversæ, ut altera tamen implicite alteram contineat, solum *ratione*.

Dices 3.° — Hæc propositio: « bonitas divina non est sapientia divina » vera est. Atqui non ideo vera, quia concipitur ab intellectu nostro. Ergo quia ita est in re. — R. Vera est secundum sensum formalem explicitum c. secundum sensum identicum implicitum n. Certe bonitas *in genere* non est sapientia, sed bonitas *divina* est sapientia divina.

Dices 4.° — Attributa Dei dicenda forent synonima. — R. Diversa nomina, licet idem in Deo *secundum rem* significent, non tamen *eandem conceptionem* intellectus significant; igitur non adest penitus significatio eadem, quum nomina immediate significent conceptiones intellectus, quæ sunt rerum similitudines. (Cf. Remer p. 342).

Thesis IX. — *Deus, isque solus, est prorsus immutabilis.*

53. ***Declaratio.*** — Duæ sunt partes. Prima est omnem mutationem esse omnino alienam a Deo, seu in ipso Deo nullum dari motum, qui sit transitus a potentia in actum. Secunda pars est cetera cuncta, præter Deum, semper mutari aliquo vero motu a potentia in actum et vicissim. Id autem de fide est, etiam solum ex aperta Scripturarum doctrina, cui accessit Ecclesiæ definitio et recentius quoque in Conc. Vaticano, loco superius citato ubi Deus definitur « una, singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia.... et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus ». (Const. I, cap. 1).

54. ***Prima pars.*** — *Deus est prorsus immutabilis.*

I. Ex S. Scriptura. — Deum immutabilem Ss. Scripturæ multipliciter testantur. Sæpissime *a*) excludunt quod Deus mutetur in consiliis et promissis suis, ut: *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur* (Num. xxiii, 19). Universaliore expressione *b)* quamcumque mutationem a Deo removent, uti Apostolus dicens, quod apud Patrem luminum *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Iac. i, 17). Adhuc significantius Psaltes *c*) affirmat immobilem Dei permanentiam et summam sibimetipsi identitatem, insigni loco (Ps. ci), quem recitat Paulus ad Hebr. i, 11-12, ubi de cœlis legimus: *Ipsi peribunt, tu autem* (Domine) *permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent: Et velut amictum mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Sed etiam *d)* huius permanentiæ causam Scriptura indicat, ubi Deus dicit: *Ego enim sum Dominus et non mutor* (Malach. iii, 6), unde, substituto nomine ineffabili, hæc sententia surgit: *Ego ille sum qui est, ideoque non mutor* (1). Porro qui summe est, is est actus purus sine ulla potentia, et qui est sine potentia, is a potentia ad actum ulteriorem transire nequit, nec proinde mutari.

II. Ex Patribus et ratione. — Ad idem probandum afferri possent Patres, tum ubi citata Scripturarum loca passim expo-

(1) S. Ambrosius de Filio Dei scribit: « Quomodo Deus, si mutabilis: cum ipse dixerit: Ego sum, *Ego sum* (Iehova) et non mutor? » *De fide*, l. I, c. 19.

nunt, tum ubi rationis argumenta subiungunt. Hæc, uti solet, repetit S. Thomas, qui Dei immutabilitatem tripliciter concludit *a*) ex eo quod Deus est actus purus, excludens omnem potentiam receptivam; *b*) ex eo quod est summe simplex, excludens etiam eam compositionem, quæ in omni mutabili datur inter id, quod in eo manet, et id quod transit; *c)* ex eo quod Deus est plenitudine totius entis infinitus, qui non potest aliquid acquirere, aut amittere.

Ad præcavendas difficultates. — Quod si aliquando mentio fiat de motu et mutatione etiam in Deo, ut cum de Sapientia, quæ Deus est, legimus, quod *omnibus mobilibus mobilior sit* (Sap. VII); id explicas ex eo, quod motus aliquando accipiatur non pro transitu a potentia ad actum, sed pro ipsa operatione. Hinc etiam mutatio accipi potest pro actione immutante: quo sensu mutatio etiam de Deo prædicari potest, quatenus OPERATUR intellectu et voluntate, quæ in eo nunquam sunt meræ potentiæ sed sempiternus actus; et Sapientia bene dicitur *omnibus mobilibus mobilior*, quatenus actuosissima MOVET et immutat, quin ipsa moveatur et mutetur, sed *in se permanens omnia innovat* (Ibid. c. VII): « Cum igitur, ait Magister sententiarum, dicimus Deum aliquid facere, non aliquem in operando motum intelligimus illi inesse vel aliquam in laborando passionem, sicut nobis solet accidere, sed eius sempiternæ voluntatis novum aliquem significamus effectum; i. e. æterna eius voluntate aliquid noviter existere. (L. II, *Dist.* 1) ». Similiter si dicamus, Deum ab opere cessare, intelligimus novos divinæ voluntatis effectus non prodire. Deus autem uno æternæ voluntatis actu omnia determinavit, quæ successive in tempore fiunt. (*S. Th.* I. 10. 1). Claritatis gratia fuse referuntur obiectiones quæ communiter fiunt.

Obiectio 1.[a] — In Scriptura Deo tribuuntur affectus iræ, vindictæ, pœnitentiæ, qui mutationem involvunt. — R. *S. Th.* I, 19 a 7, ad 1: « Illud verbum — *Pœnitet me fecisse hominem* — *metaphorice* intelligendum est secundum similitudinem nostram. Cum enim nos pœnitet, destruimus quod fecimus; quamvis hoc esse possit absque mutatione voluntatis, cum etiam aliquis homo absque mutatione voluntatis interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere. Sic igitur Deus pœnituisse dicitur, secundum similitudinem operationis, in quantum hominem, quem fecerat, per diluvium a facie terræ delevit ». Quare eiusmodi effata intelligenda sunt modo, qui Deum decet. Eleganter AUGUST. *Confess.* I, 4: « Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia... amas, nec æstuas; zelas et securus es; pœnitet te et non doles, irasceris et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium ».

Obiectio 2.[a] — Preces nostræ videntur supponere mutationem consilii ex parte Dei. — R. Petitiones fiunt, ut *omnes* conditiones a nobis ponantur, quas Deus pro bonis conferendis ab æterno statuit.

Obiectio 3.ª — Deus homines diligit, cum iusti sunt: si peccatores fiunt, odio habet. Item Deus multa, diversissima, imo contraria operatur. Ergo mutatur. — R. Deus omnia operatur unico et simplicissimo actu: actus in se realiter est ipsa divina essentia considerata sub ratione actus, at perfectione sua infinita, æquivalet infinitis actibus distinctis atque præstare potest quod illi omnes possent, ideoque est *terminative* indifferens et multiplex, pro multiplicitate et varietate obiectorum. Sic e. g. prout terminatur ad divinam bonitatem, est amor quo Deus seipsum diligit; prout terminatur ad res creabiles, est liberrima electio; quoad iustum est amor benevolus, quoad impium est odium puniens, vel misericordia parcens. Idem actus divinus, tendens in diversa obiecta, diversam rationem induit amoris, odii, gaudii. Mutato obiecto, non mutatur actus, alia tantum adest relatio seu connotatio ac terminatio, quæ, in Deo, est simplex respectus rationis, præcise quia exurgit, quin aliquid novi in ipso fiat. S. Augst. hoc illustrat exemplo solis qui unus et idem, radios effundens, in diversis obiectis multiplex fit variosque producit effectus: non ille movetur, sed isti, et successive fiunt termini virtutis eius.

Obiectio 4.ª — Deus, non ab æterno, sed in tempore mundum creavit, homo factus est; ac proinde novas relationes et denominationes acquisivit. — R. Deus *ab æterno* decrevit non modo productionem rerum, sed etiam *modum*, seu locum tempus etc. Cum tempus præstitutum advenit, res producuntur vi illius actus æterni quin aliquid reale tunc Deus accipiat, cum tota mutatio sit ex parte creaturæ. Ipsæ acquirunt respectu Dei realem relationem, et hinc exhibetur intellectui nostro fundamentum ad concipiendam relationem *rationis* Dei ad creaturas. Porro denominationes *Creatoris, Domini* etc. consequuntur hanc relationem rationis ac propterea, etsi in tempore Deo adveniant, nullam mutationem in eo supponunt. Iterum S. Aug. fuse explicat exemplo *nummi*, qui incipit esse *pretium, pignus* etc. et non mutatur. (*de Trin.* l. 5, c. 16).

Obiectio 5.ª — Deus libertate gaudet. Atqui libertas importat quandam indifferentiam et mutabilitatem. — Responsio talis esse debet, ut simul salventur conceptus tum immutabilitatis tum actus liberi. Ne igitur respondeas divinam operationem liberam denominari, non in se ipsa, sed *extrinsece* neque actum liberum in Deo esse *omnino intrinsecum* et constitui per realitatem aliquam, Deo intrinsecam, sed non necessariam, neque actum, in se necessarium, liberum fieri ex suo termino. Sed constanter dicas, quod actus liber in Deo nihil aliud est nisi ipse actus necessarius divinæ voluntatis, superaddita habitudine rationis, seu terminatione non necessaria ad creaturas. Meliora in medium proferre non valemus, unde quam maxime in hoc mysterio fatendum est Deum inhabitare lucem inaccessibilem.

55. *Secunda Pars.* — *Omne aliud præter Deum est mutabile.*

I. Ex S. Scriptura. — Scripturæ affirmant etiam in locis supracitatis, ubi dicunt Deum non esse sicut hominem, ut mutetur (Num. xxiii, 19); cœlos ipsos perire et omnia ut vestimentum veterascere et mutari (Ps. ci); et insuper ubi de ipsis Angelis narrant plurimos ex gratia in malitiam conversos et de cœlo ad infernum præcipitatos (2 Pet. ii. 4).

II. Ex Ratione. — Constat imprimis omnem creaturam mutabilem esse per potentiam *in sua causa*, qui Deus est, existentem. Nam quidquid non est a se, sed factum, id ex sua natura necesse non est ut sit, sed esse potest et non esse, proindeque, sicut a Deo ex nihilo produci potuit in esse, ita de esse reduci potest ad non esse. Respectu igitur ad potentiam Dei absolutam omnia creata sunt æqualiter mutabilia. Verum mutabilia sunt etiam per potentiam *in ipsis creaturis* existentem, quæ est mutabilitas stricte dicta. *Corporea* imprimis, substantialiter composita ex materia et forma, sunt naturaliter mutabilia quoad ipsum esse substantiale, eo quod materia eorum est in potentia ad alias formas incompossibiles cum præcedente forma et, generato novo composito, dissolvitur primum. *Spiritualia* vero, immutabilia quidem sunt in suo esse substantiali, sed mutari possunt et mutantur quoad accidentia, puta intellectiones, volitiones et applicationem ad diversa. Ratio est, quia etiam in hisce spiritualibus naturis, omnis operatio distinguitur a potentia, a qua, vero transitu seu motu, egreditur; quapropter creaturæ, etiam quæ funditus in suo esse incorruptibiles sunt, omnes in perpetua passionum et actionum vicissitudine versantur (1).

Thesis X. *Deus est æternus, quatenus intrinsecâ suâ ratione excludit possibilitatem successionis; quo pleno sensu Is solus æternus est.*

56. ***Declaratio.*** — Prima pars ita ponit probandam Dei æternitatem, ut simul eius propria ratio ex fontibus Revelationis declaretur. Videbimus scilicet, tum in Scripturis tum in doctrina Patrum, ita asseri Deo æternitatem, ut simul appareat proprium characterem divinæ æternitatis formaliter spectatæ esse perfectionem, quæ *intrinseca sua ratione quamcumque successionem vel possibilitatem* successionis excludit, et quæ verbis Boëtii definitur *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Ecclesia fidem suam solemniter pronuntiat in symbolo athanasiano: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus; et tamen non tres æterni, sed unus æternus.* Item per con-

(1) S. Thomas, *Sum. th.* I p., q. 10, a. 2.

cilia Later. IV, cap. *Firmiter* et Vatic. in Constit. *de Fide*. — Secunda pars ponit, æternitatem, sensu exposito, soli Deo convenire proindeque creaturas omnes in aliqua semper successione inveniri ita, ut vel tempore, vel ævo necessario mensurentur.

57. ***Prima pars.*** — ***Deus est æternus.***

I. Ex S. Scriptura et Patribus. — Æternitas strictiore sensu est ea duratio, quæ ex essentia ipsius entis æterni excludat omnem successionem, adeoque necessario sit sine initio, sine fine, sine mutabilitate. Atqui talis describitur duratio Dei in Scripturis et traditionis monumentis. Ergo.

Probatur *minor* universim. Deus tum in Scripturis, tum in symbolis, tum in scriptis Patrum frequentissime vocatur *æternus, sempiternus;* quæ verba sumenda esse sensu strictissimo, dum de Deo proferuntur, facile colligitur ex contextu, ex locis parallelis mox afferendis, et disertissime ex illis effatis, quibus intrinseca æternitatis ratio in ipso necessario et immutabili *Esse* absoluto contineri declaratur: *Ego sum* (Exod. III); *Antequam Abraham fieret, ego sum* (Io. VIII); *Ego primus et novissimus: Ego sum Alpha et Omega* (Apoc. I). Igitur Deus, ut ait Dionysius (1), *in scripturis et* « erat » *et* « est » *et* « erit » *proprie canitur: principium enim et medium et finem entium absolute et eminenter in se anticipavit.*

Probatur *minor* per partes, et quidem quoad *primum*. *a*) Scripturæ ante creaturam omnem adeoque ante tempus ponunt *principium*, quod ideo ab alio non præceditur, et in hoc principio dicunt quod *Deus erat*. Ita Joannes de Verbo ait, quod *in principio erat. Infinite tenditur* erat, ait S. Ambrosius, *quidquid cogitaveris. Filius erat* (2). *b*) Frequentissime in Scripturis Deus dicitur præcedens omne tempus: *ante constitutionem mundi; antequam terra* (i. e. universus) *fieret; ante luciferum.* Hinc vocatur *Antiquus dierum* apud Danielem, quia, ut Dionysius exponit (*De div. nom.* c. X), *Ipse est omnium ævum et tempus, ante dies, ante ævum, ante tempus;* quod intellige de omni tempore etiam imaginabili, quantumvis illud longum concipiatur (3).

(1) *Div. nom.*, c. 5, § 8.
(2) *De fide*, I, c. 3.
(3) Lessius, *De perf. div.*, l. IV, c. 2, n. 6.

Probatur quoad *secundum*. Etenim legimus: *Dominus regnabit in æternum et ultra: Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet: Rex seculorum immortalis, qui solus habet immortalitatem* (Exod. XV; Isai. XL; I. Tim. c. VI). In symbolis profitemur Dei regnum, *cuius non erit finis* et *vitam æternam*.

Probatur quoad *tertium*. De Deo canit Psalmista: *Mutabis eos* (cœlos), *et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (Ps. CI, 28). Ad quæ AUGUSTINUS: *Nonne anni nostri quotidie deficiunt nec stant omnino? Nam et qui venerunt, iam non sunt; et qui futuri sunt, nondum sunt: iam illi defecerunt et illi venturi defecturi sunt.... Qui sunt anni, qui non deficiunt, nisi qui stant? Si ergo ibi anni stant, et ipsi anni qui stant unus annus est; et ipse unus annus qui stat, unus dies est; quia ipse unus dies nec ortum habet, nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur a crastino, sed stat semper ille dies: et quod vis, vocas illum diem: si vis, anni sunt, si vis, dies est. Quodcumque cogitaveris, stat tamen.... Omnia enim ibi stant, ubi nihil transit* (1). Hic per *annos stantes* et *unum annum* et *diem unum*, qui *semper stat*, intelligit *nunc* æternitatis, quod numquam est crastinum, numquam hesternum, numquam præteritum, nunquam futurum, semper præsens, semper *nunc*, in quo Deus omnia peragit et omnia peregit, tam futura quam præterita, uno æterno *hodie* totam vitam perfecte possidens.

II. EX RATIONE. — Æternitas Dei itaque ex eius immutabilitate consequitur. Id eleganter ostendit S. THOMAS hoc fere modo: Omne quod incipit esse vel desinit, vel quod aliquam habeat in suo esse successionem, per motum vel mutationem hoc patitur. Atqui ostensum est Deum esse omnino immutabilem. Est igitur carens principio et fine, totum esse suum simul habens; in quo ratio æternitatis consistit. Imo est sua Æternitas, quia est suum esse uniforme (2).

58. ***Secunda Pars.*** — *Solus Deus est æternus.*

DEMONSTRATUR. — Cum autem solus Deus sit omnino immutabilis, prouti superius demonstravimus; hinc sequitur *solum*.

(1) *Enarr.* in Ps. 121, n. 6; cf. *Enarr.* in Ps. 3, ubi explicat illud: *Ego hodie genui te.* LESSIUS, *De perf.*, l. IV, 13.

(2) S. Th., *Contra G.*, l. I, c. 15, n.° 1 et 2. Cfr. *Sum. th.* I, q. 10, a. 1 et 2

Deum vere et proprie æternum esse. Cetera enim omnia et initium habuerunt et finem vel habebunt vel habere possunt, et perpetuo sive in ipso esse substantiali sive saltem multiplici accidentium successione mutantur, et dum in esse perdurant, in ipsa sua duratione assidue a Deo pendent, secus in nihilum relapsura.

Quod si quædam creata dicuntur æterna, id est per quandam participationem, ita tamen, ut omnes creaturæ etiam quæ aliquo sensu dicuntur æternæ, vel tempore vel ævo mensurentur. Et revera quædam dicuntur æterna solum quia diuturna, eaque tempore mensurantur uti *colles æterni*. Quædam dicuntur æterna, quia fine carent, uti ignis infernalis qui adhuc tempore mensuratur, quamvis infinito a parte post. Substantiæ spirituales, uti angeli et animæ humanæ, quæ natura sua, et corpora beatorum, quæ ex gratia, immutabilitatem secundum esse habent, et beati, qui ulterius immobili visionis beatificæ operatione divinitus fruuntur; ii omnes ævo mensurari dicendi sunt, eo ipso quod non sunt totaliter a mutabilitate immunes, sed quantum ad multa accidentalia adhuc moveri possunt et moventur.

SCHOLION.

Quomodo temporaria coëxistant aeternitati.

59. De hac quæstione (quæ non parum iuvat pro intelligenda libertate hominis sub æterna Dei præscientia) ex declarato divinæ æternitatis conceptu manifesta sunt sequentia:

1. Res omnes, quæ in tempore aliquando sunt, erunt et fuerunt, si in ipsarum *esse actuali* spectentur, non coëxistunt æternitati divinæ, nisi quando iam existunt in seipsis. Cum enim illud esse non habeant ab æterno, tum neque possunt secundum illud esse reale coëxistere Deo ab æterno. Prouti igitur vel nunc sunt, vel iam fuerunt, vel deinceps futura sunt, etiam immutabili æternitati vel nunc coëxistunt, vel tunc coëxistebant, quando erant, vel deinceps coëxistent, quando erunt et quamdiu erunt. Ideo in æternitate nullus est motus nullaque successio, sed in tempore sibi succedunt multa, quæ, dum existunt, æternitati coëxistunt. At quo sensu hoc accipi debet? Eo sensu quod *temporaria omnia*, singulis succedentibus temporis momentis, in quibus realiter existunt, *toti divinæ æternitati coëxistunt*, quia æternitas divina, terminus relationis realis creaturarum, non habet partes et est tota simul; attamen *non totaliter*, nam non semper æternitati coëxistunt, ut per se liquet. Rem perbelle illustrat Lessius

repræsentans æternitatem instar rupis firmissimæ sub qua flumen temporis raptim transit (1).

2. At vero, si tempora et quæ sunt in tempore considerentur ut subsunt *Dei scientiæ, visioni, consilio, dispositioni, præscienti efficientiæ*, tum omnia tempora et quæ fiunt in tempore ab æterno et eodem semper modo simul omnia præsentia sunt scientiæ ac potestati Dei. Secundum suam ideo cognoscibilitatem *esse* creatum est præsens non solum *toti* æternitati, sed etiam *totaliter*. Ratio est, quia ab æterno verum erat, tale *esse* creatum pro determinata temporis differentia esse existens, pro alia præteritum, pro alia futurum, quas omnes differentias æterna Dei scientia eodem semper modo intuetur. Igitur, ut loquitur S. Thomas, « quidquid per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate intuetur, quasi præsens: nec tamen, quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens ». (*C. Gentes* I, 66; cf. Franzelin th. XXXII).

Thesis XI. — *Deus immensus est et ubique præsens.*

60. ***Declaratio.*** — Thesis duo distincta continet, *immensitatem* et *omnipræsentiam* Dei. Illa est veluti absoluta Dei aptitudo coëxistendi in locis infinitis, hæc est actualis et formalis inexistentia Dei in locis aut rebus omnibus extantibus. Cum tamen sit ex ratione ipsius immensitatis, quod Deus possit fieri præsens omnibus creaturis, eo ipso quod actu existunt; tum omnipræsentia una simul demonstrari debet cum immensitate divina, cuius effectus est, cum ea adeo intime nexus. Deum immensum esse profitetur Ecclesia in symbolo Athanasiano et definivit in conciliis Later. IV, et Vaticano.

61. ***Demonstratur I.*** *ex S. Scriptura.*

In Sacris Scripturis Dei immensitas accomodate ad nostrum intellectum describitur per oppositionem ad limites loci et spatii,

---

(1) « Sicut tempus est *nunc volans*..., ita æternitas est *nunc stans*, nam in ea omnia sunt simul et semper in eodem consistunt statu. Sub ipsa volant omnia tempora, et prætereuntibus aliis succedunt alia; et omnis creata natura suos accessus et recessus patitur, amissis antiquis, nova acquirens. Hinc tempus et temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit: omnes aquæ partes successive adlabentes rupem subeunt et transeunt, nec unquam redeunt; rupes autem semper eodem loco manet. Sic omnia temporalia, alia post alia, succedunt et transeunt sub æternitate nunquam reditura ut rursus fluant ». *De perf. div.*, l. IV, c. 3, n. 17.

eo fere modo, quo æternitas eximitur a limitationibus temporis.

a) Revera explicatur immensitas per Dei præsentiam in omni loco et spatio, seu, ut dici solet, *in cœlo et in terra;* ea tamen ratione, ut Deus nullis spatiis comprehendatur, sed spatia omnia superet. Ita apud Ieremiam: *Numquid non cœlum et terram ego impleo?* (XXIII, 24). Et Salomon aiebat: *Si cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus ista quam ædificavi* (non te capit)? (3. Reg. VII). Et apud Iob: *Excelsior cœlo est... profundior inferno,.. longior terra mensura eius et latior mari* (XI, 8).

b) Rursus declaratur immensitas ex eo, quod coram Deo nec est longinquum nec propinquum in spatio. *Putasne Deus e vicino ego sum, et non* (etiam) *Deus de longe? Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum?* (Ier. XXIII, 23). *Si ascendero in cœlum, tu illic es? si descendero in infernum, ades. Si... habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me* (Ps. 138). Ergo coram Deo differentia locorum et spatii nulla est.

c) Denique exhibetur immensitas per id, quod divina præsentia nullum habet terminum. *O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis eius. Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* Ita Baruch, III, 25.

62. ***Demonstratur II.*** *ex Patribus.*

Sancti Patres non modo dogma prædicant, sed etiam explicant. Valeat pro omnibus AUGUSTINUS, qui sæpe admonet ne quid materiale in divina immensitate esse concipiamus. *In eo ipso,* ait, *quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur: sed ita potius, sicut est magna sapientia etiam in homine, cuius corpus est parvum. Et si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior; non est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in uno quam in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, et tanta in unoquoque, quanta in utroque* (1). Et

(1) Lib. *De præsentia Dei* seu *Ep. ad Dardanum* (287) c. 4, n. 11, Cf. *Conf.*, VII c. 10.

optime quidem. Nullus enim aptior modus est concipiendi divinam immensitatem et omnipræsentiam quam ut Deum cogitemus secundum quod est *Sapientia* et *Veritas*. Quando enim cogitamus veritatem obiectivam in ordine methaphysico, facile intelligimus eam antecedere omnes relationes cum temporis ita etiam loci et spatii, ab iisdemque esse independentem ita, ut ipsa in sua ratione una eademque constet, sive ubi nullus sit locus, sive etiam in locis quibuscumque, si qui adsint, non tamen quasi veritas ad locum se moveat, vel in loco circumscriptive aut definitive sit; sed imo ideo veritas ubique eadem est, quia in se ipsa independens est ab omnibus limitibus localibus. Iamvero, quod de omnibus veritatibus in ordine metaphysico asserendum est, id a fortiori valet de Eo, qui est *ipsa veritas substantialis*, radix et fundamentum omnis veritatis. Deus itaque nusquam est *localiter*, sed per suam ipsam substantiam, quæ a veritate nullatenus distinguitur, omnia supergrediens loca, adest ubique (1).

Demonstratur III. ex Ratione.

a) *Deus est immensus.* — Deus est infinitæ simplicitatis; ergo circumscribi nequit loco et spatio, secus dimensiones haberet. *Item*, Deus est infinitæ virtutis; ergo definiri non potest loco et spatio, sicut anima, ex. g., quæ definitive est in corpore.

b) *Deus est ubique.* — Deus immediate agit in omnes res, eas producens ac conservans; ergo ipsis coniungitur ibique totus præsens est, cum sit agens incorporeum. — Ex argumentis adductis patet, immensitatem solius Dei esse propriam.

SCHOLION.

Quo sensu Deus dicatur creaturis omnibus adesse per essentiam, praesentiam et potentiam.

63. Solent theologi distinguere triplicem rationem, qua Deus est in omnibus creaturis: per *essentiam, præsentiam* et *potentiam*.

Scopus huius effati est duplex, tum excludere errorem aliquorum gravissimum, quod Deus sit in omnibus solum per aliquam operationem et non per ipsam naturam et substantiam; tum explicite docere, hanc

(1) Hæc accipias tamquam similitudinem et exemplum ad ubiquitatem Dei *concipiendam;* nondum enim explicant ipsius præsentiæ *rationem formalem*, quæ in ipsa Dei *operatione* reponenda est.

substantialem Dei existentiam in omnibus non esse veluti otiosam et inertem in creaturis, sed maxime actuosam.

Omnes explicationes, quæ feruntur huius effati conveniunt in intelligendo *essentiam* pro natura et substantia Dei, non autem in exponendo sensum *præsentiæ* et *potentiæ*. Plures ex S. Thoma (1) explicant Deum esse in omnibus per *potentiam*, in quantum omnia potestati eius subduntur et in omni suo actu pendent a divina potentia in eis concurrente; per *præsentiam* in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius: denique per *essentiam* in quantum adest omnibus ut causa essendi. Ratio autem in promptu est, cum Deus sit causa essendi omnibus rebus, omniaque esse habeant ac in esse perseverent efficaciâ omnipotentiæ divinæ, prout *Apostolus, Heb. I, 3,* dicit: « *Portans omnia verbo virtutis suæ* ».

Manifestum autem est quod, abstrahendo ab operatione Dei in creatura, Ipse per *essentiam* est in omnibus eodem modo; non tamen eodem modo est ubique per *potentiam* et *præsentiam*.

Hinc Deus dicitur etiam esse cum quibusdam hominibus vel in quibusdam creaturis et locis per *singularem præsentiam* et *operationem;* videlicet quatenus, sublato veluti velamine, sese præsentem ostendit singularibus manifestationibus et operationibus, singularibus illustrationibus et donis tum transeuntibus tum præsertim permanentibus, singulari elevatione et coniunctione creaturæ secum ipso, nominatim creaturæ rationalis, cui se ipsum velut tradit et speciali modo unit ut obiectum fidei, spei, caritatis, visionis et beatificæ fruitionis (2).

Ratio formalis divinae praesentiae in rebus.

Secundum doctrinam S. Thomæ ratio, per quam Deus est præsens rebus et locis omnibus, est eius operatio, ac per hoc significatur, relationem præsentiæ inter duos hos terminos, creaturam et divinam essentiam, non adesse, si per impossibile creaturæ essent per aliud quam per divinam operationem. — Et hoc quidem verum est, « etenim substantia *spiritualis* nullo alio modo intelligi potest esse vere in loco et spatio, nisi vel *informando* per suam essentiam illud quod est in loco et spatio, corpus scilicet, (si sit forma corporis) vel *per operationem* sive contactum virtutis, quo agat in illud, quod est in loco et spatio ». (Remer p. 351). — Ferrariensis, *in III c. Gentes* c. 68, rem bene explicat et difficultatibus occurrit; en nonnulla verba: « Sæpenumero

(1) *Sum. th.* I, q. 8, a. 3.

(2) Vide apud Bona, *Liber Isagocicus ad mysticam theol.,* cap. VII, quomodo ascetice Deum præsentem habere et concipere possimus: Uno modo, per Dei *immensitatem*, qua cœlum et terram implet, per eius *scientiam* infinitam, qua omnia videt et penetrat, et per eius *concursum* ad omnes nostras actiones. Alter modus multo perfectior est, quo Deum non iam extra nos, sed in abdito cordis, et in intimo spiritus nostri præsentem et in nos sua bona effundentem purissimo mentis oculo intuemur.

dicitur a S. Thoma, quod *Deus et quælibet substantia spiritualis est in loco per operationem;* quia videlicet ipsa substantia est id *quod* est in loco, *operatio vero est sibi ratio existendi in loco,* sicut substantia corporis continetur loco, dimensio vero est sibi ratio, quod a loco contineatur. Et sicut *non oportet substantiam corpoream prius esse in loco, quam propriis dimensionibus attingat locum,* sed utrumque simul est, unum sicut *quo,* alterum sicut *quod*: ita non oportet Deum et substantiam spiritualem prius esse in loco, quam operetur in loco, sed utrumque simul est in loco, substantia sicut quod, operatio vero sicut quo. Licet enim operari præsupponat esse, non tamen operari in loco præsupponit esse in loco, in spiritualibus: sicut licet quantitas præsupponat substantiam in qua sit, non tamen quantitatem esse in loco, sive contingere locum, præsupponit substantiam esse in loco, sed e converso ».

CAPUT II.

DE SCIENTIA DIVINA.

64. — Deus est infinite intelligens.

In complexu perfectionum, quas declaravimus, continetur Deum esse *Spiritum infinitum.* Etenim *spiritus* est *substantia immaterialis,* quæ scilicet nec materia est, nec intrinsece pendens a materia. Vidimus autem Deum esse summe ens et summe simplex; ideoque est etiam summe substantia et summe immaterialis. Immaterialitas autem alicuius rei, ut docet S. Thomas, ratio est quod sit cognoscitiva, et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis; idque ex ea ratione, quia quod minus a materia limitatur, illud et magis est capax, ut fiat alia prouti in principio cognoscitivo requiritur (1). Exinde Deus quoniam est Spiritus, intelligitur esse substantia, cuius vita est intellectio; et quoniam est perfectione infinitus, eius intellectio nullatenus in potentia concipi potest, sed est omnino in actu eoque infinito. Qui tamen actus divinus intelligens, seu scientia

(1) *Sum. th.* I, q. 14, a. 1. *Cont. G.*, I, c. 44, n. 4. Entia cognoscitiva, aliter a non cognoscitivis, quæ non habent nisi formam suam naturalem, nata sunt habere quodammodo formas, idest species, aliarum etiam rerum, quin propterea desinant esse id quod sunt naturaliter. Inde apparet propriam notam entis cognoscitivi in eo esse, quod non sit in se coarctatum, sed se ad alia possit extendere aliqualiter assumendo formas ipsorum. Sed coarctatio est per materiam. Quo igitur magis recedit aliquid a coarctatione materiæ, eo magis cognoscitivum est.

divina, ob summam Dei simplicitatem, realiter est ipsa divina substantia. Non ergo in se potest esse multiplex scientia Dei, sed una est et simplicissima.

65. **Quotuplex scientia Dei.**

Attamen ex diversa ratione obiectorum, quæ eidem subsunt, fundamentum imo et necessitas divisionis rationalis dimanat.

a) Celeberrima divisio est in scientiam *simplicis intelligentiæ*, scientiam *visionis*, et scientiam *mediam*. Obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ sunt rerum essentiæ secundum meram possibilitatem; obiectum scientiæ visionis sunt actuales existentiæ sive præsentes, sive præteritæ ac futuræ; obiectum scientiæ mediæ sunt futura conditionata, quæ dici solent *futuribilia*. Huiusmodi *scientia futurorum sub conditione* ideo *media* dicitur, quia licet ab utraque in aliquo differat, tamen partim convenit cum scientia simplicis intelligentiæ, in eo quod obiectum non intuetur ut absolute actu existens, et partim convenit cum *scientia visionis*, in eo quod obiectum non intuetur ut merum possibile, sed sub aliqua conditione etiam infallibiliter existens. Ideo et facile, prouti apud veteres invenitur, hæc scientia communi nomine computari potest cum scientia vel *simplicis intelligentiæ* vel *visionis*, secundum quod diversimode cum alterutra convenit (1).

b) Alia distinctio scientiæ divinæ est in scientiam *absolute necessariam*, si obiectum absolute est necessarium, et scientiam *necessariam tantum ex hypothesi* vel etiam *liberam*, si talia sint

(1) Apud S. Thomam (q. 14, a. 9) et omnes veteres divisio est solum in scientiam visionis et simplicis intelligentiæ et tamen est adæquata, quia assignatur pro obiecto visionis quidquid habet esse actu extra videntem, et pro obiecto simplicis intelligentiæ quidquid non habet vel quidquid consideratur ut nondum habens actualem existentiam pro aliqua differentia temporis. Inter quæ obiecta ita considerata nil mediare potest. Quod si ex iis, quæ non extabunt, aliqua seligantur quæ tantum extarent, data aliqua conditione, ut considerentur non ut mere possibilia, nec ut futura, sed ut futuribilia; tunc habetur obiectum medium. — Seculo XVI, propter subortas quæstiones de gratia efficaci et de prædestinatione, ratio adfuit, cur distinctius de scientia Dei ageretur; hinc p. Molina S. I. († 1600) scientiam conditionatorum tum a scientia visionis, tum a scientia simplicis intelligentiæ distinxit, eamque vocavit *mediam*. Exinde orta est in Scholis celebris disputatio de *scientia media*, quæ igitur a *Molinistis* et *Congruistis* (Iesuitæ generatim: Suarez, Vasquez, systema Molinæ reordinantes) admittitur, non autem a *Thomistis* (qui sunt præcipue ex Dominicanis).

obiecta, quæ possint etiam non existere, licet necessario subsint intuitioni divinæ ex hypothesi quod aliquando realiter existant. Iamvero scientia simplicis intelligentiæ est absolute necessaria secundum totam sui obiecti amplitudinem, quia veritas essentiarum in statu possibilitatis est absolute necessaria. Scientia autem visionis est absolute necessaria quoad suum obiectum princeps, quod est essentia divina ex absoluta necessitate existens, sed est necessaria tantum ex hypothesi quoad obiecta secundaria, quorum omnium existentia, licet realis aliquando, est tamen omnino contingens. Ad scientiam necessariam ex hypothesi revocatur etiam scientia futurorum conditionatorum.

c) Sequitur partitio in scientiam *speculativam* et *practicam*. Scientia simplicis intelligentiæ est speculativa, si spectetur quatenus cognoscit et contemplatur obiectum suum, prouti est obiective verum; est practica, si spectetur quatenus comprehendit rerum omnium naturas, fines, relationes, sub ratione formali quod idoneæ sunt ad accipiendam existentiam a Deo: ita enim divina scientia est intellectio operabilium, seu est *ad modum artis ratio rerum efficiendarum* in mente Creatoris (1). Contra scientia visionis et fere etiam scientia media, cum præsupponat veritatem existentiæ obiecti pro aliqua differentia temporis, *proprie* est speculativa, licet per modum non artis sed providentiæ utraque scientia, et præsertim conditionatorum, *mediate* practica esse possit.

d) Restat divisio in scientiam *approbationis* et *improbationis*, prouti cognitio est vel bonorum, quæ divinæ voluntati placent, vel malorum, quæ displicent. Scientia, quæ per modum artis aut providentiæ est practica, omnis et secundum totam amplitudinem est *scientia approbationis*, unde scientia practica a veteribus dici consuevit simpliciter *scientia approbationis* (2). Scientia

---

(1) Scientia Dei, quatenus comprehendit omnes rationes et modos rerum producendarum, est *practica in actu primo* tantum, nec ea fit *practica in actu secundo*, nisi ei adiungatur divina voluntas ad effectum: secus productio rerum non libera esset, sed absolute necessaria et possibilia omnia essent actu producta. Hic fuit error Vicleffi et nostra ætate est multorum sophistarum, qui sensu præpostero dicunt: *Deum cogitando creare*, et creaturas esse *cogitationes Dei*. Cfr. S. Thomas, I, q. 14 a. 8. Cfr. pr. VII, damnata 18 Sep. 1861, item pr. XIV, et XVI damnatæ Decreto *Post Obitum*, 14 Dec. 1887.

(2) S. Thomas, I, q. 14, a. 8. « Scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari *scientia approbationis* ».

speculativa sæpe approbat, sed etiam improbat, quando videlicet ad ea refertur, quæ sunt simpliciter mala. — In Scripturis approbatio appellatur simpliciter *cognitio*, et improbatio *ignoratio*, ut cum Deus dicitur novisse opera sua et viam iustorum, et nescire malos aut non posse ad iniquitatem respicere (1).

66. Dum quæritur ad quæ denique obiecta scientia Dei sese extendat, ratio et fides conclamant: ad omnia cognoscibilia. Sed, ut distinctius hanc quæstionem, quæ in hac re potissima est, tractemus, primo generatim tuebimur, Deum suam infinitam essentiam comprehendere et in ea necessario cognoscere omne verum in ordine tum possibilium tum existentium. Corollariis inde deductis, diversa obiecta scientiæ divinæ distincte indicabimus, simulque modum quo Deus alia a se et etiam futuribilia cognoscit.

Thesis XII. — *Deus infinitam suam essentiam perfecte comprehendit et in ea necessario cognoscit omne verum, in ordine tum possibilium, tum realiter aliquando existentium.*

67. ***Declaratio.*** — Duæ sunt partes. Prima est, quod Deus seipsum perfecte cognoscit, seu seipsum comprehendit, proindeque scientiâ infinitâ, prouti infinita est divina essentia. Altera vero pars inde concludit, quod Deus in sua essentia necessario cognoscit quidquid habet rationem veri, sive illud sit in ordine ideali possibilium, sive in ordine aliquando actuali rerum existentium. Conc. Vat. *(De fide c. 1)* docet quod Deus intellectu est infinitus, atque ideo « omnia nuda et aperta sunt oculis eius, ea etiam quæ libera creaturarum actione futura sunt ».

68. ***Prima pars.*** — *Deus seipsum comprehendit.*

I. Ex S. Scriptura. — Huc pertinent illa verba Apostoli: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (I Cor. II, 10, 11). Quibus verbis Patres contra Arianos divinitatem Spiri-

(1) Tecum sapientia tua, quæ novit opera tua (*Sap.* IX). — Novit Dominus viam iustorum (Ps. 1). Nescio vos; nunquam novi vos (Matt. VII; Luc. XIII); — Respicere ad iniquitatem non poteris (Habac. I).

tus Sancti demonstrare solebant. Quod vero de Spiritu Sancto, id et de Patre et de se ipso affirmat filius: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem* (Jo. x, 15). Ergo quælibet Persona cognoscit perfectissime aliam: sed quælibet et omnes sunt unus idemque numero Deus: ergo Deus seipsum perfectissime noscit.

II. Ex Patribus et Ratione. — Huc spectant dein omnia illa, quæ contra Eunomianos Patres præsertim græci disputarunt, dum Deo soli attribuunt, quod se comprehendit. — Rationem vero, cur Deus seipsum ita perfecte cognoscit, paucis exhibet Minutius Felix (sec. III) in *Octavio* suo dicens: *Deus soli sibi tantus, quantus est, notus.* Et clarius S. Thomas: « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas Eius in existendo ». Operatio enim sequitur esse. Atqui esse divinum est infinitum, et quidem infinitum etiam in ratione cognoscibilitatis. Ergo æque infinita erit divina intelligentia, eaque poterit infinitam essentiæ intelligibilitatem totam comprehendere. Sed est insuper intelligentia Dei tota in actu: ergo infinitam essentiæ intelligibilitatem totam actu comprehendit. Cum autem in Deo, quia simplicissimus est, actus eius sit ipsa divina substantia; ergo Deus, qui secundum plenitudinem essentiæ est verum absolutum infinite cognoscibile, est simul suæ infinitæ essentiæ perfecta comprehensio substantialis (1).

69. ***Secunda pars.*** — *Deus in seipso cognoscit omne verum.*

I. Ex S. Scriptura. — *a*) Ipsa in primis tamquam perfectionem propriam Sapientiæ divinæ declarat, quod *novit* et *intuetur* omnia ab æterno, antequam fiant in tempore et post facta. *Quis me videt?* ait peccator apud Ecclesiasticum, *tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus Illius.... Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia* (Eccl. c. xxiii, 25–29).

b) Deinde sacri libri divinæ huius perfectionis rationem proponunt, quod Dei Sapientia est *artifex* adeoque omnium continet

(1) S. Thom. I, q. 14, n. 3.

ideam: *Quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem sensus* (intelligentia scilicet humana) *operatur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex?... Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit* (sapientia) *præterita et de futuris æstimat... signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et seculorum* (Sap. VIII, 5, 8).

c) Eodem fere modo loca plura Scripturarum cum *omnipotentia creante* coniungunt omnium scientiam, sicuti et evangelista Ioannes asserit, omnia facta per Verbum, quod erat in principio apud Deum. Ex Scripturis igitur, quam late patet omnipotentia Dei, tam late protenditur eius sapientia et scientia. Atqui omnipotentia sese extendit ad quidquid in quovis ordine habet rationem entis. Ergo pariter sapientia necessario comprehendit quidquid in quovis ordine habet rationem veri (1).

II. Ex Patribus. — Patres explicite declarant modum scientiæ Dei ex sua essentia, tanquam ex *principio, exemplari,* et *repræsentatione* omnis entis et consequenter omnis veri.

De omniscientia Dei ex eo, quod Deus est omnium *causa,* disertissime disputat Dionysius: *Mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum omnium causam in se ipso omnium cognitionem anticipat... Non enim ex ipsis entibus entia discens novit divina mens: sed ex seipsa et in seipsa, secundum causam, omnium scientiam et notionem et essentiam præhabet et ante comprehendit: non singulis secundum cuiusque speciem intendens* (divisim), *sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens et continens... Seipsam igitur divina sapientia noscens, scit omnia; materialia sine materia, et indivise divisa, et unite multa, ipso uno* (quod est essentia divina) *omnia et cognoscens et producens... Sic igitur Deus entia cognoscit, non per scientiam entium* (ab entibus ut causa derivatam), *sed per scientiam sui ipsius* (2).

De scientia Dei, secundum *rationes in eo exemplares,* multa dicit Augustinus et inter alia scribit: *Id quod per ipsum* (Verbum) *factum est vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia quando fecit; et sicut vidit, ita fecit non præter seipsum videns, sed in seipso, ita enumeravit omnia quæ fecit,* et

---

(1) *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* (Ps. 93).

(2) *De div. nom.* c. 7, § 2.

ex paritate rationis omnia etiam enumeravit, quæ non fecit nec faciet, sed facere posset (1).

Demum quod *ipsa Dei intellectio,* per se spectata ob suam intrinsecam perfectionem, comprehendere debeat omnem veritatem, efficacissime exprimit idem S. Doctor, ubi Dei cognitionem appellat vivacitatem inconcussæ veritatis cuncta illustrantis, de ea scribens: *Cum... vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta illustrantis... pro viribus cogitavero, insinuatur mihi utcumque scientia Dei* (2).

III. Ex Ratione. — Essentia divina, quæ est proprium obiectum divinæ intellectionis, tum est *causa*, tanquam ens et verum absolutum a quo pendent et analogicâ participatione derivantur omnia quæcumque habent rationem entis et veri; tum est idea *exemplaris* rerum omnium, quæ ad extra esse possunt, aut aliquando realiter erunt; tum est formaliter ipsa infinita *intellectio,* seu repræsentatio veri. Atqui causa efficiens et exemplaris omnium nequit plene cognosci in tota sua extensione, nisi plene cognoscantur omnia, quæ ab illa causa tanquam effectus et exemplata pendent aut pendere possunt, simulque intellectio veri esse nequit infinita, nisi in ea splendeat omne verum in ordine tam existentium quam possibilium. Ergo Deus, quoniam suam comprehendit essentiam, eo ipso omne verum omnino comprehendit in ordine tum possibilium tum existentium.

70. ***Animadversio.*** Totam hanc doctrinam videre possumus apud S. Thomam, præsertim *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 5, 6, 7, tum. lib. I, c. Gentes c. 48-54.

Unde desumimus essentiam divinam non modo esse obiectum materiale *princeps* divinæ intellectionis, sed illud obiectum, quo intellectio divina suam habet propriam perfectionem, quo, si fas est dicere, determinatur, per quod et in quo cognoscit omne verum. Ideo dicitur etiam obiectum *formale.* Reliqua vera autem, quæ Deus intelligit uno eodemque actu, quo seipsum intelligit, nec perficiunt, nec determinant scientiam Dei, ipsaque cognoscuntur non per se et propter se, sed per aliud et propter aliud, i. e. propter essentiam et per essentiam Dei. Ideo dicuntur obiectum divinæ scientiæ *materiale secundarium.* Ita-

(1) *De Gen. ad litt.* l. V, 10, 15, 18, 19. Cfr. S. Anselmus, *Monol.* c. 10.
(2) *Ad Simplic.* l. II, q. 2. Cfr. Bernardus, *Consid.* V, 5.

que divina intellectio ex sese determinata ad intelligendum absolutum verum, per hoc et propter hoc protenditur, absque augmento suæ perfectionis, ad omne verum cognoscendum in ipso vero absoluto. Hoc voluerunt dicere Scholastici, quando dixerunt: Deus non intelligit res a se distinctas per species proprias rerum, sed per suam essentiam tanquam per speciem intelligibilem (repræsentationem) omnium (1).

Obiicies 1.° — Cognitum est perfectio cognoscentis; sed nihil a Deo diversum potest esse perfectio Dei: ergo nihil a Deo diversum potest esse cognitum ab ipso. — R. Dist. M: secundum similitudinem seu speciem, qua cognoscitur, c. secundum naturam, qua in se constat, n. Etenim secundum hanc manet extra cognoscens, illudque non perficit. Similitudo autem eius seu species vere perficit intellectum, quem informat. Porro Deus per nullam aliam speciem intelligit, quam per suam essentiam. (Cfr. S. Th. II. *de Ver.* a. III ad 1.).

Obiicies. 2.° — Obiectum est altera cognitionis causa, secundum illud « ex cognoscente et obiecto paritur cognitio. » Atqui nihil esse potest causa cognitionis divinæ. Ergo. — R. Dist. M.: si concurrat ad productionem speciei, qua potentia cognoscitiva fit proxime potens ad cognoscendum, c., si se habeat tantummodo per modum termini, n. « Si similitudo (species) sit effectus rei (obiecti), tunc res erit quodammodo perfectio intellectus *active*, sed similitudo eius *formaliter*... Et quia intellectus divinus non habet scientiam causatam a rebus, nec similitudo rei, per quam cognoscit res, est aliud quam sua essentia, nec essentia sua est ab alio causata; nullo modo ex hoc quod cognoscit res alias, sequitur quod eius intellectus sit ab alio perfectus ». *ib.*

Obiicies 3.° — Scientia est assimilatio scientis ad scitum. Sed inter Deum et creaturam est minima assimilatio. Ergo. — R. Dist. M.: secundum *convenientiam in natura*, n., secundum repræsentationem, c. « Quamvis igitur sit minima similitudo creaturæ ad Deum *secundum convenientiam in natura;* est tamen maxima similitudo secundum quod expressissime divina essentia *repraesentat* creaturam; et ideo intellectus divinus optime rem cognoscit » *ibid. ad* 9.

Obiicies 4.° — Etiam assimilatio secundum *repraesentationem* videtur imperfectionem inferre. — R. « Dicendum quod cognitio, quæ accipitur a rebus cognitis, consistit *in assimilatione passiva*, per quam cognoscens assimilatur rebus cognitis prius existentibus; sed cognitio, quæ est *causa rerum cognitarum,* consistit *in assimilatione activa,* per quam cognoscens assimilat sibi cognitum; et quia Deus etc. » II. *de Verit.* 8. ad 2.

Obiicies 5.° — Cognitio Dei per cognitionem suæ essentiæ est infinita; atque adeo augeri non potest. Sed si poneretur cognoscens etiam alia, videretur aucta. — R. quod hoc ipso, quod Deus cognoscit essentiam suam, cognoscit necessario illam ut sine fine imitabilem: et si ita non cognosceret, profecto illam infinite non cognosceret.

---

(1) Anselmus, *Monol.* c. 32 id expressit aiens, quod Deus *nihil dicit* (cognoscit) ***verbo creaturæ*** (a creatura derivato); *quidquid dicit, Verbo suo dicit.*

Obiicies 6.° — Sicut ex eo quod Deus sit ipsum esse, non sequitur eum continere formaliter omnes perfectiones creaturarum; sic ex eo quod Deus sit ipsum intelligere, non sequitur eum intelligere omnia intelligibilia formaliter. — R. Nego paritatem. Nam in ratione ipsius esse subsistentis ut omnis perfectio includitur, sic omnis imperfectio excluditur; ideoque perfectiones creaturarum, quæ imperfectionem involvunt, formaliter in eo esse non possunt. At intelligere quidquid intelligibile est, est perfectio simpliciter simplex: ergo formaliter debet esse in ente, quod est ipsum intelligere.

Obiicies 7.° — Ab essentia Dei omnis pluralitas excludenda est: ergo cognitio Dei est una. Unitas autem cognitionis pendet ab unitate obiecti. Ergo Deus non cognoscit nisi unum obiectum, quod est essentia sua: reliqua dicenda sunt cognita virtualiter in ipsa cognitione obiecti, quod continet omnia. — R. « Intellectus divinus nulla alia specie intelligit quam essentia sua; sed tamen essentia sua est similitudo omnium rerum. Per hoc ergo sequitur quod conceptio intellectus divini, prout seipsum intelligit, quæ est verbum ipsius, non solum sit similitudo ipsius Dei intellecti, sed etiam omnium, quorum est divina essentia similitudo. Sic ergo per unam speciem intelligibilem, quæ est divina essentia, et per unam intentionem intellectam, quæ est verbum divinum, multa possunt a Deo intelligi ». I. *c. Gent.* 53.

Obiicies 8°. — Philosophus in XII. *Met.* excludit a primo intelligente intelligere aliquid ab eo diversum propter *indignitatem* intelligibilis: nobilitas enim τοῦ intelligere pendet ex nobilitate intelligibilis. — R. cum S. Th. ibid. « Quod Philosophus intendit ostendere, quod Deus non intelligit aliud, sed seipsum, *in quantum intellectum est perfectio intelligentis,* et eius quod est intelligere (actus ipsius intelligentis). Manifestum est autem quod nihil aliud sic potest intelligi a Deo, quod sit perfectio intellectus eius. Nec vilitas alicuius rei intellectæ derogat dignitati ipsius. Nam intelligere actu aliquid indignissimum non est fugiendum, nisi inquantum intellectus in eo sistit, et dum illud actu intelligit, retrahitur a dignioribus intelligendis. » — Remer, p. 382.

COROLLARIA.

I. De secundariis obiectis divinæ scientiæ singillatim.

71. **Deus scientiâ, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, cognoscit omnia possibilia.**

Si enim Deus per suam essentiam omnia cognoscit, iam et comprehendere debet possibilia omnia secundum naturas non solum specificas sed individuas, secundum omnes possibiles perfectiones, relationes, ordines, fines, actiones, limites et imperfectiones; idque non multis distinctis actibus sed uno substantiali actu, quo comprehendit seipsum. Ipse enim essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est participabilis per aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæ

que autem creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem (1).

72. **Deus scientiâ visionis intuetur imprimis ea omnia aliquando existentia, quæ a liberis actibus voluntatis creatæ non pendent.**

Id *a)* consequitur ex præcedenti corollario. Nam si ex divina voluntate, seu efficiente seu permittente, obiecta, quæ per se sunt in statu possibilitatis, pro aliqua temporis differentia actu existant; hoc ipso, quæ in *signo priori* subsunt divinæ intelligentiæ ut possibilia, eadem in *signo posteriori* subsunt, ut existentia, divinæ visioni. Adeoque in cognitione perfecta omnium possibilium, ut *forent* in se ipsis, comprehenditur quodammodo ut particula, si fas est dicere, cognitio existentium, ut *sunt* in se ipsis, quæ eo ipso est scientia visionis. — Hæc divina intuitio *b)* in Scripturis tum generatim dicitur pertingens ad universa: *Ipse enim fines mundi intuetur et omnia quæ sub cœlo sunt respicit* (2); tum speciatim declaratur pertingens ad singula. Ita non solum scientiâ speculativâ, sed maxime practicâ eâque providentiæ, etiam volatilia cœli Pater cœlestis cognoscit et passeres custodit sic, ut sine ipso nullus cadat in terram, et lilia ac fœnum agri ipse vestit, et capillos capitis nostri numeratos habet (3).

73. **Scientiâ visionis Deus in sua æternitate intuetur etiam actus omnes liberos creaturarum, pro quavis temporis differentia existentes.**

Etenim *a)* ex dictis Deus omne omnino verum infinita sua intellectione comprehendit. Atqui erat ab æterno verum, quod tales actus liberi existerent pro tali temporis differentia. Ergo. — Accedit *b)* quod pariter ex dictis divina scientia sit incommutabilis, æterna, absque successione, et quod ideo nulla ei fieri possit accessio, cum res in tempore evenerit. — *c)* Scripturæ universæ hanc Dei scientiam demonstrant argumento reali. *Præscientia enim Dei tot habet testes, quot fecit prophetas* (4), qui porro ea nominatim prænuntiarunt futura, quæ a creata libera voluntate pendebant. — Hanc Dei præscientiam *d)* directe

(1) *Sum. th.* I, 15, 2.

(2) Iob. c. XXVIII, 24.

(3) Matth. VI, 26: « *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis, quid manducetis. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea et Pater cœlestis pascit illa* ». Lc. XII, 24.

(4) Tertull. *cont. Marc.* II, 5.

docuit ipsum Conc. Vaticanum illis verbis: *Omnia enim nuda sunt et aperta oculis eius, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt* (1).

74. **Deus certa scientia ab æterno cognoscit etiam futura libera conditionata.**

Intelligimus scilicet, quod Deus non scientia coniecturali, sicuti iam aliqui theologi ausi sunt asserere (2), sed scientiâ certa cognoscit ab æterno, ad quos actus creata voluntas, conditionibus aliquibus positis, sese libere determinatura esset. Conditio hic sumitur proprie dicta, quæ *revera* habeat nexum cum actu libero; unde, ea posita, foret actus, ea non posita, non foret. Attamen nexus huiusmodi *non est necessarius* neque ex ipsius conditionis natura est infallibilis; unde actus, ea conditione supposita, certe quidem sequeretur, non tamen necessario sed libere.

Iamvero etiam huiusmodi scientiam conditionatorum in divina omniscientia contineri, evidens est. Cum enim hæc futura conditionata suam habeant obiectivam veritatem, ideo ea patere debent divino intellectui, qui formaliter est actualis repræsentatio omnis veri.

Id tamen etiam directe confirmant theologi: *a)* ex Scripturis, in quibus Deus plures actiones liberas revelavit sub conditione futuras, quæ tamen, deficiente conditione, non evenerunt (3); —

---

(1) Const. *De Fide* c. 1.

(2) Insistebant adverbiis *forte, fortasse,* quæ in Vulgata occurrunt. Ex. gr. in Matth. XI, 23 Christus D. de Capharnao loquens ait: « Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, *forte* mansissent usque in hodiernum diem ». Ergo, eodem modo, coniecturaliter loqui potest de pœnitentia Tyriorum et Sydoniorum, quæ tanquam exemplum futuribilium adducitur. Sed imprimis animadvertere licet, quod in textu Matth. 21, a quo arguimus, illud adverbium de facto deest. Præterea particula ἄν, quæ in textu græco invenitur cum v. 23, tum v. 21, per se non est dubitationis. Ipsa promiscue vertitur *forte* et *utique* et quidem in eadem sententia, ut Io. VIII, 19 et XIV, 7. Ceterum Patres illas voces dicunt non exprimere *dubitationem*, sed quandam *accommodationem* nostro loquendi modo. — (cfr. Pesch. p. 110).

(3) Ita e. g. Matth. XI, 21: « *Væ tibi, Corozain! Væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim et cilicio et cinere pœnitentiam egissent* ». — Aliud testimonium est I Regum XXIII, 9-12: « *Et ait David: Domine Deus Israël, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me; si tradent me viri Ceilæ in manus eius... Et dixit Dominus: Tradent* ».

b) ex Patribus, qui hanc divinam præscientiam ut omnino exploratam apud omnes supponunt, uti præsertim ex eorum disputationibus cum Manichæis et Gnosticis patet; — *c)* ex sensu omnium christianorum, quorum nemo est, qui, si quando interrogaretur de istis contingentibus conditionatis, statim non respondeat: nescio ego, Deus scit. Hinc sententiâ sane mitissimâ ait P. Perrone: *vix salva fide, certa huiusmodi scientia denegari Deo potest* (1).

75. **Multitudo obiectorum, quæ actu Deus præter seipsum cognoscit, est infinita.**

Licet absurdum sit quod multitudo infinita in se existat aliquando actu futura, est tamen verissimum, quod actu Deus cognoscit multitudinem infinitam sive possibilium, sive cogitationum et affectionum cordium, quæ in infinitum multiplicabuntur, creaturis rationalibus permanentibus absque fine (2).

76. **Deus cognoscit vilia.** — « Intellectus divinus, non recipiendo a rebus, cognoscit, sed magis quod eis influit: cum igitur sit infinitæ virtutis in intelligendo, oportet quod eius cognitio usque ad *remotissima* extendatur. Vilitas cognitorum in cognoscentem non redundat *per se;* hoc est enim de ratione cognitionis, ut cognoscens contineat species cogniti secundum modum suum. *Per accidens* autem potest, redundare in cognoscentem vilitas cognitorum, vel eo quod, dum vilia considerat, a nobilioribus abstrahitur cogitandis, vel eo quod ex consideratione vilium in aliquas indebitas affectiones inclinatur: quod quidem in Deo esse non potest. - Huic autem consonat quod dicitur *Sap.* VII, 24 de divina sapientia, quod *attingit ubique propter suam munditiam, et nihil inquinatum incurrit in illam.* — *S. Th. c. Gentes* I. 70. — Quod autem S. Hieronymus videatur hoc denegare, id intelligi debet sensu comparativo non absoluto; scilicet non ea divina providentiæ scientia creaturas illas irrationales regi, qua Deus regit rationales. — (*in Habacuc.* 1, 14).

Cognoscit etiam mala. — « Quicumque perfecte cognoscit aliquid oportet quod cognoscat omnia quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur. Unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est. Unde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni; per hoc ipsum quod

(1) Franzelin, th. XLV; Perrone, *De Deo*, n. 295 et seq.
(2) S. Thomas, I, q. 14, a. 12; Franzelin, th. XLI.

Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala; sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. » — *S. Th.* I. q. 14, 10.

II. De modo quo Deus cognoscit secundaria obiecta.

77. I.° De modo quo Deus generatim alia a se cognoscit.

Duo tenenda sunt: *a)* obiecta secundaria cognoscit in essentia sua ut in *medio cognito*. Quare dicitur ea cognoscere non immediate in seipsis sed in seipso; si quidem illa non videt per illorum speciem nec ea respicit ut obiectum formale, sed per suam essentiam primo cognitam. « Dicendum est, inquit S. Thomas, p. I, q. 14, a. 5, quod Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudines aliorum ab ipso ». *b)* Attamen ea Deus cognoscit non solum in *communi* et ut sunt *eminenter* in divina essentia; sed etiam speciatim et ut in seipsis sunt vel esse possunt, seu cognoscit ea, ut ait Angelicus, *cognitione propria* i. e. secundum propriam eorumdem naturam. Si enim Deus cognosceret esse rerum solum in communi, tunc imperfecte cognosceret; si vero solum secundum quod eminenter sunt in Deo, tunc non cognosceret ipsum *esse* creatum vel possibile, sed solum suam essentiam. Illud enim *esse* eminens rerum in Deo aliud non est quam ipsa divina essentia. Itaque Deus cetera cognoscit secundum quod sunt in seipsis, quia essentia divina continet eminenter omnes differentias rerum (1).

Obiicies 1.° — Qui cognoscit aliquid in alio tanquam in medio, non cognoscit immediate: atqui Deus omnia alia a se cognoscit immediate. Ergo. — Dist. M: Qui..... tanquam in medio *ex quo* c. tanquam in medio *in quo* n. Contradist. min.

Obiicies 2.° — Si Deus non cognoscit res in seipsis, sed in seipso, illas cognoscit secundum esse, quod habent in seipso, i. e. secundum esse *universale* et *eminentiale*. — R. Cognoscit eas secundum esse, quod habent in seipso, *et* secundum esse quod habent in seipsis. Etenim non est idem non cognosci res in seipsis,

---

(1) S. Thomas, I, q. 14, a 6. « Cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cuiuscumque rei alterius (et adhuc amplius), Deus in seipso potest omnia *propria cognitione* cognoscere. Propria enim natura uniuscuiusque consistit secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res *propria cognitione*, secundum quod ab aliis distinguuntur ». Perlegatur totus articulus.

et non cognosci secundum esse, quod habent in seipsis. Illud significat res non cognosci a Deo per obiectum formale et per speciem, quæ sint *aliud ab essentia sua;* hoc significat res non cognosci a Deo secundum propriam naturam, qua in se constant: quod falsum est. Igitur Deus cognoscit omnia a se diversa, non solum prout cognoscit essentiam suam, quæ *eminenter* continet omnes perfectiones creatas, sed etiam prout cognoscit omnes modos, quibus essentia sua imitabilis est. Proindeque cognoscit creaturas secundum *formale esse,* quod habent in seipsis.

Obiicies 3.° — Essentia divina et essentia creaturæ infinite distant: ergo sicut per essentiam creaturæ nequit perfecte cognosci essentia divina, ita per essentiam divinam nequit cognosci perfecte essentia creaturæ. — R. Dist. M. ut actus omnino disparati n. ut actus perfectus et imperfectus c. Ergo nego conseq. Nam « quum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias... sicut perfectus actus ad imperfectos... Manifestum est quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propria..... cognitione. » S. Th. I, 14, 6.

Obiicies 4.° — Cognitio *propria* alicuius rei habetur per *propriam rationem* rei. Sed essentia Dei est *communis* ratio rerum, et *non propria,* quia idem non potest esse ratio propria eorum, quæ sunt multa et diversa. Ergo. — R. Conc. M. Dist. min. si *absolute* accipiatur essentia Dei, c. si cum proportione, prout est a diversis participabilis et imitabilis, n. Ideo ad hanc difficultatem S. Th. ib. ad 3: « Idem non potest accipi ut ratio diversorum per modum *adæquationis.* Sed divina essentia est aliquid excedens omnes creaturas. Unde potest accipi ut propria ratio uniuscuiusque secundum quod diversimode est participabilis, vel imitabilis a diversis creaturis. »

Obiicies 5.° — Nihil pertinens ad absolutam rationem intelligendi esse potest alienum a Deo: atqui cognoscere res creatas in seipsis pertinet ad absolutam rationem intelligendi. Ergo. — R. Dist. M. et ratio intelligendi accipienda est *ex parte obiecti intelligibilis,* c. *ex parte modi intelligendi,* n. Contr. min. Responsio est clara: secus deberemus tribuere Deo rationem intelligendi per compositionem et divisionem, per ratiocinium, imo et per opinionem: nam hæc pertinent ad absolutam rationem intelligendi.

Obiicies 6.° — Qui cognoscit alia a se in seipso, cognoscit ea superiori aut inferiori modo, ac sunt in seipsis, secundum quod *sua substantia* superior aut inferior est rebus cognitis. — R. S. Th. *de Causis*, I, 8: « Hoc quidem est intelligendum, ut modus cognitionis accipiatur *ex parte cognoscentis.* Quia scilicet quamvis causa prima sit *superintellectualis* intelligentia, non cognoscit eam intelligentia creata *superintellectualiter* sed *intellectualiter*; et similiter, quamvis corpora sint *materialia* et *sensibilia* in seipsis, intelligentia tamen non cognoscit ea *sensibiliter* et *materialiter*, sed *intellectualiter.* Si vero accipiatur modus cognitionis *ex parte rei cognitæ*, sic cognoscit unumquodque prout est in seipso; cognoscit enim intelligentia, quod causa prima est superintellectualiter in seipsa, et quod res corporales habent in seipsis esse materiale et sensibile. » apud Remer p. 386.

78. II.° **Quomodo Deus cognoscat futura et futuribilia libera.**

Duplex Explicatio. — De modo quo Deus cognoscit futura *necessaria* non est quæstio: ea videt et in essentia sua, quatenus participabili et in decreto suæ voluntatis, quo huiusmodi futurorum

causas necessarias præparavit. Difficultas et controversia inter *Thomistas* et *Molinistas* est quoad futura et futuribilia libera. — 1.° Porro iuxta *Thomistas,* duplex est tantum scientia: *simplicis intelligentiæ,* qua Deus videt omnes essentias rerum *possibilium* in sua essentia, quæ est omnis entis creabilis exemplar; *visionis,* qua cognoscit omnia *existentia,* sive sint præsentia, sive præterita, sive futura. Quæ quidem videt non præcise in sua essentia, sed in libero *decreto* suæ voluntatis: seu, aliis verbis, ideo ab æterno ea cognoscit, quia ipse ab æterno voluit et determinavit ea esse futura. (ZIGLIARA, *Summa Philos. Theol. n.* 24). Etenim Deus videt omnia *in seipso* tanquam *in medio:* secus enim scientiam suam e rebus creatis emendicare cogeretur; atqui non potest ea cognoscere in sua essentia ut essentia est, quæ directe nonnisi possibilia repræsentat, neque in intellectu, qui ex se nihil aliud continet nisi archetypa possibilium; ergo ea cognoscit in voluntate, quatenus ab æterno decrevit quædam possibilia præ aliis producere in actum. Si quæratur quomodo peccata prævideantur, respondent ea cognosci *non* in decreto *approbativo,* sed in decreto *permissivo,* quatenus Deus ab æterno decernit in tali vel tali casu suspendere seu denegare speciale auxilium, quo vitaretur peccatum. Quoad futura conditionata, dicunt ea cognosci in decretis *subiective absolutis* et *obiective conditionatis;* v. g. ab æterno Deus vult quod Tyrii convertantur, si ipsis Evangelium prædicetur; decretum illud est absolutum subiective « volo Tyrios converti, » sed conditionatum ex parte obiecti « *posito quod ipsis Evangelium prædicetur* ». — Alii tamen rem aliter exponunt, dicentes Deum videre *futura contingentia* in eorum *rationibus intelligibilibus,* penes se existentibus, supposita tamen *libera determinatione divinæ voluntatis* ad alteram partem contradictionis: nam ideæ divinæ, quæ per se non repræsentant nisi quidditates rerum earumque essentiales proprietates non possunt rerum existentias cunctaque accidentia contingentia repræsentare, nisi supposito actu divinæ voluntatis, ex quo omnia ista dependent. *Futura autem conditionata* Deus in seipso cognoscit, *supposito actu cooperativo suæ voluntatis,* obiective conditionato, seu qui effectum sortiretur, posita conditione. — (Ita *Card.* PECCI, *S. Tommaso circa l' influsso divino e la scienza mezza; Card.* SATOLLI *de Deo Uno*). — *Obiiciunt* quidem Molinistæ his decretis destrui libertatem ; si enim voluntas divinis decretis determinatur ad agendum, non videtur quomodo sese determinet. *Respondent* Thomistæ: quidquid Deus ab æterno decernit, certo quidem et infallibiliter evenit, non autem necessario, ut ait S. Thomas (I. 19. 8). *S. Augustinus* autem rem illustrat exemplo Petri, pro cuius perseverantia in fide Christus oravit: quæ quidem oratio fuit efficax, ita ut Petrus certo et infallibiliter in fide perseveraverit, sed efficacitas orationis libertatem eius non destruxit, sed potius perfecit. Quod de efficacitate orationis Christi prædicatur, de decretis divinis pariter dici potest. Aliunde Deus deter-

minat quidem voluntatem ad agendum ut *prima causa,* sed voluntas sese determinat ut *causa secunda,* et ita salvatur libertas; non enim de essentia causæ secundæ, etiam liberæ, est ut agat independenter a prima causa.

2.° Iuxta *Molinistas* præter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis, alia admittenda est, quæ versatur circa futura conditionata et *media* vocatur. Docent siquidem futura libera non in divinis decretis cognosci, sed in seipsis, in sua *veritate obiectiva.* Hoc, inquiunt, non significat ea non videri in essentia divina tanquam in medio; « sed significat, ait *Pesch.* (n. 271) ea non videri in ullo medio, quod præcedat eorum futuritionem, sed videri in eo tantum signo rationis, quod simultaneum est cum eorum futuritione ». Quod varie a variis auctoribus explicatur: sed hodie generatim sic arguunt: Deus ab æterno cognoscit quidquid est determinate verum: atqui futura libera sunt in seipsis determinate vera; hæc enim aliquando erunt vera, quando sc. adimplebuntur: atqui quod est determinate verum in tempore, potest a Deo ab æterno videri, quum eius æternitas omnia tempora coæquet. Idem docent quoad *conditionate futura:* Deus siquidem ea cognoscit immediate in seipsis ante ac independenter ab omni actuali decreto; sic enim arguunt: ex duabus propositionibus contradictoriis, ex. g. « Si Petrus in his adiunctis, *peccaret* », et « si Petrus constitueretur in his adiunctis, *non peccaret* », una est determinate vera, et altera determinate falsa: atqui Deus cognoscere potest quidquid est determinate verum.

Respondent autem Thomistæ futura huiusmodi non esse determinate futura nisi ex decretis divinis; sumatur enim hæc propositio: « Petrus in his adiunctis peccaret, vel non »: in *se* non est certe vera, neque certe falsa, sed indeterminata, quum voluntas Petri libera sit essentialiter, indifferens ad oppositos actus: proindeque non potest fieri determinata nisi ex divinis decretis. Quod tamen Molinistæ negant; nam ait *Pesch.* (n. 278), « hoc non provenit ex decreto Dei, sed ante omne decretum Dei verum est, neque ullo decreto Dei mutari potest. Nam cum sit impossibile, ut res in ullis circumstantiis existat indeterminate, sed necessario habeat determinatam existentiam, etiam Deus hoc non potest mutare, quia non potest impossibilia et contradictoria reddere possibilia ». — (Tanquerey. *De Deo Uno* p. 137).

Fateri placet cum Bellarmino ac plerisque magni nominis theologis, rem esse omnino difficilem et fortasse in hac vita incomprehensibilem. Attamen hæc distinctius adnotasse sufficiat. — *a*) Futura et futuribilia libera, non secus ac cetera omnia, Deus videt in seipso, ut in medio cognito. Et ratio est quia hoc pertinet ad modum cognoscendi proprium Dei, qui ut primum rerum principium etiam in cognoscendo omnino inde-

pendens esse debet. — *b*) Ea tamen Deus non tantum cognoscit secundum esse eminentiale quod habent in divina essentia, sed etiam, ut sunt in ***seipsis*** seu secundum esse quod habebunt vel, verificata conditione, haberent in seipsis. Ratio est quod isti actus liberi futuri vel futuribiles et ipsi sunt quidam modi essendi, quibus divina essentia participabilis est ad extra, ideo sunt cognitione propria a Deo cognoscibiles, cum ipse essentiam suam perfectissime comprehendat. « Speculando enim et comprehendendo essentiam suam, necessario cognoscit omne id quod in ea exemplariter continetur ; huiusmodi autem est omne ens et omnis modus entis, ergo et omne liberum conditionatum, quod evidentissime constituit quemdam specialem modum entis possibilis » (1). — *c*) Positive vero determinando quomodo Deus in sua essentia hæc futura et futuribilia secundum eorum esse cognoscat, excludere audemus, quod ea Deus prævideat in suis decretis prædeterminantibus, ne ab actibus liberis ratio liberi et contingentis auferatur. Ea contenti sumus explicatione, quam affert S. Thomas ubi q. xiv, art. 13 de cognitione tractat futurorum contingentium, sub quo communi nomine etiam futuribilia comprehendit, quia utrorumque eadem cognoscendi ratio eademque difficultas habetur. Tota autem Doctoris Angelici explicatio reducitur ad *præsentialitatem*, qua Deus in sua æternitate sistens omnia cognoscit. — Dei « cognitio mensuratur æternitate, sicut suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Unde manifestum est quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem et tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata » (2).

79. **Cum infallibili præscientia divina conciliatur libertas humana.**

« Cognitio nostra est in tempore et ideo intuitus noster respicit res secundum rationem temporis, scilicet præsentis, præteriti et futuri ; ut scilicet cognoscat præterita ut præterita, præsentia ut præsentia, futura ut futura.... Cognitio vero divina

(1) Billot, *De Deo Uno*, p. 184.
(2) S. Th. p. I, XIV, a. 13.

est supra tempus et mensuratur æternitate solum, et ideo non cognoscit res prout sunt in tempore, sed.... prout præsentia, et hoc tam necessaria quam contingentia; unde omnia cognoscit tanquam præsentia in sua præsentialitate. Cum ergo intellectus noster certitudinaliter cognoscat præsentia, multo magis Deus omnia sibi præsentia certitudinaliter cognoscit; *ex quo nulla necessitas rebus cognitis inducitur.* Sicut videmus quod aliquis existens in loco eminenti, videt certitudinaliter ordinem venientium aliquorum et euntium per vias; et alius in plano existens, non videt nisi quæ sunt sibi præsentia; et tamen hominibus istis ex hoc nulla necessitas imponitur. Nam hoc non est nisi ex hoc, quod in alto existens intuetur omnia ut præsentia, quæ eunti in plano sunt præterita (scilicet illa quæ retro sunt), præsentia (illa scilicet quæ sunt iuxta se) et futura (illa scilicet quæ anteriora sunt)». Ita S. Thomas Quodlib. XI, a. 3. Hinc ita se habet divina prævisio ad futuros nostros actus, sicut se habet nostra visio aut memoria ad actiones: quas libere vel nunc agi cernimus vel iam peractas recordamur. *Sicut tu*, inquit Augustinus, *memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt* (1).

Obiectio 1.ª — A causa necessaria procedit effectus necessarius; sed scientia Dei est causa scitorum. Cum ergo ipsa sit necessaria, sequitur scita eius esse necessaria. Non ergo scientia Dei est contingentium. — R. Scientia Dei non est causa proxima scitorum, sed remota et talis cuius necessitas, quum sermo est de scientia visionis, consequitur liberam determinationem Divinæ Voluntatis. Ac proinde non sequitur res scitas esse necessarias. — Scientia Dei per se solam non est causa rerum. Ipsa enim, per se, non est libera et complectitur bona et mala. Unde, si Deus res eo ipso produceret, quod eas intelligit, necessario eas produceret et mala faceret. Econtra scientia Dei est causa rerum adiuncta voluntate.

Obiectio 2.ª — Omnis conditionalis cuius antecedens est necessarium absolute, consequens est necessarium absolute. Sed huius conditionalis «*Si Deus scivit hoc contigens futurum esse, hoc erit*» antecedens est necessarium absolute. Ergo et consequens est absolute necessarium. — R. Dist. M. Consequens est necessarium necessitate se tenente ex parte intellectus cognoscentis, c. ex parte rei scitæ, n. «Quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse quod in se est, sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in se ipsa et esse rei in anima, ut puta si dicam: si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam, «*Si Deus scivit aliquid, illud erit,*» consequens intelligendum est prout subest

(1) *De Lib. Arb.* III, 4.

divinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate. Et sic necessarium est sicut et antecedens. « *Quia omne quod est, dum est necesse esse* » S. Th. I, 14, 13.

Obiectio 3.ª — Omne scitum a Deo necesse est esse. Sed nullum contingens futurum necesse est esse. Ergo hoc, quod dicitur contingens, vel a Deo non cognoscitur vel de facto non est contingens. — R. Dist. M. necessitate se tenente ex parte Dei scientis, c. ex parte rei scitæ, n. *Contrad. min.* quatenus accipitur in se, c. quatenus accipitur ut cognitum, *subd.* si cognoscatur ut futurum, c. si cognoscatur ut præsens, n. S. Thomas (c. G. I c. 67). « Cum dicitur: Deus scit vel scivit hoc futurum, medium quoddam accipitur inter divinam scientiam et rem scitam, scilicet *tempus in quo est locutio,* respectu cuius id quod a Deo scitum dicitur, est futurum, non autem est futurum respectu Divinæ Scientiæ, quæ *in momento æternitatis existens, ad omnia præsentialiter se habet.* Deceptio igitur accidit ex hoc, quod tempus in quo loquimur coëxistit æternitati, vel etiam tempus præteritum quod designatur cum dicimus: Deus scivit. Unde habitudo temporis præteriti vel præsentis ad futurum, æternitati attribuitur, quod omnino ei non competit. Et ex hoc accidit *secundum accidens falli* ».

Obiectio 4.ª — Res scitæ a Deo in tantum sunt, in quantum Deus voluit eas esse. Sed voluntas Dei immutabiliter vult quidquid vult. Ergo res scitæ a Deo non habent intrinsecam contingentiam. — R. Dist. M. eo modo quo Deus vult eas esse, idest modo conformi exigentiæ naturæ earum, c. modo difformi, n. *Dist. min.* Si ↄ immutabiliter referatur ad rem volitam, n., si referatur ad Divinam voluntatem, *subd.* ad excludendam successionem volitionum, c. ad excludendam libertatem volitionis, n.

SCHOLION.

Deus est ipsa Veritas.

80. Veritas invenitur *formaliter* in intellectu, secundum quod apprehendit rem ut est (adæquatio intellectus cum re intellecta); et *fundamentaliter* in re, secundum quod habet esse conformabile intellectui (ens quatenus est intelligibile). Atqui utrumque maxime invenitur in Deo. Nam esse suum non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere. Et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse, sive in rebus existentibus (quæ eatenus veræ sunt, quatenus respondent ideis divinis), sive in possibilibus (quæ eatenus esse possunt, quatenus divina essentia est illis modis ad extra imitabilis); insuper mensura est omnis alterius intellectus in triplici ordine luminis naturalis, gratiæ et gloriæ. Ipse vere Deus est suum esse et intelligere. Ergo non solum in Deo est veritas, sed ipse est ipsa summa et prima veritas tum *intellectualis,* tum *essentialis* (1).

Sed etiam est ipsa veritas *moralis,* seu quæ veritas *in dicendo* dicitur (conformitas locutionis cum mente loquentis), cui affinis est *fide-*

(1) S. Thomas I, q. XVI, a. 5, quem magistraliter, ut solet, commentatur Franzelin, *De Deo,* th. XXVIII.

litas, quæ veracitas est in promissis et minis. Iamvero Deus ita verax est, ut ne absoluta quidem potentia falsum dicere possit, unde et absolute repugnat, Eum sive in promissis sive in minis fallacem esse. Hanc duplicem veritatem pertinere ad ipsam naturam Dei, testatur Paulus: *Impossibile est mentiri Deum;* et ratio evidens est, quia utraque veracitas semper est quædam adhæsio veritati. Deus autem est ipsa veritas, quæ, docente ipso Apostolo, *negare se non potest* (1).

CAPUT III.

DE DEI VOLUNTATE.

Quæstiones præviæ.

Post ea, quæ ad divinam scientiam pertinent, considerari debent ea, quæ pertinent ad voluntatem divinam. Iuvat autem de ea aliquas prævias quæstiones solvere (2).

81. **Deus est volens.**

In Deo veram esse voluntatem quotidie profitemur orantes: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra*, et manifesto sequitur ex ea generali ratione, quod omnis res ita inclinatur in proprium bonum, ut, quando non habet illud, tendat in ipsum et, quando illud habet, quiescat in eo. Quæ ad bonum inclinatio in rebus carentibus cognitione vocatur *appetitus naturalis* innatus, in cognoscentibus sed sensu tantum *appetitus sensitivus*, in iis qui intelligunt *appetitus rationalis* seu voluntas. Cum igitur Deus maxime intelligat, sequitur ut maxime sit volens, non quidem ut in bonum tendat, quod non habeat, sed ut amet quod semper habet et delectetur in illo.

82. **Obiectum voluntatis divinae.**

Primarium huius divinæ voluntatis obiectum esse Deum ipsum, docet S. Scriptura dicens: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (Prov. XVI, 4). Revera obiectum primarium voluntatis illud est, quod per se volumus et cuius gratia cetera volumus, unde et est nobis causa volendi. Si itaque primarium obiectum divinæ voluntatis non esset Deus ipse, ali-

(1) *Hebr.* VI, 18; II *Tim.* 2, 13. Cfr. S. THOMAS, in hanc ep. c. 2, lect. 2.
(2) S. THOMAS, I per totam q. XIX.

quid aliud extra Deum esset Ei causa volendi, et ipse fieret dependens simulque desineret esse ultimus finis et summum bonum. Quæ omnia absurdissima sunt.

Verum etiam creata esse obiectum secundarium divinæ voluntatis, ex ipso primario obiecto sequitur. Nam ex eo, quod Deus vult et amat suam bonitatem propter ipsam, ex hoc ipso vult et amat cetera omnia, quæ ideo sunt, quia illam divinam bonitatem aliqua ratione participant (1). Imo Dei voluntas quoad alia extra se in hoc quidem consistit, quod proprium bonum aliis per similitudinis participationem communicet, unde voluntas Dei est infundens et creans bonitatem in rebus.

83. *Deus malum physicum non intendit, nisi per accidens.* — Certe illud non intendit per se, quia sola ratio boni per se est appetibilis; bene autem potest per accidens seu indirecte, id est volendo bonum, cui coniungitur malum physicum, sicut volendo iustitiam vult pœnam et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi. (S. Th. I. 19. 9.). — *Malum morale nec per se nec per accidens vult.* Deberet ordinem habere ad divinam bonitatem, quia solum per ordinem ad ipsam Deus vult alia a se. Sed malum morale, scilicet malum culpæ, stat in privatione ordinis ad divinam bonitatem. Unde aperte in Psalmo V. 5, 7: « Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus... Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus ». — *Peccata fieri Deus permittit.* Ait enim S. Augustinus, *Enchir.* 95: « non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit vel *sinendo ut fiat vel ipse faciendo* ». Permittit autem pluribus de causis. « *Prima* causa est generalis: quia decet gubernatorem universalem et supremum, ut, postquam res optime et sufficientissime ad omne bonum instruxit, sinat eas agi suis motibus: alioquin auxilium collatum non videretur fuisse sufficiens, et bonum opus videretur coactum, nec esset tanta laude dignum. *Secundo,* ut creatura rationalis sese excitet ad bonum faciendum et malum vitandum, semper intenta et sollicita ne gratiæ desit. *Tertio* quia ex malo novit elicere maxima bona », uti sunt *manifestatio* iustitiæ, misericordiæ, ac virtutum *exercitium,* præsertim *patientiæ* et *humilitatis.* Hic possumus adnotare, quod si Deus peccata non vult, imo prohibet, et si motivum sufficiens habet pro illorum permissione, nullo modo possunt ei peccata imputari, licet ipse, prævidens, reprobum creet.

Dices 1.° — Malum, morale et physicum, habet rationem entis. Ergo est a Deo *efficienter.* — R. S. Th. *de Malo* 3. 2: « Quidquid est de motu in claudicatione,

(1) *Cont. Gent.* l. 1, c. 75, n. 3.

est ex virtute motiva animalis; sed quidquid est ibi de defectu, non est a virtute motiva, sed a tibia, secundum quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva. Sic ergo... quod est ibi (in peccato) de *actione*, reducitur in Deum sicut in causam: quod autem est ibi de *inordinatione* vel deformitate, non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, quod *actio* peccati est a Deo, sed *peccatum* non est a Deo ». In peccato igitur distinguas cum S. Doctore formalitatem ***physicam et moralem.***

Dices 2°. — Deus non vult peccata *non fieri*. Ergo vult *fieri*, quia peccata *fieri* et *non fieri* contradictorie opponuntur. — R. S. Th. I. 19, 9 ad 3: « Licet mala *fieri* et mala *non* fieri contradictorie opponantur, tamen *velle* mala fieri et velle mala *non fieri* non opponuntur contradictorie, cum utrumque sit affirmativum. Deus igitur neque *vult* mala fieri, neque *vult* mala *non* fieri, sed *vult permittere* mala fieri et hoc est bonum ».

84. **Deus obiectum secundarium libere vult.**

« Deum in iis, quæ extra se vult, perfectissima uti libertate » est dogma fidei iterum a Conc. Vatic. definitum, quodque Scripturæ apertissime docent, cum dicunt Deum operari ad extra prout vult, ubi vult, quomodo vult (1). Revera: Deus quidem suam bonitatem ex necessitate vult, sed alia a se velle non potest nisi propter ipsam suam bonitatem. Verum voluntas aliqua nequit ex necessitate ferri in quodcumque obiectum ratione amoris, quo amat aliud, nisi contingat hoc aliud principaliter amatum sine illo esse non posse, aut eo necessario indigere. Atqui divina bonitas sine creaturis esse potest et certe nullatenus eis indiget, imo nihil omnino boni ex eis acquirere potest. Ergo evidens est Deum nulla necessitate velle alia a se.

85. **Libertas divina.**

« Quomodo in Deo libertas hæc indifferentiæ concipi queat explicare non possumus. Attamen scimus a divina libertate removendas esse omnes imperfectiones, quæ nostræ libertati miscentur, et ideo primo divina libertas nullatenus se habet ad malum, secundo nullam importat potentialitatem voluntatis ad hunc vel ad illum volendi actum, et hinc tertio actus liber in Deo non est operatio contingenter a voluntate procedens, sed est ipsissima necessaria atque immutabilis volitio, qua Deus vult seipsum, prout ad creaturas contingenter terminata.

Hinc libertas in Deo non est, ut in creaturis, indifferentia potentiæ ad actum, sed est ***indifferentia terminationis in actu***

(1) *Rom.* IX, 18; 1ª *Cor.* XII, 11; *Eccli.* XXXIX. 8; Cfr. *Eph.* I, 11; 1ª *Cor.* I, 27.

divino. Deus eodem æterno et immutabili actu vult se et alia, terminatione tamen multiplici et diversa. Terminatio divini actus ad obiectum primarium, seu ad bonitatem divinæ essentiæ, est absolute necessaria; sed eius respectus ad obiecta secundaria, ad bona participata, est liberrimus. Hic autem respectus et hæc terminatio ad bona finita non potest esse per actum volitionis superadditum, sed ipse actus necessario terminans ad Deum, pro sua ipsa infinita eminentia, potest immediate, seu nullo alio interposito volitionis actu, respicere et veluti se protendere ad alia, præter Deum, idque absque ulla sui mutatione. Hinc dici potest, quod in Deo libertas arbitrii consistat « in eminentia divini velle, quod pro nutu sine ulla sui mutatione valet terminari vel non terminari ad creaturas ».

86. **Voluntas Dei salvifica.**

Hisce declaratis, iam tanquam res per se manifesta statui debet, quod hac sua voluntate Deus diligit omnia quæ sunt, etiam irrationalia et inanimata, iuxta illud: *Diligis omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti* (Sap. XI, 25). Sed creaturas rationales diligit etiam ea speciali voluntate, qua eis finem supernaturalem salutis constituit et vult, ut eum consequantur. Hæc voluntas dicitur *salvifica*, de qua speciatim nobis agendum est.

87. **Voluntas Dei antecedens et consequens.**

Circa voluntatem hanc maxime necessaria a SS. Patribus et theologis usurpata distinctio est, in voluntatem *antecedentem* seu *primam*, et *consequentem* seu *secundam*. Ut vero hanc explicent distinctionem, aliqui theologi, inde a seculo XVI (præsertim Dominicani *Bannez* † 1604, *Alvarez*, sec. XVII...) dicunt, quod Deus *ante considerationem maioris boni universalis et pulchritudinis universi* vult salutem omnium hominum; *post* autem *considerationem boni maioris*, quod est manifestatio suæ iustitiæ, Deus vult salutem prædestinatorum tantum, salutem aliorum non vult. Quare terminus, præ quo voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens, non sunt liberi actus nostri prævisi, boni vel mali, sed plane alius terminus, independens a libera hominis voluntate. Sed alii, iuxta veriorem SS. Patrum sententiam, ita explicant, ut Deus *ante quamcumque nostrorum actuum prævisionem* ex se et ex insita sua bonitate vult salutem omnium; *post* autem *prævisos actus liberos creaturæ*, vult

salutem eorum tantum, qui eam actibus suis bonis merebuntur, non vero aliorum, qui actibus malis libere eam amittent. Quia vero voluntas Dei punientis non est nisi consequens ad opera hominum mala, dum econtra voluntas Dei salvantis non modo consequitur, verum etiam antecedit bona opera creaturarum; hinc frequentissime Patres voluntatem Dei punientis sine distintione vocant *consequentem*, et voluntatem Dei salvantis *antecedentem*. Ita Damascenus: « Nosse opportet quod Deus *antecedenter* vult omnes salvos fieri.... *Peccantes* autem vult puniri, ut iustus. Dicitur igitur voluntas *prima*, *antecedens*, et *beneplacitum*, quæ ex ipso est; voluntas autem *secunda* et *consequens* et *permissio*, quæ est *ex nostra causa* (Fid. orthodox. II. 29) ».

88. **Præcipuæ divisiones voluntatis divinæ.** — Sicuti scientia divina, quamvis una et in actu et identificata cum ipsa divina substantia, attamen ratione diversorum obiectorum a nobis suscipit divisionem; ita et voluntas Dei, a nobis dividitur et ratione volitorum et ratione modi volendi, et ratione manifestationis ipsius volitionis.

I. *Ex parte volitorum voluntas Dei distinguitur in antecedentem et consequentem.* Cum voluntas semper sequatur cognitionem (saltem secundum rationem), ideo non dicitur antecedens vel consequens simpliciter per ordinem ad cognitionem, sed solum per ordinem *ad determinatam cognitionem particularem*. Hinc voluntas antecedens attingit bonum in sua prima consideratione, seu respicit quod est bonum per se, secundum universalem considerationem: voluntas consequens attingit bonum in sua consideratione secunda et consequenti ad aliquid, seu bonum per accidens. Sit exemplum:

Hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam et universalem considerationem; unde quisquis est rectus et honestus vult voluntate antecedente hominem vivere, et non vult hominem occidi. At si contingit hominem esse, propter crimen, in periculum societatis, tunc hunc hominem vivere est malum per accidens et secundum considerationem consequentem ad crimen, et occidi illum hominem est bonum per accidens; unde iudex honestus, voluntate consequente vult hominem criminosum occidi.

II. *Ex parte modi volendi voluntas Dei est absoluta vel conditionata. Voluntas dicitur absoluta,* si respicit aliquid absolute obtinendum seu si voluntas omnibus bene perpensis et post omnes possibiles considerationes, vult aliquid absque ulla conditione, quia illud existimat absolute bonum. *Voluntas dicitur conditionata*, si respicit aliquid obtinendum, modo verificetur determinata aliqua conditio, et proinde respicit aliquid non absolute obtinendum, utpote quod sub variis conditionibus potest evadere bonum vel malum, diligibile vel odibile. Sit exemplum:

Superior homo vult voluntate conditionata aliquos præmio donare, modo bene se gerant in propriis officiis; vult vero voluntate absoluta aliquos præmio donare, quos iam cognovit se bene gessisse in propriis officiis; et si talis homo superior media infallibilia possideret faciendi, ut certos alumnos bene se gerant, posset voluntate absoluta et antecedente aliquos velle donare præmio.

Hinc: — 1. *Voluntas antecedens est absoluta vel conditionata* secundum quod,

semper respiciendo bonum per se et in primaria consideratione, vel nulla sit possibilis conditio quæ illud bonum per se facere possit malum, vel econtra sit possibilis talis conditio. Sic *voluntas salvifica Dei, prouti respicit salutem omnium hominum, est antecedens conditionata*, quia de facto aliqui demerentur salutem, et pro iis accedit voluntas Dei eorum damnationis. E contra *voluntas salvifica quoad illos quos Deus elegit gratuito et misericorditer* ad salutem, est quidem *antecedens*, sed *absoluta*, cum electio Dei sit infrustrabilis.

2. *Voluntas antecedens et conditionata Dei non est necesse ut impleatur*, quamvis ex sese sit efficax quoad dispositionem et collationem mediorum in ordine ad finem volitum antecedenter et sub conditione.

3. *Voluntas consequens semper est absoluta et necessario impletur;* respicit enim quod de facto et definitive est bonum, quamvis non sit bonum nisi per accidens seu consequenter. Talis est sola voluntas qua Deus vult iniquos damnatione puniri, quia damnatio est bonum non in primaria intentione, sed in consequente intentione.

4. *Voluntas divina absoluta, sive sit antecedens sive sit consequens, non imponit omnibus volitis necessitatem, sed quibusdam tantum.* Patet de voluntate antecedente absoluta, ex eo quod quando Deus vult ut a determinatis causis determinati effectus vel actus educantur, non vult ut procedant necessario, sed vult et facit ut procedant sive necessario sive libere secundum naturam causæ. Per suam enim voluntatem absolutam transfert ad existentiam talem ordinem rerum ex possibilibus præconceptis in quo prævisi sunt per scientiam simplicis intelligentiæ actus et effectus procedere necessario vel libere a causis.

Sic æterna voluntas dandi electis gloriam, non facit ut actus meritorii quibus homo meretur vitam æternam procedant necessario.

Patet etiam de voluntate consequente absoluta, ex eo quod respicit ea quæ consequuntur liberas determinationes voluntatis Dei reprobos puniendi æterna pœna, non facit ut actus demeritorii proveniant necessario, quia illa determinatio pœnæ sequitur prævisionem demeritorum.

III. *Ex parte manifestationis volitionis voluntas Dei est beneplaciti vel signi.* Voluntas beneplaciti est ipsa divina interna volitio: et voluntas signi est ipsum signum quo Deus manifestat exterius suam voluntatem. Signa autem quinque enumerantur: *præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio.* Non est dicendum quod præcise Deus velit id quod videtur apud nos significare, seu non est necesse ut voluntas signi semper incidat in idem obiectum ac voluntas beneplaciti. Sic permissio mali non significat Deum velle malum, sed velle ut actus sint in nostra potestate; prohibitio vel præceptum non semper significant Deum nolle aut velle id quod prohibet vel præcipit, sed velle nos esse debitores faciendi vel omittendi aliquid quod præcipit vel prohibet. Ut in mandato Abrahæ dato de occidendo filio Isaac Deus nihil aliud voluit nisi promptam obœdientiam Abrahæ. E contra operatio semper coincidit in idem obiectum ac voluntas beneplaciti.

89. **Quæstiones tractandæ.**

Si voluntas Dei accipiatur *antecedenter*, princeps occurrit dogma vindicandum, quod Deus vult omnium hominum salutem; si vero voluntas Dei accipiatur *consequenter*, et prouti eam explicant veteres Patres et Doctores, consideranda occurrit ex una parte *impiorum reprobatio* et ex altera *electorum prædestinatio.*

90. **Reprobatio.**

Prout est positiva, a Magistro sententiarum definitur: *Præscientia iniquitatis quorundam et præparatio damnationis eorundem.* Reprobationem hanc *positivam* attribuendam esse non antecedenti sed *consequenti* voluntati Dei, est aliud dogma vindicandum contra Calvinianos, sive sint *supralapsarii*, qui causam reprobationis soli tribuunt Dei beneplacito ante prævisionem ipsius lapsus originalis, sive sint *infralapsarii*, qui eam reiiciunt in peccatum originale, prouti etiam placuit Iansenio. Neque vero reprobationem *negativam* admitti posse *antecedenter* ad prævisa peccata, argumenta validissima suadent (1).

91. **Prædestinatio.**

Notiones. — Strictiore sensu, est quæ ab Augustino definitur: *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur* (2), cui alia respondet definitio: *Præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro* (3). Quo quidem sensu voces *prædestinatio* et *prædestinati* communiter et recte usurpantur a theologis, solum ubi ultimus effectus vitæ æternæ reipsa obtinetur; unde sequitur Dei gratiæ et beneficia ad prædestinationem pertinere in iis solis, qui ad gloriam prædestinati sunt, in aliis vero pertinere potius ad communem providentiam. Stricta huiusmodi prædestinatio sumi potest *complete* vel *incomplete.* Complete sumpta, est efficax præparatio gratiæ finaliter efficacis (i. e. de facto perducentis ad gloriam) simulque ipsius gloriæ. Incomplete, est efficax præparatio vel solius gratiæ finaliter efficacis et dicitur etiam prædestinatio ad gloriam *radicalis* seu *virtualis;* vel solius gloriæ et dicitur prædestinatio ad gloriam *formalis.*

Verum sedulo advertendum est, in Scripturis et iuxta doctrinam Augustini, prædestinationem frequenter sumi etiam sensu minus pleno, sine respectu ad *realem consecutionem* ultimi termini, eaque hoc sensu sæpius definitur ab Augustino: *Præparatio gratiæ, quæ cum datur in tempore, habet effectum boni operis.* Ubi sane intelligitur gratia vere supernaturalis, quæ suum obtinet saltem proximum effectum in tempore, intelliguntur bona fidei, iustificationis, augmenti iustitiæ et alia, quæ per gratiam

(1) Franzelin, *De Deo,* 575. 577.
(2) *De dono persev.* c. 14, n. 35,
(3) S. Thomas, *S. th.* I, q. XXIII, a. 3.

reipsa conferuntur, nec non ipsi boni actus, quos ipsi libere facimus gratiæ cooperando, quique proinde sunt opus Dei. Quæ omnia, in Scripturis et ab Augustino, passim dicuntur pertinere ad *prædestinationem, electionem, consilium* et *propositum* Dei etiam *per se,* licet æterna salus non sit secutura. In libro enim de Prædest. SS. et de Dono persev. pluries docet Augustinus, gratiam fidei et iustificationis *cuiuscumque christiani* vocari *prædestinationem sanctorum,* quatenus hæc gratia consideratur in præscientia et voluntate æterna decernente eam conferre in tempore. Hoc sensu manifesto adhibentur a Paulo vocabula *prædestinatio, prædestinati, propositum, electio et electi.* Imo aliquando *salvati* salute inchoata dicuntur omnes christiani (1).

In quibus theologi conveniant. — *a)* Prædestinatio, sensu quoque strictiore, existit eaque certa est et immutabilis ex parte Dei, incerta ex parte nostrum. Hoc *de fide* est, etenim ex revelatione certum est, Deum hominibus dona supernaturalia ac gloriam conferre in tempore. Atqui fide pariter et ratione constat: quod Deus facit in tempore, in æterno eius decreto constitutum esse; nam Deus tempori non est subiectus. Ergo fide constat Deum dona supernaturalia et gloriam illis hominibus ab æterno destinasse, seu *prædestinasse.* — *b)* Prædestinatio adultorum incomplete sumpta ad gratiam tantum est *ante* prævisa merita (2). *c)* Prædestinatio complete ad gratiam simul et gloriam est *ante* prævisa merita. *d)* Prædestinatio formaliter ad gloriam in *executione* est *post* et *propter* merita.

Theologorum de prædestinatione systemata. — Si prædestinatio ad gloriam, præcisive sumptam, consideretur antecedenter ad executionem prouti est in *intentione* Dei, h. e. si quæstio fiat utrum Deus ab æterno decreverit dare gloriam electis propter eorum prævisa merita an independenter ab illis, theologi in tres abeunt sententias. Alii eam affirmant decretam *ante,* alii *post* merita prædestinati absolute prævisa; alii ante prævisa merita *ut futura* sed *non independenter* ab ipsis, ideoque post prævisa *ut futuribilia:* prævisa non ut causa gloriæ sed ut media. Prima sententia propugnatur communiter ab iis theologis, qui Thomistæ et

(1) Franzelin, th. LVI.

(2) Prædestinatio ad ultimam gratiam actualem, seu ad perseverantiam finalem, non cadit sub merito de condigno: controvertitur autem, utrum cadat sub merito de congruo.

Augustinianenses dicuntur, et etiam a pluribus Congruistis, qui tamen infallibilitatem prædestinationis dependenter a scientia media explicant. Omnes ponunt electionem ad gloriam *antecedentem* et *independentem* a meritis utcumque visis. Tertia sententia est Neo-Thomistarum. Secundam sententiam defendunt tum ex antiquioribus multi, tum recentiores plurimi iique nobilissimi doctores et theologi. Cum hæc sententia nobis præferenda esse omnino videatur, tum omnia de prædestinatione dicenda ad illud revocabimus fundamentale principium: *Dona Dei eum habere ordinem in prædestinatione, quem habent in executione.*

92. De voluntate Dei salvifica tres erunt theses:

1ª Deum velle salutem omnium hominum;

2ª Nullam dari reprobationem, neque *positivam* neque *negativam*, ante prævisa peccata.

3ª In prædestinatione eundem esse ordinem *intentionis* ac *executionis*.

In fine, tanquam corollarium totius de divina voluntate tractationis, aliqua addemus de Dei *bonitate*. — Nos tamen non pigeat quædam in antecessum declarare.

93. Existit prædestinatio.

Scripturæ sacræ prædestinationem evidenter exhibent, uti *ad Ephes. I, 3: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo... In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Iterum Apostolus, *Rom.* VIII, 29-30: *Quos præscivit et prædestinavit..., quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Ita et Christus D.: *Venite,* inquit Matt. XXV, 34, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi:* in mente videlicet et voluntate divina, per decretum æternum. — Fidem perpetuam Ecclesiæ de prædestinationis existentia S. Augustinus in suis scriptis testatur *(De Prædestinatione Sanctorum — de Dono perseverantiæ). Hoc scio,* ait *de dono pers.* 19 n. 48, *contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, neminem nisi errando disputare potuisse.* Et S. Prosper *in Resp. I ad obiect. Gallorum: Prædestinationem Dei nullus catholicus negat.* — Ceterum ipsa ratio dictat providentiam Dei electis suis omnia præparare et coordinare, quibus de facto æternam vitam consequantur. — Attendas 1° hanc determinationem finis ac prædestinationem divinam minime excludi per verba S. Petri *ep. 2ª, I, 10: Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem atque electionem faciatis;* etenim sufficit notare cum Billot, *th. 33ª:* « In summa, cum ne-

mini Deus det gratiam inefficacem, præcise quia inefficax prævidetur, semper est in plena et expedita uniuscuiusque potestate efficere, ut accepta gratia effectum salutis consequatur. Ideo omnia apud nos eveniunt, non secus ac si prædestinatio esset in manu creaturæ; et hoc sensu approbari potest id quod aliqui dicunt; *si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*». — Similiter 2°) nemo dicere potest: posita certa et immutabili Dei prædestinatione, ego, quidquid faciam, salvus ero vel non. Nam prædestinatio non tollit necessitatem bonorum operum, imo ea supponit, utpote quibus gloria tanquam præmium dabitur. Necessitas et infallibilitas quæ in prædestinatione, sicut etiam in scientia Dei, intervenit, non tollit liberum arbitrium.

94. Tres sententiæ distinctius exponuntur.

1ª *Sententia est Thomistarum* (qui sunt Banneziani cum Alvarez, Bannez, Gonet, Billuart... et integra schola Dominicana) *Augustinianorum,* plurium Congruistarum (Suarez, Bellarmino...) et aliorum. — Ipsi ante omnia solliciti sunt de *gratuitate* electionis divinæ ad vitam æternam et sic *Thomistæ* decreta divina ordinare solent: *a)* Deus voluntate antecedenti, vera et sincera, omnes creaturas rationales ad æternam felicitatem ordinat, etiam supposito originali peccato, eisque gratias vere sufficientes præparat; *b)* quum vero prævideat, in decretis suis, eas mediis sufficientibus non bene usuras, quasdam præ aliis eligit, quas decreto absoluto et efficaci vult salvare; *c)* eisdem gratias præparat efficaces, quibus bene agant et salventur; *d)* prævidens, in suis decretis, electos bona opera acturos et usque ad finem perseveraturos, decernit in ordine executionis illis gloriam ut mercedem conferre; *e)* quum vero pariter in decretis prævideat alios in statu mortalis peccati morituros, eos ad pœnas æternas destinat. — (vide in Tanquery). Unde ad mentem horum theologorum, Deus antecedenter ad voluntatem, qua, *in ordine executionis,* voluit ab æterno dare gloriam ut mercedem, habuit aliam voluntatem, in ordine intentionis, qua, *nulla ratione habita futurorum meritorum,* singulis electis determinatos gradus gloriæ destinaverit, alios vero non electos a gloria excluserit. E. g. Deus antecedenter et non ex prævisis meritis Petri, ei prædestinat determinatum gradum gloriæ; dein decernit hanc voluntatem exequi ita, ut Petrus gratia adiutus per merita perveniat ad gloriam. — Eadem sentiunt nonnulli ex Molinistis, duce Suarez. Ipsi statuunt prædestinationem ante omnem præscientiam tam futurorum quam futuribilium: primum signum prædestinationis est actus voluntatis, quo Deus absolute vult quosdam salvare et quosdam alios ad gloriam non eligere. Deinde, ope scientiæ mediæ, qua novit quænam gratiæ pro singulis individuis et pro singulis circumstantiis futuræ essent efficaces, vel inefficaces, si darentur, seligit gratias efficaces pro electis et reprobis destinat gratias prævisas inefficaces. Ideo ipsi quoque, sicuti recentiores Thomistæ, adstruunt gratuitam electionem ad gloriam, simul cum antecedente reprobatione negativa, id est cum exclusione quorundam a beatitudine, nulla sumpta occasione ex prævisis demeritis.

2ª *Sententia est Molinistarum* (Vasquez, Lessius, Petavius, S. Franciscus Salesius, Franzelin, Mazzella, Hurter, Pesch et fere omnes Iesuitæ). — Non de gratuitate electionis solliciti sunt, sed de excludenda qualibet reprobatione negativa antecedente. Ita ordinant divina decreta, ait Tanquerey p. 165: *a)* Deus vult, etiam supposito peccato originali, voluntate antecedente, vera et sincera, omnes homines salvari, eisque præparat media salutis remote vel proxime sufficientia: *b)* ex speciali prædilectione aliquibus destinat gratias, quibus prævidet, auxilio scientiæ

mediæ, eos esse consensuros; *c)* scientia visionis prævidet eos bene acturos et in statu gratiæ morituros, et, *post* et *ex* prævisis eorum meritis, eosdem ad gloriam prædestinat; *d)* prævidet pariter alios in peccato mortali esse morituros, et post prævisa eorum demerita, eos ad gehennam condemnat. Breviter, in hac sententia *signa* rationis sunt: voluntas *conditionata* salvandi omnes; prædestinatio ad gratiam; *absoluta* prævisio meritorum; prædestinatio *ad gloriam* et consequens exclusio pro aliis. Quare, nostro modo concipiendi, sic ex. g. Deus decrevit: quia prævideo Petrum sibi merita, ex gratiæ meæ auxilio, comparaturum, ideo eum ad gloriam æternam prædestino.

3.° *Sententia est Neo-thomistarum* (Janssens, Satolli... et præsertim Billot) Clarissimus P. Billot. Molinæ tribuit sententiam, quam lucide per gradus exponit. Suarez et Vasquez, asserit ipse, *bene* probant unus contra alium duo illa principia, quæ salvari debent, nimirum electionem ad gloriam gratuitam esse, ac nullam reprobationem antecedentem dari. Signum est igitur falsam esse assertionem, quæ ab utroque tanquam fundamentum assumitur, videlicet quod *electio quorumdam ad gloriam, antecedens prævisionem meritorum, necessarium habet correlativum in antecedente voluntate alios non admittendi.* Curnam falsa est? Quia nititur in gratuita suppositione: quasi scilicet singuli homines solitarie caderent sub Dei providentia, id est, velut præcisi et abstracti ab integro ordine rerum in quo inveniuntur. « Sed necessaria illa connexio non habet amplius locum, si *in primis* non fingamus prædestinationes disgregatas, *et deinde* habeamus præ oculis tria illa rationis signa quæ S. Thomas ponit, Quodl. XI, a. 3, ubi ait: « In prædesti- « natione tria sunt consideranda: quorum duo præsupponit prædestinatio, scilicet « *præscientiam* Dei, et *dilectionem*, id est voluntatem qua vult prædestinatum sal- « vare: et tertium est ipsa *prædestinatio*, quæ nihil aliud est, quam directio in « finem quem vult Deus rei dilectæ ».

« *Unde in hoc modo dicendi,* primum omnium rationis signum est signum scientiæ simplicis intelligentiæ (ipsa, ut per se patet, scientia media inclusa), in quo divino intellectui obversantur omnes et singuli actuabiles ordines providentiæ, secundum omnem continentiam agentium et auxiliorum, ac respondentem exitum sive eventum uniuscuiusque. Quippe, invenitur in Deo præscientia, quod in hoc futuribili ordine A, omnia de facto collinearent ad talem alium exitum, puta salutem æternam certarum personarum, his et aliis personis ab ultimo fine ex abusu suæ libertatis deficientibus; et quod in hoc alio futuribili ordine B, omnia de facto collinearent ad talem alium exitum, puta salutem horum aliorum, illis aliis per malum usum sui liberi arbitrii, abeuntibus in perditionem; et idem dic de cæteris futuribilibus ordinibus, in infinitum ».

« Iam sequitur secundum rationis signum, in quo divina voluntas sese determinat circa unum finem, quem novit de facto obtinendum in uno certo ordine, illumque finem absolute vult. Nimirum finis iste qui noscitur in concreto exoriundus ex hoc numero ordine, finis ad quem circumstantiæ omnes in eodem contentæ, sciuntur directe vel indirecte convergere; ille, inquam, finis est gloria Dei relucens in gloria et salute æterna horum numero hominum, quorum singuli, in infinitis aliis hypothesibus devenissent ad perditionem. Et quia dilectio Dei non causatur a bonitate in rebus præexistente, sed e contra est causa totius bonitatis earum; item quia non ideo aliquis eligitur a Deo ex hoc quod dignus est, sed vice versa, ideo dignus futurus est ex hoc quod a Deo eligitur: voluntas divina, solo suo liberrimo beneplacito, determinatur ad volendum absolute finem salutis, hisce designatis hominibus, potius quam aliis qui in alio possibili ordine salvarentur. —

Hoc igitur signum, est signum *absolutae* voluntatis salutis quorundam; quæ quidem voluntas rationem habet *dilectionis* simul et *electionis:* dilectionis quidem, « in « quantum (Deus) vult eis hoc bonum salutis æternæ »; electionis vero, « in quan« tum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, » ut explicat S. Thomas ».

« Tertium tandem consideratur rationis signum, in quo consequenter ad volitionem finis, decernit Deus mandare exsecutioni totum ipsum ordinem, cui respondet voliti finis eventus obtinendus; et hoc est signum *praedestinationis* et *reprobationis.* Nam quia in ratione intellecta dicti ordinis, continetur tum præscita transmissio horum hominum in vitam æternam, tum præscita defectio aliorum a salute, decernit autem Deus procurare primum et ad hoc ipsum, permittere secundum: ex huius adiunctione decreti, fit ut quoad quosdam, iam in Deo sit *præscientia* et *præparatio* vocationis, iustificationis, necnon et consequentis glorificationis (et hoc est prædestinatio); quoad alios vero, *præscientia et permissio* defectionis (et hoc est reprobatio). »

Præfatum ordinem signorum legitimum esse pluribus argumentis auctor probat; hoc retulisse præstat: « Non enim solitarie salvamur, hoc est quasi ab aliis hominibus disiuncti, et nullo dependentiæ nexu colligati cum iis qui nunc sunt, et ante nos fuerunt. Quippe, in negotio salutis dependemus a parentibus, a magistris, a sociis, a mutationibus politicis, ab opera eorum qui ante annos mille et amplius, fidem in patria vel plantaverunt, vel restituerunt, vel conservaverunt, etc. Nec prorsus a vero aberraret, qui diceret, salutem vel unius infantis post baptismum decedentis, descendere a causa prima, mediante infinito quodam concursu causarum secundarum omnis generis, ab initio mundi usque nunc. Quin imo, nequidem existimus independenter ab actibus liberis innumerorum agentium, qui fuerunt in generationibus præteritis, iisque vel bonis vel malis et divina lege prohibitis. Si ergo non solitarie ad existentiam vocamur, nec etiam solitaria de nobis providentia est; si non solitarie salvamur, nec solitarie prædestinamur, sed voluntas prædestinantis fertur in globo, et per modum unius, super totum ordinem connexorum agentium et causarum secundarum: tametsi, uti per se satis patet, cum tanta perfectione feratur in unumquodque singillatim sumptum, ac si solum ipsum respiceret. Sed sub hoc etiam respectu, non facile tenebunt veritatem, qui disgregatas prædestinationes ponunt, quasi instar partium ædificii, quæ sola contiguitate in unum coassurgunt ».

Denique etiam notat quod « voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, *præsupponitur* secundum rationem, ad omnia signa, quæ prædestinationem et reprobationem spectant, sicut voluntas generalis præsupponitur ad particulares dispositiones... Porro eidem voluntati salvificæ minime opponitur, ut constat, voluntas *permittendi* defectionem aliquorum; permittere enim nihil aliud est quam non cohibere id quod ex alterius arbitrio pendet.

Itaque in hac expositione *a)* Prædestinatio, prouti continet electionem ordinis actualis præ omnibus ordinibus possibilibus, in signo priori contentis in scientia futuribilium, est *post prævisa merita futuribilia, ante* prævisa *merita futura.* — *b)* Electio ad gloriam est omnino gratuita, quia merita *hypothetica* non sunt causa electionis et prædestinationis, poterat enim Deus alium ordinem eligere et insuper ista dantur etiam pro præscitis, qui in alio ordine providentiæ salvarentur; merita vero *futura* non sunt futura absolute nisi *ratione electionis* et *decreti transmissionis.* Attamen prædestinatio ad vitam nequit dici a meritis independens; quoniam prævisa existentia meritorum futuribilium, causa est, si ille ordo eligitur, cur Deus de facto possit aliquos prædestinare ad finem vitæ æternæ. Similiter merita futura,

cum de facto eveniant, sicut sunt prævisa futuribilia et fuerunt prævisa ut causa, non electionis, sed collationis gloriæ, ideo in ipso decreto exsecutionis in causa sunt cur Deus de facto aliquibus præmium dare vult ratione meritorum. — *c*) Excluditur quælibet reprobatio negativa antecedens, « nam in secundo rationis signo, quod est signum electionis, voluntas divina unice fertur, decreto suo absoluto, super *bonum finis* scilicet victoriæ et salutis electorum : in tertio autem signo, quod est signum prædestinationis et reprobationis, non ideo decernit aliquibus seriem mediorum prævisam inefficacem, quia tenetur antecedenti decreto non salvandi illos, sed solum, quia contingit huiusmodi seriem (aliunde sufficientissimam) in eo providentiæ ordine contineri, in quo per suam sapientiam præscit omnia convergere ad optimum finem præintentum, id est, ad prædestinatorum salutem, gloriam, virtutem et perfectionem, ac per hoc, ad suae ostensionem bonitatis et misericordiæ. Hinc, non ex industria et prædefinito consilio, vult Deus aliquibus gratiam inefficacem, præcise in quantum inefficax est : et cum aliunde, inefficacia gratiæ nullam aliam causam habeat, præter deficientiam liberi arbitrii, sequitur, omnibus et singulis inesse veram potestatem consequendi salutem et Deum vera voluntate antecedente conferre omnia quæ ex parte sua requiruntur ».

Thesis XV. — *Deus, supposito etiam peccato originali voluntate beneplaciti antecedente, eâque sincerâ, vult omnes homines salvos fieri.*

95. ***Declaratio.*** — Hic sermo est de voluntate salvifica *consequente quidem prævisionem peccati originalis ;* sed *antecedente prævisionem sive actuum sive omissionum,* quibus singuli homines damnationis iudicium sibi arcessunt. Item intelligitur hic voluntas non *simplicis complacentiæ*, nec *meri signi*, sed vera voluntas *beneplaciti* eaque *sincera,* quæ scilicet (saltem antecedenter ad impedimenta vel libere ab homine vel aliunde, non autem directe a Deo, interposita) omnia præsidia hominibus præparavit, ut per ea homines salventur, si velint. Hæc thesis ex ea parte, quæ complectitur alios præter prædestinatos, *de fide* est, ex ea vero, quæ omnes prorsus homines includit, ita *certa* est, ut sine temeritate negari non possit. Propositio enim 5.ª Iansenii : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*, damnata est absolute ut *falsa*, *temeraria* et *scandalosa,* et intellecta eo sensu, quod Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, etiam ut *hæretica*. Imo de *fide* dici debet, Deum velle salutem *omnium fidelium,* saltem adultorum, seu eorum omnium qui tenentur in symbolo profiteri, quod Christus « propter *nos* homines et propter *nostram* salutem descendit de cœlo..... crucifixus etiam *pro nobis* ».

96. ***Demonstratur I.*** *ex S. Scriptura.*

Princeps argumentum explicitum et clarissimum est illud Pauli Iª ad Timotheum II, 1-6: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate: hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore Nostro Deo; qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Iam quæso quænam ex Apostolo *extensio* huius divinæ voluntatis salvificæ, quænam ipsius voluntatis *indoles?*

Ad primum reponimus, extensionem ex Apostolo esse omnino universalem. Id apparet *a)* ex obvio sensu verborum: *Qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire:* ubi inter *omnes salvandos*, explicite indicantur etiam qui *nondum pervenerunt ad agnitionem veritatis.* Confirmatur *b)* ex eo quod Paulus hanc voluntatem Dei salvificam afferat tanquam rationem totius contextus antecedentis, proindeque ad persuadendam fidelibus orationem *pro omnibus hominibus.* Hic tam late patet oratio pro omnibus, quam late patet voluntas Dei ut omnes salventur. Atqui ab illa oratione nullus hominum excluditur. Ergo neque a voluntate salvifica. Declaratur *c)* ex duplici ratione, quam affert Paulus illius universalis voluntatis salvificæ. Deus scilicet vult omnes salvos fieri, quia Deus unus *Deus est omnium hominum* et quia *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* (1). Ergo homines, quos Deus vult salvos, sunt ii omnes, quorum ipse unus est Deus, ii omnes cum quibus homo Christus Iesus communem habet specifice eamdem humanam naturam. Atqui hi sunt omnes omnino homines. Ergo voluntas salvifica Dei ad omnes omnino homines, nulla facta exceptione, extenditur.

Sed quænam est indoles huius voluntatis? Porro est non mera *complacentia*, sed vera *voluntas*, ut indicat ipsa vox *vult*, et quidem voluntas, ut *existat salus.* Nam *omnes homines vult* salvos fieri *et ad agnitionem veritatis* venire. Simplex *complacentia* est in quovis bono etiam mere possibili, imo etiam de salute

(1) Etiam alibi Apostolus ita loquitur, uti (I. Tim. IV): *Qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium.* Et ad Rom. III: *An Judæorum Deus tantum, nonne et gentium? imo et gentium, quoniam quidem unus est Deus.*

damnatorum et diaboli, pro quibus tamen orationes fieri non vult. Voluntas est insuper *actuosa,* seu mediorum suppeditativa ex qua scilicet velit Deus *fieri orationes* ad salutem omnium hominum; et ex qua Christus ipse factus sit mediator omnium et *ipse dederit semetipsum* redemptionem pro omnibus. Evidenter tamen supponitur hic, voluntatem huiusmodi, ut salus omnibus hominibus conferatur, esse *conditionatam* et antecedentem. Non enim dicitur, quod Deus vult omnes *salvos facere,* seu quod eos vult *salvos fieri,* supposita scilicet eorundem libera cooperatione. — In re adeo manifesta cetera Scripturarum testimonia, quæ plurima sunt, prætermitti possunt (1).

Demonstratur II. *ex Patribus.*

In eamdem doctrinam consentire Patres evidens est. Ipsi in primis *a)* docent, Deum velle salutem omnium, quorum ipse creator et Deus est; hanc voluntatem in Deo esse principem et conceptam ex naturæ suæ bonitate, unde, quantum ex parte Eius est, omnes essent illuminati, omnes iusti, omnes salvi; secundum hæc, salutem ipsam esse et vocari *generale beneficium, commune ius indulgentiæ.* Ita Origenes, Chrysostomus, Cyrillus Alex., Theophylactus, Ambrosius, Paulinus aliique. *Ille omnes suos vult esse,* ait Ambrosius, *quos condidit et creavit; utinam, homo, non fugias et te abscondas: ille etiam fugientes requiret et absconditos non vult perire* (2). Hæc cum sit amplitudo voluntatis salvificæ, *b)* quærunt PP. frequenter, undenam fiat, ut non omnes salventur. Respondent autem, id non Deo, sed ipsis hominibus attribuendum esse, qui accedere noluerunt, qui seipsos fraudant beneficio generali, qui sibi ipsis invidi sunt, qui salvari nolunt: Deus autem necessitatem non imponit. Ita Ambrosius, Paulinus, Chrysostomus, ita Patres Concilii Carisiaci contra Gottescalcum (3). Ex hac denique voluntate Dei salvifica universali *c)* deducunt et explicant redemptionem per Christum itidem universalem. *Patris voluntatem,* ait Nyssenus, *in Filio contemplamur; Pater autem omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (4). Patres concilii Arelatensis (an. 475) dicunt

(1) Cfr. Jo. XVII, 12; Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, nisi Scriptura impleatur.

(2) In Ps. 39, n. 20.

(3) Habiti an. 849, et in quo vide Capit. 3 apud. Denzinger n. 281.

(4) In *antehaeretico.*

anathema illi, qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines salvos esse velit. Et Gregorius Nazianzenus Christi merita omnibus hominibus parata esse asserit et velut in communi proposita, sicuti communia sunt cœlum, stellæ, anni vicissitudines, aër, ratio.

Sententia Augustini. — Nec denique in hac re a ceteris Patribus dissentit Augustinus, sicuti Iansenius contendit. Eâ enim veritate, quod Christus mortuus est pro omnibus, utitur S. Doctor contra Pelagianos, ut demonstret peccatum originis in omnes homines transiisse. Disertissime autem voluntatem Dei antecedentem ut omnes salventur professus est, et hoc sensu intellexit Pauli testimonium superius enarratum, ubi ait: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur.* Dein ponit exemplum: *Dominus vult ut servi laborent in vineam... secus in pistrinum. Hoc interdum vitatur ex parte hominum* (1). Ubi vero is alias profert Paulini textus explicationes, quibus voluntas Dei salutifera restringi videtur, ibi non agit de voluntate Dei antecedente et conditionata, sed de voluntate Dei *absoluta* seu *actu effectrice salutis*, quæ porro voluntas de facto et ob culpam hominum universalis non est. Quæ tamen interpretatio, ad quam S. Doctor progressus est ob rationes polemicas adversus pelagianos, non excludit alteram, quam et ipse dedit de voluntate antecedente et universali (2).

Dices 1°. — In textu S. Pauli solum enuntiatur acceptum esse Deo, ut christiani tranquillam vitam agant et ita ad salutem perveniant; non ut omnes homines salvi fiant. — R. Advertas quod Apostolus dicit Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, *quia omnium est Deus et redemptor*. Expresse addit ut ad agnitionem veritatis veniant; porro qui debent *venire* etiamtum ad agnitonem veritatis sunt gentiles: ergo secundum Apostolum etiam hos vult Deus salvos fieri. Non est autem mirum, quod specialis oratio commendetur pro iis, qui possunt tranquillum evangelii progressum impedire.

Dices 2°. — Christus dicit (Jo. XVII, 9) se non rogare pro mundo — R. Ch. D. ibi rogat pro discipulis perseverantiam in fide ac dilectione, et fidem et dilectionem, quam iam habent, Patri tanquam motivum suæ petitionis proponit. Hac autem

(1) Lib. *De Sp. et litt.* c. 33, n. 57.

(2) Est principium non tam hermeneuticum quam potius theologicum S. Doctoris, posse unum locum Scripturæ intelligi multipliciter, dummodo id, quod in eo intelligitur, veritas sit consona analogiæ fidei. *De Doct. Chr.* l. III, c. 27, n. 38; Franzelin, th. LII, p. 539 in nota.

ratione pro mundo rogare nequit. Rogat igitur pro discipulis, ut maneant quod sunt; pro mundo autem rogat non quatenus malus est, sed, ut desistat esse quod est. — Cf. *Pesch.* p. 181.

Dices 3°. — Item Christus ait (Matt. XXVI, 28): « Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro *multis* effundetur in remissionem peccatorum ». — R. vox *multi* aliquando significat magnam multitudinem, aliquando *omnes*. Ex. g. *ad Rom.* V, ubi sermo est de universalitate peccati originalis et redemptionis, *multi* et *omnes* eodem sensu accipiuntur. Igitur alios textus respicias, in quibus asseritur Christum pro omnibus sanguinem fudisse.

COROLLARIUM.

Voluntate antecedente vult Deus omnium etiam infantium salutem.

97. Ita *communis, pia et certa sententia*, quæ evidenter consequitur ex dictis. Etenim, numquid parvuli homines non sunt, ait AUGUSTINUS, ut non pertineant ad id, quod dictum est: Qui vult omnes homines salvos fieri? (1).

Quomodo vero sit intelligenda illa *antecedens* voluntas salvandi omnes etiam infantes, definitur a conditione, sub qua vult Deus applicationem baptismi omnibus infantibus. Conditio autem huiusmodi ita debet efferri: Deus vult omnibus infantibus applicationem meritorum Christi per baptismum, *quantum causæ secundæ morales et physicæ*, nempe liberæ hominum voluntates et naturalis ordo physicus *non obsistant*. Si ex hisce causis impedimenta proveniunt, ea Deus non directe vult, quatenus impediunt baptismum, sed solum ex aliis finibus sapientissimis permittit (2).

Ideo si multi infantes moriuntur absque baptismo, id probat solum non esse in Deo voluntatem *absolutam* salutis illorum, sed nullatenus probat non esse voluntatem *conditionatam*, scilicet quantum causæ secundæ non obsistant. Quæ voluntas, licet antecedens et conditionata, est tamen *seria* et *actuosa*, quia Christus pro omnibus etiam infantibus mortuus est et baptismum instituit, et insuper, ut ad gratiam baptismi infantes perducantur, Deus liberas voluntates adultorum suis præceptis, consiliis, adiutoriis ordinis naturalis et supernaturalis prævenit, excitat, inclinat et suorum etiam fidelium et ministrorum ad id dirigit sollicitudines, orationes, apostolicos labores.

Quoad adultos observa: « Sacramentum in re, non est eis de necessitate medii necessarium; nam ex natura rei est, quod per internam

(1) *Cont. Julian* l. VI, c. 8.

(2) Aliqui theologi, e. g. KILBER, limitant exceptionem ad causas tantum morales: *nisi obstent causæ morales*, idque ex eo, quod unicuique mandavit Dominus de proximo suo.

fidem et actum perfectæ charitatis, homo sit sufficienter et proxime dispositus ad iustificationem, tametsi maneat obligatus, occasione data, ad susceptionem sacramenti cuius votum in actu amoris Dei super omnia, implicite saltem continetur. Hinc ergo difficultates omnes quod attinet ad adultos, facile solvuntur. Nam innixi documentis revelationis, dicimus Deum nulli denegare gratiam actualem ad observantiam saltem legis naturalis: tum facienti quod in se est, uberiora concedere auxilia, præsertim ad orandum et quærendum salutis viam, usquedum, vel uno vel altero modo, homini bonæ voluntatis proponatur fides, quæ totius salutis initium est atque fundamentum. De quo notissima est S. Thomæ responsio (*De Verit. q. 14 a. 11, ad I^um*): « Hoc ad divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis (in sylvis) nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod si Deus, vel per internam ispirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem, ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act. X » Billot p. 239.

Thesis XVI. — *Impium est asserere, aliquos a Deo* positive *reprobari ante prævisa peccata; neque vero* negative *quemque antecedenter reprobari admitti potest.*

98. ***Declaratio.*** — Prima pars est contra hæreticam pravitatem eorum, qui statuunt Deum antecedenter ad quodlibet peccatum etiam originale prævisum (uti docent Calvinus et *antelapsari*) vel saltem antecedenter ad prævisa peccata quæcumque actualia (uti *postlapsarii* et Iansenius) homines, qui pereunt, æterno exitio positive destinasse, ut suam in eis iustitiam manifestaret; proindeque in executione huius decreti nullam reprobis dari gratiam vere sufficientem eosque relinqui in necessitate peccandi. Hanc impietatem damnavit Tridentina synodus: « Si quis iustificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate ad malum prædestinatos, anathema sit. » (Sess. vi, can. 17).

Altera pars excludit quoque *reprobationem negativam* a gloria cœlesti, prouti eam plures theologi antecedenti Dei voluntati adscribendam esse censuerunt.

99. ***Prima pars.*** — *Nulla est reprobatio positiva antecedens.*

1° Perversa ea doctrina manifesto evertitur ex pluribus iisque certissimis doctrinæ catholicæ capitibus. In primis *a)* ex demonstrata universalitate voluntatis salvificæ. Si enim Deus, supposito etiam peccato originali, vult omnes homines salvos fieri, iam in hac doctrina fundamentali continetur et ex ea consequitur, voluntatem reprobationis nullam, nisi *consequentem*, esse posse. Item *b)* ex Dei bonitate et sanctitate. Si enim Deus antecedente reprobatione positiva destinasset aliquem ad damnationem æternam, hoc ipso eumdem prædestinasset ad peccatum, quo is sibi acquirat æternum interitum; vel saltem hoc ipso Deus eidem antecedenter subtraheret vires, ut cadat. In utroque casu Deus esset causa peccati. Accedunt *c)* alia absurda, quia hæc doctrina zelum animarum, studium propriæ salutis bonorumque operum extingueret, populo proposita, desperationem pareret, ordinem moralem universum subverteret (1).

2.° In Scripturis legimus ea, quæ illam doctrinam explicite excludunt. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (Ezech. XVIII, 23). *Nolo mortem morientis, dicit Dominus* (Ibid. 32). *Patienter agit propter vos,* ait Petrus, *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* (II[a], III, 9). In quibus ac similibus locis agitur de hominibus positis in hoc ordine naturæ lapsæ et reparatæ, et tamen clare excluditur omnis voluntas antecedens eorum damnationis. Causa autem damnationis nulla præter peccatum assignatur, dicente Christo: *Discedite... esurivi enim et non dedisti mihi manducare* (Matth. XXV).

3.° Catholicus intellectus hanc hæresim iam prædamnaverat in veteribus *prædestinationis* et rursus seculo IX, cum monachus Gottescalcus, Augustini sensum pervertens, eam instauravit. Patres concilii Arausicani II, can. 25 statuunt: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus* (2). Et in Concilio habito contra Gottescalcum apud Carisiacum: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod*

(1) Lessius, *De perf.*, l. XIV, 2; Franzelin, th. LV.

(2) Denzinger, n. 170. Hoc concilium habitum est an. 529 contra Semipelagianos, confirmatum a Bonifacio II.

autem quidam salvantur, salvantis est donum : quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum (1). Deinde Synodus Valentina canonem arausicanum iisdem fere verbis renovat (2). Ex Patribus catholicam doctrinam in hac re declarant præ ceteris S. Prosper et S. Fulgentius, qui et demonstrant ipsum S. Augustinum plene in id consentire.

100. ***Secunda pars.*** — *Nulla est reprobatio negativa antecedens.*

Demonstratur ex eo, quod et ipsa talis est indolis, ut repugnet cum doctrina certissima de antecedente divina voluntate salvandi omnes.

1° Antecedens reprobatio negativa ita intelligi debet: dum Deus, ante omnia prævisa merita vel demerita omnes et singulos salvandos prædestinat ad gloriam et ita complet numerum prædestinatorum, hoc ipso Deus concipit antecedenter voluntatem absolutam *non eligendi* alios omnes creandos, seu, quod idem esse omnino videtur, concipit voluntatem antecedentem absolutam *eos non salvandi.* Atqui voluntas antecedens absoluta non salvandi repugnat cum voluntate conditionata salvandi. Ergo antecedens reprobatio negativa repugnat cum doctrina certissima, quod Deus antecedenter et conditionate vult, ut omnes homines salvi fiant. *Minor* evidens est. *Maior* a plerisque theologis adversæ sententiæ plene conceditur. Suarez vero solum concedit, voluntatem reprobationis esse voluntatem antecedentem *non eligendi* seu non *prædestinandi;* sed facile quisque videt, hanc voluntatem non aliud esse, quam voluntatem *absolute* et simpliciter *negandi prædestinationem*, seu non conferendi salutem, seu *non salvandi* (3).

2° Docent insuper isti theologi, non electionem Deo esse rationem non dandi media congrua et infallibilia ad salutem consequendam, vel clarius asserunt, Deum prius intendere, ut *finem, exclusionem a gloria æterna,* deinde, *ut medium ad obtinendum istum finem*, intendere negationem gratiæ efficacis et permissionem peccati nunquam remittendi. Atqui hæc omnia omnino repugnant cum ea actuosa voluntate Dei salvandi om-

---

(1) Capit. 3 apud Denziger, n. 281. Cf. cap. I.

(2) Can. 3 apud Denziger, n. 285. Habita fuit hæc synodus an. 855 adversus Ioannem Scotum.

(3) Vide omnino Franzelin, p. 578.

nes, qualis describitur in Scripturis. Ergo doctrina illorum theologorum repugnat cum universali voluntate Dei salvifica. *Maior* fere ipsis verbis effertur tum Suaresii, tum Goneti. *Minor* evidens fit cuique in Scripturis legenti de Deo, qui toties per se ipsum iurat, se nolle mortem peccatoris et nolle quemquam perire, sed potius misereri omnium et dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam et, quod erat ex se, omnia fecisse, ut salvi fierent homines, si vellent: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* Porro huiusmodi præcepta, promissiones, minæ supponunt, Deum reapse dare salutem omnibus hominibus sub conditione, ut ipsi cooperentur, simulque ex sese velle hanc ipsam cooperationem. Econtra, si qui antecedenter exclusi sunt a gloria, iam inde Deus sibi suæque immutabili destinationi providere debet, ne quisque illorum cooperetur, et ita in numerum salvandorum ingrediatur, proindeque ex sese non vult cooperationem, non vult eorum salutem.

3° Ex eadem voluntate Dei universali salvandi omnes concludunt Patres neminem, sive *positive* sive *negative*, a Deo reprobari *ante* prævisa peccata; sed solum *post* ea præscita. Nam Patribus *non prædestinari* et *reprobari* æquipollentia sunt. Seculo V aliqui turbabantur, quia ex male intellecta Augustini doctrina videbatur consequi, homines, qui pereunt, *fuisse præteritos in prædestinatione ante omnem operum prævisionem*, proindeque illos non prædestinatos *necessario et ex Dei voluntate perire*. S. Prosper aquitanus consentit, hanc doctrinam de *non prædestinatione* ante prævisa merita esse absurdam simulque ex ea sequi quod *non prædestinati necessario et ex Dei voluntate pereunt*, at inficiatur id unquam Augustinum docuisse aut ex eius doctrina deduci posse, et affirmat omnibus efficacissimis modis, quod si quis non prædestinatur, id omnino consequitur prævisum eius peccatum finale, et nullo modo oritur ex antecedente voluntate Dei. De iis enim, qui pereunt, ait: *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Et iterum: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati.* Id autem S. Prosper asserit non semel aut iterum, sed multoties in responsionibus ad capitula Gallorum II, III, VII, XII, et hanc quidem doctrinam declarat esse non modo suam, sed ipsius Augustini et imo talem, cui nemo christianus contradicere possit.

Quod autem Augustinus sæpe repetat, se ignorare, cur Deus

hunc gratiâ trahat, sicut ei scit congruere, et alium non trahat; id nostræ causæ favet, quippe si putavisset exclusionem a gloria fieri antecedenter ad omnia prævisa peccata, utique scivisset in hac ipsa antecedente non electione causam evidentem esse, cur Deus quosdam non trahat, sicut eis sciret congruere; videlicet, non traheret, quia non fuissent antecedenter electi. Mysterium inscrutabile tum esset non in diversa distributione gratiarum, sicut vult Augustinus, sed potius in ipsa antecedente electione vel non electione ad gloriam (1).

Thesis XVII. — *Dona Dei eum habent ordinem in prædestinatione, quem habent in executione.*

101. ***Declaratio.*** — Ut sensus theseos intelligatur, sciendum est dona Dei considerari posse et debere tum in *præparatione*, quæ æterna est in voluntate Dei, tum in *collatione*, quæ in tempore fit. Verum ipsa Dei dona, quæ in tempore conferuntur, alia conferuntur nullis præcedentibus meritis seu omnino gratuito, uti est vocatio ad fidem et ad gratiam ; alia retribuuntur, tanquam merces meritis gratiæ præcedentibus, uti est vita æterna. Jamvero dicimus: quæ dona Dei in tempore conferuntur mere gratuito, eodem modo independenter a prævisione cujusvis meriti ab æterno ea prædestinari; quæ vero in executione retribuuntur meritis præcedentibus, ea etiam in æterna prædestinatione, non sine supposita eorumdem meritorum prævisione, decerni (2).

102. ***Demonstratur I.*** *ex S. Scriptura.*

Scripturæ, ubi speciatim agunt de vita æterna, evidenter vel supponunt vel explicite indicant a conditione meritorum pendere ipsius vitæ promissionem et præparationem, sicuti ex meritis pendere debet eius assecutio.

---

(1) De hoc mysterio distributionis gratiarum in *tract. de Gratia.*

(2) Si igitur quæritur num inter prædestinationis obiecta adsit causalitas, respondet S. Th. I. 23, 5: « nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis; priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ... sicut si dicamus quod Deus prædestinavit se daturum alicui gloriam ex meritis et quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam ».

a) In Scripturis enim Deus vitam æternam promittit et proponit omnibus indiscriminatim assequendam ut coronam, ut bravium, ut mercedem hæreditatis Christi, idque sub conditione, quod legitime certaverint, et cucurrerint ad metam et Christo compassi fuerint. Iamvero, ex ipsa rei logica ratione, si aliquod præmium promittitur assequendum sub conditione, conditio non modo refertur ad assecutionem, sed eodem modo refertur etiam ad promissionem. Ergo si assecutio præmii, quod est vita æterna, pendet a conditione, si homines præstent quod ab eis exigitur, etiam promissio ab hac conditione pendet. Atqui promissio Dei, licet facta in tempore, manifestat voluntatem in Deo æternam. Est ergo ab æterno in Deo erga omnes homines voluntas *conditionata* conferendi vitam æternam, si scilicet ipsi præstent quod ab eis exigitur; quæ voluntas non est absoluta, nisi *quatenus conditio supponitur impleta.*

b) Explicite Paulus coronam vitæ æternæ appellat *coronam iustitiæ*, quæ ideo merita supponit, non minus quatenus *reposita est* seu præparata, quam quatenus in executione redditur. Ait enim: *Bonum certamen certavi... in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, quam reddet *mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi sed et iis, qui diligunt adventum eius* (1).

c) Item in ultima sententia Iudicis ad prædestinatos manifesto indicatur, eundem esse ordinem sicut collationis ita præparationis Regni cœlestis: *Venite... possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare...* Simul hic sermo est de *præparatione* gloriæ pro electis et de *collatione;* dicit enim Dominus: possidete paratum *vobis regnum.* Merita vero, quæ statim recensentur propositione causali, referri debent non minus ad *præparationem,* quam ad *assecutionem* regni, nisi textui vim inferamus. Quæ sane interpretatio confirmatur ex parallela sententia ad reprobos, in qua catholici omnes fateri debent motivum *damnationis in executione,* idem referri ad *pœnæ præparationem.*

Nota. — Ubi vero Scripturæ non de gloria per se spectata, sed potius de vocatione ad fidem et ad gratiam agunt, tum aliter loquuntur. Cum enim vocatio ad fidem et ad gratiam sit omnino gratuita in executione, tum Scripturæ prædestinationem ad fidem

---

(1) II. Tim. IV, 7, 8.

et gratiam omnino repetunt a beneplacito Dei independenter a quibusvis prævisis meritis. Ita explicari debent plura loca et præsertim illud Pauli ad Rom. c. IX, quo maxime abutuntur adversarii (1). Porro inde confirmatur veritas, quam defendimus, dona Dei illum habere ordinem in præparatione quem habent in collatione.

Demonstratur II. *ex Patribus.* — Patrum doctrinam nobis præstat potissimum AUGUSTINUS, cuius fere sola auctoritate adversarii moveri solent.

a) *Ex S. Augustino : implicite.* In primis iuxta huius Doctoris sententiam, prædestinatio quorumcumque donorum et eorum collatio *unice* differunt *ex parte temporis, quo effectus existit;* quatenus unus idemque effectus in prædestinatione connotatur ut *futurus*, et in executione connotatur ut qui iam efficitur in *præsenti.* Atqui, si differentia *unice* est ex parte temporis, nulla alia superest, ex parte modi et ordinis, quo Deus vult effectum. Ergo ex AUGUSTINO modus et ordo, quo Deus ab æterno vult effectum, non alius est ab eo, quo opus ipsum iam efficitur et incipit existere in tempore. Si *minor* est evidens, *maior* expressis verbis docetur ab AUGUSTINO dicente: *Inter gratiam et prædestinationem* hoc tantum *interest, quod prædestinatio est* gratiæ præparatio, *gratia vero iam* ipsa donatio... *Quoniam prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio,* gratia vero est ipsius prædestinationis effectus (2). Videlicet, S. Doctor tria distinguit: *prædestinationem*, *donationem* et *ipsum donum* effectum prædestinationis et donationis, et ait: præde-

(1) Cf. FRANZELIN, th. LXV. In ep. *ad Rom.*, c. IX. Apostolus, sive in toto contextu sive in singulis incisis, non loquitur de prædestinatione gloriæ per se spectata, sed de gratuita gratia fidei christianæ, quatenus Deus, nulla habita ratione generationis carnali et iustitiæ legalis, per meram gratiam suam voluit, ut sive gentes sive singuli homines peccatores ad populum electum accenserentur, et ad veram iustitiam pervenirent. — Ibi, inter alia, occurrunt verba: « Iacob dilexi, Esau autem odio habui » v. 13. Sensus est: Iacob eiusque progeniem dilexi, bonisque terrenis cumulavi, Esau eiusque sobolem *minus dilexi.* Ex quo intelligitur Deum, etiam in ordine supernaturali, non omnes pariter diligere, etsi omnibus media sufficientia præstet. — Vers. 16: « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei ». h. e. gratia omnibus gratis datur ex divina misericordia, non ex operibus naturalibus vel legalibus; quandoque autem *permittit* Deus, ulteriores gratias denegans, cor hominis indurari; unde v. 18: « cuius vult miseretur et quem vult indurat ».

(2) *Prædest. SS.*, n. 19.

stinationem et donationem *in eo tantum* distingui, quod illa sit *præparatio doni conferendi in futuro*, et donatio non aliud sit quam *unius eiusdemque doni iam ipsa collatio in præsenti.*

b) *Ex S. Augustino*: *explicite.* Sed et disertis verbis declarat Augustinus eandem esse rationem prædestinationis et executionis: *Constat alia Deum danda etiam non orantibus sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam* (1). Sicut ergo *donatio* perseverantiæ, ita etiam eius æterna *præparatio* est nonnisi pro orantibus. Clarissime vero ad Simplic. (l. I, q. 2, n. 6): *Non tamen electio præcedit iustificationem sed electionem iustificatio... Unde quod dictum est: « Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem » non video, quomodo sit dictum nisi præscientiâ.* Videlicet: hoc ipso, quod in executione electio ad præmium sequitur meritum iustificationis, item in prædestinatione electio ad præmium nullo modo intelligi potest nisi consequenter ad præscientiam illius meriti.

Quod si Augustinus contra Pelagianos statuebat prædestinationem gratuitam, hoc erat in controversia de gratia, unde prædestinatio, quam gratuitam asserebat, erat prædestinatio ad gratiam; si ad gloriam, semper tamen quatenus simul ex gratia et cum gratia spectabatur.

c) *Ex S. Thoma.* Denique cum Augustino alii Patres consentiunt et nominatim qui eius doctrina maxime profecerunt, uti S. Prosper et S. Fulgentius et ipse S. Thomas, quem postremo audisse præstat. « Circa ordinem præscientiæ et prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus prædestinat aliquos, quia præscit eos bene operaturos et in Christum credituros... *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis.* Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum. *Unde eâdem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno.* Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra supponatur, cuius præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quam gratiam ponere dari ex meritis nostris (2). » — Iam inde colligimus: *a)* Eatenus

(1) *De dono pers.*, n. 39.

(2) *In Ep. ad Rom.*, cap. VIII, lib. 6.

ex Angelico prædestinatio est gratuita, seu ante prævisa merita, quatenus ea in complexu sumitur, *uti complectitur omnia beneficia salutaria; — b)* sed si contra prædestinatio *respiceret tantum vitam æternam*, tum rationabiliter diceretur, eam prædestinationem esse ex prævisis meritis, eo ipso quod in executione *datur meritis; — c)* constat proinde fundamentum huius doctrinæ quod: Deus « *eâdem ratione* omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno (1). »

103. **Quæres** possitne hæc thesis conservari etiam in sententia neo-thomistarum. **Resp.** Thesis, prout iacet in textu, ordinatur ad suadendam doctrinam de prædestinatione post prævisa merita absolute futura; unde identitas quæ asseritur in ordine intentionis et in ordine executionis, est identitas *successionis;* hinc sicuti in ordine executionis prima gratia est omnino gratuita, augmentum gratiæ datur meritis antecedentibus et gloria tribuitur meritis, ita etiam in ordine intentionis eatenus præparat gloriam, quatenus prævidet merita futura, quasi sicut merita in tempore sunt causa gloriæ, ita etiam in æternitate sint causa electionis.

Quibus vero non placet doctrina de prædestinatione post prævisa merita absolute futura, cum eam repugnare putent gratuitati electionis, eamque ponunt ante prævisa merita futura, sed post prævisa merita futuribilia, adhuc subscribunt thesi uti exponitur, sed diverso plane sensu; transferunt enim quæ dicuntur de prædestinatione consequente prævisionem futurorum, ad prædestinationem prouti consequitur præscientiam futuribilium, et sic utique omnia sequuntur in tempore prouti sunt præcognita in ordine futuribili electo, sed identitas in ordine executionis et intentionis est identitas *causalitatis*, quatenus Deus in eligendo ordinem unum non movetur meritis, sed tamen, trasmittendo ad executionem ordinem electum, vult dare gloriam meritis, unde tandem aliquando merita sunt causa gloriæ eodem modo ac Deus disponit hanc causam ad hunc effectum, sed merita non sunt causa electionis.

COROLLARIA.

104. **Prædestinatio, inadæquate sumpta, ad gratiam, non est ex prævisis meritis.**

Ratio est, quia etiam in executione collatio gratiæ nullis præcedentibus meritis redditur. Sicut vero prædestinatio mere

(1) Alibi idem S. Doctor ait: *Sicut* (Deus) *salvos nos fecit, ita prædestinavit nos salvos fieri. Sum. th.* I, q. 23, a. 5. Ubi et advertit in quæstione, utrum prædestinatio habeat causam in meritis nostris, non loqui de causa ipsius actus Dei prædestinantis, cuius nulla causa esse potest; sed loqui tantum de causa eorum, qui sunt effectus prædestinationis seu de causa justificationis et glorificationis, quæ sub nomine prædestinationis connotantur. Porro si glorificatio habet in nobis causam, Deus ab æterno præscivit etiam situm ordinem causæ ad causatum. Cfr. S. Thomam, I, *Dist.,* 41, a. 3.

gratuita prædicatur quoad primam gratiam, ita, si simul sumatur tota series gratiarum, ratio illius gratuitatis extenditur ad totam seriem, quatenus meritum omne subsequens fundatur in gratia. Attamen cum post primam gratiam possit homo impetrare, meritis gratia partis, ulteriores et uberiores gratias; hæ prædestinatæ non sunt nisi sub prævisis meritis illis supernaturalibus. Quando ergo prædestinatio ad gratiam dicitur gratuita, id intelligendum est eâdem ratione, qua gratuita est gratiæ collatio. Pariter gratiæ, quæ intuitu impetrationis vel cooperationis aliorum dantur, eodem etiam modo prædestinantur. *Si qui nondum vocati sunt*, aiebat Augustinus, *pro eis, ut vocentur, oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, et accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi* (1).

105. **Adultorum prædestinatio, inadæquate sumpta ad gloriam, est post prævisionem meritorum supernaturalium.**

Id sane sequitur ex eo, quod in exsecutione gloria datur tanquam corona meritis supernaturalibus gratiæ, et confirmatur etiam ex eo, quod, posita prædestinatione antecedente tantum aliquorum, sequeretur *antecedens reprobatio negativa aliorum*, quam vidimus non posse conciliari cum voluntate Dei salvifica universali. Verum etiam directe hæc veritas probari solet aliis pluribus argumentis, præter ea, quæ supra attulimus. Ex iis propter rei gravitatem aliqua indicasse præstat: — *a)* in Scripturis electio ad vitam æternam exhibetur tanquam suspensa et incerta, donec supponatur impleta conditio bonorum operum, sine qua electio non esset, unde Petrus nos admonet: *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2). — *b)* Nominatim illud Pauli: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (3) ita interpretantur Patres, ut sensus sit: *Quos præscivit, hos et prædestinavit; quia non ante prædestinavit, quam præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Hæc porro sunt verba S. Ambrosii (4), cui consonant alii. — *c)* Ceterum ex Patribus in rem generatim consentiunt, præter Augustinum, Irenæus,

(1) *De dono persev.*, n. 60.
(2) II Pet., I, 10.
(3) Rom. VIII, 29.
(4) L. V, *De fide*, c. 6, n. 83.

Origenes, Hilarius, Ambrosius, Ephifanius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus aliique plurimi, aliis explicite non contradicentibus. — *d)* Idem Doctores scholastici non pauci citari solent, nimirum, præter alios, Alexander Halensis, B. Albertus M., S. Bonaventura, Gabriel Biel, Durandus et etiam de schola Scoti nobiles discipuli, uti Frassen ord. min. (1). — *e)* ex theologis vero sententiam hanc defendunt Toletus, Molina, Gregorius De-Valentia, Gabriel Vasquez, Lessius, S. Franciscus Salesius (2), et alii tum ex antiquioribus multi, tum recentiores plurimi, ut Becanus, Tricassinus ord. capp. (3), Tournely doctor sorbonicus (4).

106. **Prædestinatio, complete spectata ad gratiam simulque ad gloriam, non est ex prævisis meritis.**

Ratio est, quia, licet gloria in exsecutione conferatur meritis, tamen hæc merita fundantur in gratia, qua primitus homo ante omne meritum præventus fuit, unde prædestinatio ad gloriam considerata una simul *radicaliter* in prima gratia, antecedit omnia prævisa merita. Hoc sensu *impossibile est*, sicut ait S. Thomas, *quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra* (5).

---

(1) Omittimus hic S. Thomam, quia Franzelin ipse suam et Molinæ sententiam fatetur non esse eandem ipsam Doctoris angelici sententiam, sed aliquid inde consequens enucleatius. Pergit etiam notare multas scholasticorum veterum sententias a Toleto recitatas falso ipsis tribui ipsumque Toletum aperte confiteri D. Thomam alius esse sententiæ. Vide in re Dummermuth.

(2) « Sententia illa, antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima, de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sane mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem et amabiliorem existimavi: quod etiam tantisper in libello *De amore Dei* indicavi ». Ita Salesius in Epist. ad Leonardum Lessium, 26 Aug. 1613.

(3) Tricassinus, qui floruit circa an. 1687, per totam vitam ingenium industriamque ad hoc unum impendit, ut Augustini sententiam de gratia et prædestinatione contra Iansenianos assequeretur et explicaret, quo in studio nulla eidem scientia nec facultas defuit, nullisque difficultatibus cessit.

(4) Fatemur, adversam quoque sententiam defendi a theologis magni nominis, præsertim veteribus, inter quos Estius, Suarez, Bellarminus. Ex iis tamen doctiores et prudentiores concedunt, sententiam, quam defendimus, *vere esse probabilem*. Ita Suarez, Opusc. III, *De Aux.*, l. III, c. 16, n. 8; cfr. Franzelin, th. LIX et Theol. Wirceburg. Tom. II, *De Prædest.*, art. 3.

(5) *Sum. th.*, I, q. 23, a. 5.

107. **Corollarium maxime practicum.**

Quod aliquis non est prædestinatus ideoque et reprobatus, provenit ex culpa hominis; quod aliquis est prædestinatus sive ad opus salutare sive complete ad totam seriem donorum usque ad vitam æternam est Dei donum omnino gratuitum. Hoc ex dictis omnibus colligitur et ratio est, quia ita pariter est in ordine executionis. Videlicet, si homo in tempore deficit a voluntate Dei bona, nonnisi sua mala voluntate deficit; si vero divinæ consentit voluntati, quamvis ita libere consentiat, ut possit dissentire, non tamen consentiret nisi gratia præventus fuisset et adiutus.

Nota etiam hic, si lubet, quomodo lucide se exprimant, tum relate ad prædestinationem tum relate ad reprobationem, fautores tertiæ sententiæ supra relatæ:

1. Prædestinatio sequitur signum voluntatis salvificæ universalis; sequitur præscientiam possibilium et futuribilium; est omnino gratuita quoad electionem, cum antecedat prævisionem futurorum, et sequatur præscientiam futuribilium; nullam inducit necessitatem in voluntate humana, cum omnia sequantur libere, sicuti prægnita sunt in ordine futuribili; nostra prædestinationis doctrina concordat cum doctrina de efficacia gratiæ ab extrinseco seu a libero consensu voluntatis; non adimit, sed auget zelum pro salute animarum, cum exitus proxime pendeat a nostra voluntate.

2. Reprobatio sequitur signum voluntatis salvificæ universalis; non antecedit neque ut positiva neque ut negativa præscientiam possibilium et futuribilium, non est voluntas antecedens, sed consequens, cum non respiciat quod cadit in prima intentione, sed quod cadit in secundaria intentione; non est electio vel pars electionis, sed connectitur et coniungitur cum electione ordinis ut permissio prægnitæ defectionis; nullam inducit necessitatem peccandi in voluntate humana, cum omnia sequantur ut prægnita in ordine futuribili; hæc nostra doctrina concordat cum doctrina quæ ponit gratiam mere sufficientem talem evadere et distingui ab efficace ex solo libero dissensu malæ voluntatis: confirmat damnationem unice provenire a culpa hominis, non a defectu auxilii ex parte Dei.

108. *Ne igitur erremus, fratres:* Deus omnia in suæ æternitatis præsentialitate videt et disponit, sed nos omnia in tempore successive unum post aliud vel unum ex alio, libere vel non, pro modulo nostro peragimus. Incongrue autem ad illam æternam præsentialitatem illud transfertur prius et posterius in quo tempus consistit; itemque incongrue liberæ antecedentiæ meritorum vel demeritorum, in nobis sive saluti sive damnationi requisitæ, illa suprema imponitur necessitas, quæ propria est divinæ scientiæ et providentiæ Eius, qui lucem inhabitat inacessibilem. Elementum, tum rationis tum fidei, ad rem componendam nobis deesse videtur.

Potius, cum sit a divina gratia et misericordia ut salvemur, a nobis si damnemur; satagamus ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus. Porro opera bona sunt signa potissima prædestinationis nostræ apud Deum, qui scientia immutabili *suos fide et opere futuros esse prænoscit* (1). Verum specialiora signa enumerantur virtutes octo beatitudinum, studium perfectionis pro sua cujusque vocatione, orationis et sacramentorum frequentia, devotio in primis erga B. Mariam Virginem Matrem Salvatoris, deinde etiam pietas erga alios patronos cœlestes, maxime erga S. Joseph Virginis Sponsum et singularem in hora mortis intercessorem. Ceterum cum timore quidem et tremore de nostra mala voluntate, sed plene fisi divina misericordia nos in *libro vitæ* conscriptos esse, videlicet in *determinato et magno* numero prædestinatorum inveniri, salutem nostram operemur *expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (2).

Nota 1.ª *De libro vitæ.* — S. Th. I, 24, 1: « In Deo dicitur metaphorice, secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro... patet autem quod omnes prædestinati eliguntur a Deo ad habendam vitam æternam. Ipsa ergo prædestinatorum conscriptio dicitur *liber vitæ* ». Frequenter nominatur in SS. Litteris e. g. *Luc.* X, 20 « Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis ».

Nota 2.ª *De numero electorum.* — *a*) « Deo *cognitus* est numerus electorum in superna felicitate locandus », sicut Ecclesia canit. — *b)* est nobis *incertus* et nihil in hac re definivit Auctoritas: nihilominus quædam communiter asseruntur. — *c*) plures sunt prædestinati quam præsciti, si angeli quoque includuntur. — *d)* ex *hominum* collectione minor est prædestinatorum numerus; verum textus Scripturæ non habent ad hoc vim demonstrativam, ut v. g. ille Matt. XX, 16: *multi sunt vocati, pauci vero electi,* nam *omnes* operarii vineæ mercedem receperunt; quare dicendum multos vocari *gratiis ordinariis,* paucos quidem *extraordinariis.* — *e)* si de *christianis generatim* loquimur, præ oculis habeatur tum plures ante usum rationis baptizatos obire, tum multos in bona fide vivere. — *f)* inter *catholicos* plures electi quam reprobi, uti suadet perfectio Ecclesiæ Christi, in qua tot salutis media præsto sunt, maxime in fine vitæ. — Ceteroquin magnus erit numerus beatorum, sicuti colligitur ex c. VII, 9 *Apoc.*: « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum et in conspectu Agni ».

---

(1) In oratione Missalis romani.
(2) *Tit.* II, 13.

COROLLARIUM.

(ex dictis de voluntate divina).

Deus est ipsa summa et prima Bonitas.

109. Vulgata est definitio ARISTOTELIS: *bonum esse quod omnia appetunt.* Quod itaque voluntas naturaliter appetit, id bonum est primo quidem in se et consequenter etiam alteri. Atqui ex dictis de divina voluntate, Deus suapte natura primo et per se appetit et vult seipsum et per se et in ordine ad se vult etiam cetera, in quibus ita id efficit quod vult. Ergo Deus est primum et summum Bonum et consequenter bonum est etiam ceteris, quæquæ sunt extra Deum et quæ, de divina bonitate participando, et ipsa bona sunt. Ita Deus est ipsa *Bonitas* in se, et est bonitas ceteris omnibus, quibus de sua bonitate communicat. Quæ Bonitas sese inclinans et communicans creaturis aptius dicitur Dei *Benignitas.* De utraque Dei bonitate aliquid dicemus, sed oportet, ut antea notio boni clarius explicetur.

110. Cum bonum sit quod omnia appetunt et cum omnia appetant propriam perfectionem, hinc S. THOMAS concludit bonum habere rationem perfecti, seu eius, quod est veluti complementum et culmen τέλειον eorum, quæ rei competunt.

Cum autem bonum, etsi in ratione perfecti consistit, includat tamen aliquem respectum ad appetitum; hinc sequitur bonitatem definiri posse: *perfectionem rei quatenus apta ad voluntatem sibi inclinandam.* Hæc quidem bonitas consistit primo ontologice in ipsa re appetibili et, qua talis, dicitur bonitas naturalis, seu fortasse melius, *essentialis.* A re autem ratio boni traducitur in appetitum, et speciatim in voluntatem, quæ bona vocatur eo quod vult bonum, non quidem quod velit bonum quodcumque, sed illud quod ei recte respondeat. Hæc voluntatis in appetendo perfectio est bonitas *moralis.* Postremo, bono obtento, ea conquiescientia sequitur, quæ proprie est ultima voluntatis et volentis perfectio, et quæ proinde, verum ultimum complementum, optime dici potest bonitas *finalis.*

Hæc bonitas triplex primo quidem consideratur ut est bonitas *in se,* seu *absoluta,* per quam aliquis vel aliqua res est in suo esse, in sua appetitione, in suo fine perfecta. Verum res per hanc suam perfectionem apta fit ad alia perficienda et consequenter ad sui desiderium in aliis excitandum et explendum. Ita hæc rei perfectio fit bona *aliis,* seu bonitas *respectiva.*

Hisce præmissis, intelligamus quomodo Deus sit sive *in se Bonitas,* sive *Benignitas aliis.*

111. Imprimis est in se ipso Bonitas tum essentiæ, tum voluntatis, tum beatitatis eaque absolute summa. Porro dicit Dominus: *Nemo*

bonus nisi solus Deus (Luc. xviii, 19). Nihilominus: *Omnis creatura Dei bona est* (I, Tim. IV, 4). Ergo quæcumque præter Deum bona dicuntur, cum Deo comparata, sunt quasi non sint bona. Hoc autem significat, Deum esse bonum simpliciter summum. Quod quidem singillatim in unoquoque ordine ontologico, morali et finali ostendendum est.

1° In ordine *ontologico* Deus est ipsa sua *Bonitas essentialis*, sicuti est ipsa sua essentia actu existens in plenitudine perfectionis. Hinc non alio sed seipso est bonus, non bonus intra aliquem ordinem et gradum, sed absolute tota bonitatis ratione, non denique habet bonitatem quasi accidentalem sed est ipsa tota bonitas. Ita lucidissime Augustinus: « Bonum hoc, bonum illud, tolle hoc et illud et vide ipsum Bonum, si potes. Ita Deum videbis, non alio bono bonum sed bonum omnis boni » (1).

2° In ordine *morali* Deus est ipsa *Sanctitas*, qui dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester* (Levit. xix et passim). Et revera sancta est voluntas ob conformitatem ad suam normam. Quæ norma est ipsa lex æterna, et quæ lex est ipsa Sapientia divina, quatenus voluntates et actus gubernat. Atqui divina voluntas non solum conformissima est cum divina Sapientia, sed re ipsa unum idemque est. Ergo divina voluntas non modo est sancta, sed est ipsa Sanctitas, norma omnis sanctitatis. Quæ divina sanctitas aliud demum non est quam idem amor essentialis, quo Deus infinite amat suam essentiam, prouti hæc est ipsa rectitudo et norma omnis rectitudinis; brevius: est infinitæ substantialis bonitatis amor infinitus.

3° Demum etiam *finaliter* Deus est in se bonitas hoc sensu, quod Deus est veluti finis sibimetipsi, qui ideo conquiescit in se ipso suaque totius boni plenitudine. Porro Deus sui ipsius cognitione et amore beatus est et est Ipse sibi sua infinita beatitudo, quia et Ipse est bonum de quo gaudet, et Ipse est sua intellectio et amor gaudens.

112. Deinde consideranda venit Dei bonitas respectiva ad creaturas seu divina *Benignitas*. Ea ex bonitate ipsa absoluta oritur. Si res enim sit in se perfecta, ex hoc propendet ad sui communicationem, sicut vas plenum ad effusionem, iuxta illud quod *bonum est diffusivum sui*. Est autem in Deo duplex sui communicatio: altera est intrinseca, necessaria, plena, qua una divina natura tribus distinctis Personis identice communicatur: altera ad extra, libera, diminuta, quæ proprie Benignitas dicitur. Est igitur Benignitas Dei naturalis propensio ad communicandum se creaturis pro captu cuiusque. Quo triplici ordine bonitatem Dei absolutam consideravimus, eodem considerari deberet

(1) *De Trin.* l. VIII, c. 3, n. 4 et 5 et alibi.

etiam hæc bonitas respectiva, quatenus scilicet bonitas essentialis, moralis, finalis ipsius Dei est respective causa exemplaris, efficiens, conservans omnis boni seu omnis perfectionis, rectitudinis, beatitatis in ipsis creaturis, idque utraque sui communicatione naturali et supernaturali.

In qua divina bonitatis communicatione, quatenus fit in ordine ontologico, habetur divina *liberalitas* et *magnificentia;* quatenus fit in ordine morali habetur *iustitia* et *misericordia,* illa puniendo hæc parciendo peccata removens: quatenus in ordine finali completur, illud attributum habetur, quo Deus est *finis ultimus* omnium creaturarum, et *beatificatio* creaturarum rationalium.

Verum, partitione minus forte scientifica at magis apta et facili, divina Benignitas considerari præstat, prouti Deus erga creaturas amore propendit eisque se communicat in *ordine naturæ* per creationem, conservationem, providentiam, in *ordine gratiæ* per revelationem, Verbi incarnationem, sanctificationem et maxime per fidem, spem, caritatem, quibus virtutibus Deus modo ineffabili nobis unitur; sive demum in *ordine gloriæ* per lumen gloriæ, visionem divinitatis, amorem et gaudium beatificum.

Bonus Dominus et amabilis valde, et bonitatis eius non est finis. O quam suavis et benignus est, Domine, in omnem creaturam spiritus tuus! *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (Ps. XXXV).

CAPUT IV.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

113. **Deus** παντοδύναμος **atque** παντοκράτωρ.

Vox *Omnipotentia* sub duplici significatione accipitur a Patribus. Nam Deum *omnipotentem* dicunt, quia *omnia et in omnia potest;* omnia potest, seu *omnia facere* potest: in omnia potest, seu *in omnia potestatem* exercet, vel omnia sub potestate et dominio tenet. Utramque significationem latini una voce complectuntur, græci priore sensu Deum vocant παντοδύναμον *omnipotentem,* posteriore παντοκράτορα *omnidominantem, omnitenentem.* — Verum communis nominis significatio est, ut *Omnipotentem* intelligamus, qui potest omnia facere. De omnipotentia Dei sub hac dumtaxat significatione modo agimus, cuius conceptus ut clarius efformetur, illa duo elementa explicabimus unde resultat, scilicet dicemus quid intelligi debeat pro *potentia Dei,* et quid pro *omnibus,* ad quæ illa porrigitur.

114. Omnipotentia Dei.

Nomine *potentiæ Dei,* ut cuique compertum est, intelligitur potentia non quidem *passiva,* quæ est principium patiendi ab alio, sed potentia *activa*, quæ est *principium agendi in aliud,* eaque est « ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum » (1). Nam « potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit; quæ tria Deo secundum idem conveniunt » (2). Imo ipsa « actio Dei non est aliud ab Eius potentia, sed utrumque est essentia divina » (3). Hinc potentia Dei non est principium actionis, qua res producuntur, nam nullum principium esse potest actionis quæ est ipsa divina essentia; sed potius est principium effectuum, qui per ipsam producuntur (4). Ex dictis consequitur etiam, potentiam hanc Dei esse infinitam tum ratione *sui*, quia infinita est divina essentia, quacum identificatur; tum ratione *modi agendi*, quia sicut in essendo, et in agendo Deus est omnino independens, et ita est in actione creativa seu producendi ex nihilo; tum ratione *obiecti*, quia non producit tot effectus, quin possit plures et perfectiores producere, idque in infinitum. Nam Deus, quoniam simpliciter infinitus est, nunquam satis participari potest adeoque semper magis magisque ac infinitis modis est participabilis. Divina hæc potentia, quatenus infinita ratione obiecti, dicitur Omnipotentia.

115. Obiectum omnipotentiæ.

Modo de hoc ipso omnipotentiæ obiecto remanet quærendum, quid sint illa *omnia*, ad quæ divina potentia se porrigit. Sunt *omnia possibilia*, et ideo Deus *Omnipotens* dicitur, quia facere potest omnia possibilia. Hæc est ratio propria omnipotentiæ: dicere cum Augustino, Deum vocari omnipotentem, quia *quidquid vult, potest* (5), est proferre signum, non rationem omnipotentiæ. Verum animadvertendum est, quid sit *possibile* et quid *impos-*

---

(1) S. Thomas, *Sum. th.,* I, q. 25, a. 1, ad 4.

(2) S. Thomas, l. c.

(3) Idem, l. c. « Idem est esse Dei et potestas eius ». S. Anselmus, *De fide Trin.*, c. 4.

(4) S. Thomas, l. c., ad 3.

(5) *Enchirid.*, c. 96.

sibile. Utrumque dupliciter sumi potest: primo *extrinsece* seu relate ad potentiam exterioris agentis, unde dicimus possibile esse homini ambulare, impossibile volare; secundo *intrinsece* seu absolute, inspecta ipsa rei natura, quæ talis in se sit, ut possit fieri, quia nullam implicat contradictionem, aut fieri non possit, quia implicat; quo pacto possibile est albedinem videri, impossibile videri sonum. Iamvero possibilia, ad quæ divina omnipotentia se porrigit, talia sunt intrinsece et absolute. Hinc Deus omnipotens dicitur, non quia facere possit ea, quæ sunt possibilia relative ad suam ipsius potentiam, quia tunc esset circulus, veluti si diceretur: Deus *facere potest omnia, quæ potest;* sed omnipotens dicitur, quia facere potest *quidquid non involvit contradictionem.* Si quæ vero absolute sunt impossibilia, quia intrinsecam involvunt contradictionem, uti esset quod Deus mentiatur, ea Deus facere nequit, vel dicam melius, ipsa fieri non possunt. Nam quæ contradictionem ita implicant, rationem entis non habent ac sunt merum nihil, quod fieri nequit.

Id quod dici solet, alia posse a Deo fieri *potentia absoluta*, alia *potentia ordinaria* sive ordinata, ita est intelligendum: quidquid potentiæ secundum se tribuitur, attenta solum non repugnantia intrinseca obiecti ac præcisione facta a quocumque Dei decreto, hoc potentia absoluta fieri posse dicitur; id vero omne quod potentiæ tribuitur, secundum quod certum voluntatis decretum exequitur, fieri dicitur potentia ordinaria. Licet e. g. de potentia absoluta possit Deus animam humanam ad nihilum reducere; id tamen de potentia ordinaria facere nequit, supposito divino decreto, quod animas humanas immortales statuit (1).

116. Hisce positis, iam satis erit unica thesi demonstrare, Deum esse omnipotentem hoc sensu, quod omnia facere potest. Addemus aliqua etiam de omnipotentia alio sensu accepta, quod Deus in omnia potestatem tenet.

---

(1) Ianseniani hanc distinctionem suis erroribus aptantes aliter explicant; dicunt scilicet potentiam *absolutam* accipi in comparatione solum ad Dei omnipotentiam, facta abstractione ab aliis divinis attributis; et potentiam *ordinariam*, seu *ordinatam*, accipi in comparatione ad omnia Dei attributa simul inspecta. Verum quisque videt, attributa in Deo realiter invicem non distingui, proindeque si quid opponitur e. g. divinæ Bonitati, hoc ipso necesse est, ut etiam Omnipotentiæ opponatur.

Thesis XVIII. — *Deus est Omnipotens, seu omnia facere potest, quæ intrinsecus non repugnant.*

117. ***Declaratio.*** — Thesis est de vi effectiva Dei, quæ extenditur ad omnia absolute possibilia, seu ad quæcumque intrinsece non repugnant. De fide est iam in Symbolo Apostolico expressa: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

118. ***Demonstratur I.*** — *Ex S. Scriptura.*

a) In S. Scripturis plusquam septuaginta in locis Deus vel ex propriis ipsius Scripturæ vel ex hominum iustorum verbis *Omnipotens* vocatur; — *b)* Deo omnia possibilia asseruntur: *Scio, Domine, quia omnia potes* (Iob. XLII, 2); *Abba Pater! omnia tibi possibilia sunt* (Marc. XIV, 36); *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt* (Matth. XIX, 26). — *c)* Ita vicissim Deo *nihil impossibile* dicitur: *Nunquid Deo est quidquam difficile?* quod interpretes LXX vertunt *impossibile*, μὴ ἀδυνατήσει. (Gen. XVIII, 14). *Apud Deum non erit impossibile omne verbum* (Luc. I, 37), id est, nulla res, quæ animo concipi queat, aut verbo exprimi. Omne igitur, quod non modo ab humana et angelica mente, sed etiam quod ab ipsa Dei sapientia infinita concipi potest, omne a Deo fieri potest. — *d)* Demum enarrantur nominatim plura Deo possibilia, quam quæ Deus fecisse aut facturus esse legatur. Iudas Machabæus enuntiat, Deum omnipotentem uno nutu posse universum mundum delere, quod tamen nec fecit nec faciet (II Mach. VIII, 18); Ioannes Baptista declarat, Deum de lapidibus posse suscitare filios Abrahæ (Matt. III, 9); Christus ipse testatur, duodecim Angelorum legiones mittendas fuisse, si ipse rogasset (Matth. XXVI, 53).

Demonstratur II. — *Ex Patribus.*

a) Nullus eorum est, qui Deum non appellet *Omnipotentem;* et præsertim id faciunt, qui scripserunt in symbola. Illud autem nomen communius intelligunt de potentia omnia faciendi, uti Augustinus passim (1); cui consonat B. Severinus Boëtius in

(1) Sæpius Sanctus Doctor Deum propterea *Omnipotentem* dicit, quia *quæcumque vult, facere potest;* quod intelligi debet sensu, quod Deus facere potest

III de Consolatione, prosa 12, dicens: *Qui vero est Omnipotens, nihil est, quod ille non possit.* Tamen idem S. Doctor Augustinus in sermone de Symbolo ad Catech. c. 1, scite advertit: *Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et quod ait Apostolus* (II Tim. II, 13) *negare seipsum non potest. Quam multa non potest, et omnipotens est! et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens.*

b) Specimina divinæ omnipotentiæ Patres etiam exhibent, et primum quod Deus de nihilo producit, et quidem *pari omnino facilitate res magnas et parvas.* Ita Fulgentius: *In eo Eius omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, idest corporalem atque spiritalem, de nihilo fecit; in quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipontentiam Creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non unâ eâdemque facilitate summa atque ima fecisset* (1). Et revera infinita est potentia, quæ distantiam inter nihilum et esse infinitam superat; et nullis operis cuiusque difficultatibus limitatur, qui omnia summa facilitate peragit. — Proximum huic et affine specimen omnipotentiæ est illud, quod Iræneus præsertim et Athanasius urgent contra Arianos, scilicet Deum ad procreandum non solum materiâ nulla, sed etiam *instrumento nullo opus habuisse.* Nam hæretici illi asserebant, Deum Patrem, cum res omnes efficere vellet, prius Verbum suum filiumque procreasse, quo velut instrumento uteretur ad cetera producenda. Eos non aliunde, quam ex Dei omnipotentia, SS. Patres convincunt, cuius talis est conditio, ut adiutorem nullum requirat (2). — Proprietas omnipotentiæ speciatim notanda est, quod divina vis *nunquam exhauriri potest*, unde semper efficere potest plura et maiora iis, quæ fecit, aut faciet (3). Hoc quidem docet Dionysius: *Deus infinipotens, non solum quod omnem potentiam producat, sed etiam... quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias, præter eas quæ sunt, producere; et quod infinitæ*

---

non modo quæ actu vult, verum etiam ea omnia, quæ velle potest, seu omnia possibilia.

(1) Lib. *De fide ad Petrum*, c. III.

(2) Irenæus, l. II, *Adv. hær.*; Athanasius, l. III, *contr. Arianos.*

(3) Petrus Abælardus publice propugnavit, Deum nihil posse facere præter ea, quæ facit. Cfr. Denziger, n. 316, 317.

infinito numero productæ potentiæ nunquam queant super infinitam potentiæ Eius potentificæ effectionem hebetare (1). Et iuxta hanc inexhauribilem vim effectivam intelligi debent ea Augustini: *Omnipotens est* (Deus) *ad facienda maiora et minora; omnipotens est ad cœlestia et terrestria... magnus in magnis, nec parvus in minimis. Postremo omnipotens est ad facienda omnia, quæ facere voluerit.* De efficacissima autem Dei voluntate alibi notat: *Quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit* (2).

c) Demum Patres divinæ omnipotentiæ pulcherrimas afferunt *rationes ex ipsa Dei natura aliisque Eius attributis.* Imprimis argumentatur Augustinus ex eo, quod diximus Dei *essentiam*, nimirum *quia est vere.* Ait enim: *Ille plane Omnipotens vere solus dicitur, qui vere est, et a quo solo est quidquid aliquo modo est, vel spiritale, vel corporale* (3). Et revera, si Deus est plenitudo essendi ita, ut totum esse complectatur; iam nullum est ens, nec *reale* nec *possibile*, quod non pendeat ab eo, quod est totum ens. Ergo non modo entia realia omnia, sed possibilia omnia pendere debent a Deo; atqui non penderent, si quæ possibilia essent independenter a potentia divina. Ergo, si quid concipi potest ut possibile, id a divina potentia pendet, seu a Deo fieri potest.

Item ex *simplicitate* Dei arguit Cassiodorus: *Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse, quod sapere; hoc est posse, quod vivere; hoc est velle, quod facere* (4). Scilicet, quia simplex est Deus, ideo potentia eius idem est ac essentia; atqui essentia infinita; ergo potentia infinita. A qua ratione non est aliena illa Richardi Victorini, qui inde colligit omnipotentem esse Deum, quod *alioquin maius aliquid Deo iam posset cogitari. Maius namque est omnipotentiam habere, quam qualemcumque potentiam, cui aliquid desit de omnipotentiæ plenitudine.*

Superius ex omnipotentiæ infinitate divinæ scientiæ infinita-

---

(1) *De div. nom.*, c. 8, §. 2. In hunc locum S. Thomas ait, infinitam dici Dei potentiam « quia non terminatur per ea quæ sunt, sed potest infinitis modis et infinitas alias virtutes producere, præter eas quæ sunt ». *Exposit.* in hunc lib. et loc., lect. I.

(2) Serm. 119, *De tempore*, c. I; *Ench.*, c. 95.

(3) Lib. 26 *cont. Faust.*, c. 5.

(4) *De anima*, c. IX apud Petavium, *De div. dogm.*, tom. I, lib. V, c. 5.

tem deduximus; verum, data opportunitate, deduci vicissim posset ex Dei *omniscientia* eius omnipotentia, uti argumentando prosequitur idem Richardus: *Si aliquid de potentiæ plenitudine* (Deus) *intelligit, quod* (per suam potentiam) *habere non possit, erit maius aliquid in eius nosse, quam in eius posse, quorum neutrum nihil aliud est quam ipsius esse. Erit ergo unum idemque esse et seipso maius et seipso minus, quo nihil est impossibilius* (1). Alias rationes vide apud S. Thomam *c. G.* cap. xxii et Lessium *De Perfect. Div.* Lib. v, c. 1.

SCHOLION.

Deus est Omnipotens, quatenus in omnia possessione et potestate dominatur.

119. *Quo sensu Deus est omnidominans.*

Symbolum, iuxta textum græcum, fidem profitetur εἰς ἕνα θεον, πατερα παντοκρατορα: *in unum Deum Patrem omnidominantem,* et ita etiam Patres, præsertim græci, vocem explicant de potestate et dominatu in omnia. Porro quid sit παντοκράτωρ et cur in symbolo ponatur, aperit Cyrillus hierosolymitanus Cathechesi VIII, ubi dicit, id esse factum propter ethnicos et iudæos, qui Dei potestatem et providentiam cœlestibus spatiis circumscripserunt. Atqui παντοκράτωρ, inquit, *ille dicitur, qui omnibus dominatur et in omnia potestatem habet.* Dionysius, qui capite VIII de Divinis Nominibus de primo nomine et sensu (δυναμις *potentia)* dixerat, capite X de altero nomine ita disserit: « *Omnidominus* (παντοκράτωρ) *dicitur, quia ipse* (Deus) *est ipsa sedes potestativa omnium, continens et complectens universa, et erigens et fundans et circumcingens et efficiens universum in se irruptibile: et ex se omnia, veluti ab omnipotestativa radice producit, et ad se omnia tanquam ad fundamentum omnipotestativum dirigit et continet ea, ut sedes omnium omnidomina... Dicitur etiam omnidomina prima illa divinitas, quod omnia superet, quod iis, quæ gubernantur, sine ulla admixtione præsit, quod expetenda et amanda sit omnibus et iugo voluntario omnia coerceat.* Quibus verbis Dionysius vocem παντοκρατορα refert ad *Dominium,* quod Deus in omnia tenet, illudque explicat tum ex omnium rerum possessione perfecta, tum ex gubernatione et regimine omnium simulque notat huius dominii titulos in creatione, qua Deus ex se omnia producit, in conservatione,

(1) Lib. I, *De trinit.,* c. 21.

qua circumcingit et efficit universum in se irruptibile, in fine ultimo, qui est ipsa divinitas ab omnibus expetenda et amanda. Hac itaque significatione et explicatione si accipiatur vox *Omnipotens*, continet illud Dei attributum, quod dicitur *Dominium*.

120. *Dominium Dei.*

Iamvero dominium generatim est duplex, possessionis et potestatis, seu, ut aiunt, *proprietatis* et *iurisdictionis:* utrumque autem eminentissime in Deo est, quia non solum Ipse est *Rex regum* et *Dominus dominantium,* verum etiam ipse *solus* est *Dominus, solus Altissimus,* dum ceteri et cetera omnia sunt subditi et mancipia. Hoc dominium insinuat aperte Esther XIII, 9: *Domine Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati... Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur; Dominus omnium es.* In quibus verbis ut dominii titulus affertur *creatio*, cui accedunt alii tituli, præsertim *conservatio* et ratio *ultimi finis.* Ergo omnes et omnia posita sunt in possessione et potestate Dei, quia *ex ipso et per ipsum et in ipsum sunt omnia* (1). Triplici itaque titulo, nos vero homines etiam quarto *redemptionis*, servi sumus et mancipia Dei. Quæ servitus adeo est plena et essentialis, ut nos obligationi nostræ neque ex minima parte satisfacere possimus; Deus autem nulla obligatione *iustitiæ* proprie dictæ nobiscum obstringitur, sed solum *fidelitatis;* qua sane obligatione non nobis, sed sibimetipsi debitor fit, ut promissa adimpleat.

121. *Comprehensio attributi divini « omnipotens ».*

Ex dictis vox *Omnipotens* duplicem Dei potestatem complectitur tum *Omnia faciendi,* tum *in omnia dominandi,* quæ secunda subdividi potest in potestatem omnia possidendi et regendi. Unde, completa significatione, Deus vocari potest *Omnipotens* et *Omnidominus* vel distinctius: *Omnipotens, Omnitenens, Omniregens* (2).

Hinc in explicatione symboli, ad vocem *Omnipotentem*, cetera omnia divina attributa ad hanc triplicem potestatem facile reduci possent. Scilicet attributa absoluta revocari possent ad primam infinitam Dei potentiam nunquam exhauribilem omnia faciendi, et alia attributa relativa vel ad divinam potentiam omnium conservativa, si respiciant *esse* generatim creaturarum; vel ad potestatem omnium ad ultimum finem gubernativam, si respiciant *operationem* creaturarum præsertim rationalium. Unde Deus tota plenitudine omnipo-

---

(1) *Ad Romanos,* c. XI, 36. Ita ad litteram ex græco textu.

(2) In libro de *Divinis Nominibus* Dionysius loquitur de potentia omnia faciendi cap. VIII; de potentia dominandi in omnia cap. X, verum hic expressius de potestate conservativa et inferius cap. XII de potestate gubernativa.

tens est, quia ex ipso omnia proveniunt, in ipso omnia constant, et ad ipsum omnia tendunt (1).

---

(1) Si Deus est *Omnipotens,* omnis res creata et creabilis ab eius potentia pendere debet; ergo Deus est *primum principium* omnium, etiam possibilium, quorum omnes perfectiones eminenter præhabens, *perfectissimus* est, et quidem undequaque i. e. in se *(infinitus* et *simplicissimus)*, relate ad spatium *(immensus)*, ad motum *(immutabilis)*, ad tempus *(æternus)*, ad operationem intellectus (*sapientissimus*), voluntatis (*sanctissimus*), ad finem (*beatissimus*), relate ad complexum omnium perfectionum (*pulcherrimus*).

Si Deus *Omnipotens;* ergo est etiam omnia possidens, quæ ab eius potentia producta sunt, scilicet est *omnitenens*, proindeque *omniprœsens*, simulque super omnia *altissimus*, attamen *benignus,* suis creaturis autem *incomprehensibilis* et *ineffabilis.*

Si Deus *Omnipotens;* ergo omnia, quæ fecit, non modo possidet, sed etiam gubernat, unde est *omniregens,* proindeque *provisor, misericors* simulque *iustus* et omnia regens ad se *ultimum finem.*

Omnia tandem attributa epilogantur in illo: *Ego sum qui sum.*

TRACTATUS
DE DEO TRINO IN PERSONIS

122. Fides catholica de hoc augustissimo religionis nostræ mysterio hisce fere continetur, quæ statuit Conc. Lateranense IV: « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus.... Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque » (1). Ideo duplici potissimum capite totum illud mysterium constat, quod scilicet tres distinguantur Personæ divinæ in una natura, et quod inter eas ille sit ordo, ut a Patre procedat Filius et a Patre Filioque procedat Spiritus Sanctus.

Verum id, in quo proprie consistit veritas mysterii, est distinctio trium Personarum in una divina natura. Ordo autem processionis inter divinas personas spectat ad intimiorem mysterii notitiam.

Sed priusquam veritas, duce Revelatione, probetur, valde expedit ut aliquis conceptus ipsius veritatis præformetur. Postremo, ut Sanctissimæ Trinitatis notitia fiat distinctior quantum licet infirmitati rationis humanæ, popronemus ea consectaria doctrinæ de processionibus divinis, quæ conceptum mysterii uberius illustrent.

Hinc quatuor erunt capita:

I. De aliquo prævio conceptu mysterii SS. Trinitatis,

II. De eiusdem augustissimi mysterii veritate,

III. De processionibus divinis,

IV. De conceptu mysterii SS. Trinitatis uberius illustrato.

---

(1) Cap. I, apud Denzinger n. 555.

CAPUT I.

DE ALIQUO PRÆVIO CONCEPTU MYSTERII SS. TRINITATIS.

123. Primum conceptum huius mysterii nobis aptissime exhibet definitio Concilii Lateranensis IV: « Una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac singillatim quælibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina..... et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis et unitas in natura (1). » Cum itaque summa veritatis huc recidat, quod distinctio sit in tribus Personis et unitas in essentia seu natura: tum præstat in primis declarare notionem *personæ*, prouti etiam in divinis formaliter distinguitur ab *essentia*; deinde secundum illam definitionem aliquem modum proponemus concipiendi in Deo essentiam unam in tribus Personis distinctis. Ad eundem conceptum declarandum, iuvabit quoque errores circa Trinitatem recensere (2).

I. *De notione praesertim hypostaseos et personae sive in creatis sive in divinis.*

124. Tria declaremus oportet: quid sit *essentia*, *natura*, *substantia;* quid *hypostasis* seu *suppositum;* quid *persona*.

---

(1) Cap. II, circa medium, apud Denzinger n. 358.

(2) La denominazione di *Triade* (τριάς) la troviamo per la prima volta in S. Teofilo, vesc. di Antiochia, sec. II, di cui ci rimangono solo tre libri ad Antolico, contro i maldicenti della religione cristiana. Tal nome salì in gran voga presso gli Alessandrini e dopo il Sinodo di Alessandria (317) diventò dominante nella chiesa greca. — Il nome *Trinità*, corrispondente al greco τριάς, fu introdotto nella chiesa latina da Tertulliano († 216 circa) e dopo di lui diventò comune. Egli espose diffusamente la sua dottrina intorno alla Trinità nel libro contro Prassea e rilevò con somma precisione la Trinità delle persone e l'unità della sostanza; ribattendo il Modalismo e il Subordinazionismo. (Klee *Storia dei dogmi c. II, Trinità*).

1. Essentia, natura, substantia.

Essentia, quasi ratio essendi, est *id, quo ens est, quod est* seu realitas illa qua ens ponitur in propria specie; ex. g. humanitas qua Petrus distinguitur a brutis et ab angelis. Item est id quod obiicitur considerationi *quid* aliquid sit, unde dicitur etiam *quidditas*. Ad idem significandum impositum est etiam nomen *naturæ* ab eo quod est nasci, quia in viventibus essentia est formalis terminus naturalis generationis; ideoque natura extenditur ad significandum generatim intrisecum principium quo remotum operationis. — Etsi nomina prædicta dicantur etiam, de accidente, quatenus et accidens suam essentiam et quidditatem habet, tamen per prius attribuuntur *substantiæ*, quæ est maxime et principaliter ens, cui non competit alii tanquam subiecto inhærere (1).

Hac nominum significatione supposita, Deum, *Ens* infinitum, fide et ratione cognoscimus, sensu maxime proprio esse unam absolutam *essentiam* et *naturam*, sicut et unam absolutam *substantiam*. Verum discrimen horum nominum practice non attenditur, et *illa res*, qua Deus est *id quod est*, seu unus Deus, promiscue vocatur *substantia*, *essentia*, seu *natura divina*, prouti in supra citata lateranensi definitione.

2. Hypostasis seu suppositum.

Bene definitur: *substantia singularis, integra, sui iuris et alteri incommunicabilis. — Declaratur*: Hypostasis seu suppositum est id, quod obiicitur considerationi *quis* aliquis sit; vocatur persona, si ratione polleat. Si e. g. de aliquibus hominibus quæram *quid* sint, respondetur, eos esse homines seu eos habere *essentiam* ac *naturam humanam*, quæ singulis eadem communis est: si vero quæram *qui* sint, respondetur, eos esse alium Petrum, alium Paulum, alium Ioannem, sub consideratione quidem quod unusquisque distinguatur tanquam aliquis ab aliquibus. Iamvero hi sub hac notione, qua quisque in se consistit ab aliis distinctus, dicuntur esse *hypostases* et, quia ratione pollent, *personæ*. Hinc hypostasis intelligitur esse, *id, quod est maxime in se ipso et non in altero nec alterius*, sed sui ipsius. Secundum quem conceptum hypostasis debet in primis esse *ens reale*, et quidem non accidens sed *substantia*, substantia vero

(1) Nota *substantiam* hic accipi non sensu prædicamentali (id cui competit habere esse in se) sed quodammodo trascendentaliter, secundum quod analogice dicitur de omni eo cui non competit alii tanquam subiecto inhærere, et proinde etiam de Deo.

non *secunda* seu universalis, sed *prima* seu simpliciter *singularis*, insuper nec pars, neque per se ordinata, ut si pars alterius, sed substantia *integra*, scilicet totam naturam possidens, simpliciter individua et omnino incommunicabilis. Porro revelatio novos modos communicabilitatis, præter communitatem partis iam notam, nobis manifestat. Scimus enim ex mysterio Trinitatis, essentiam Dei esse maxime *singularem*, sed quæ singularis eademque manens et una numero, per identificationem communicatur tribus distinctis ita, ut qua talis, non sit *in se totum quid*, sed communicata tribus. Dicimus namque Patrem esse Deum et Filium Deum et Spiritum Sanctum Deum, sicuti dicimus Socratem esse hominem et similiter Caium, Titum etc.; unde cum divinitas pluribus communiter existat,quamvis longe aliter ac humanitas, non est sub omni respectu individuum quid. Item scimus ex mysterio Incarnationis, humanam naturam in Christo nullo vero sensu esse *partem* alterius principii, sed esse omnino *integram;* attamen non esse *totam in se* et *sui iuris,* sed *per modum substantiæ assumptæ* factam esse naturam alterius hypostasis, quæ est Verbum. Hinc non sufficit ad hypostasim generatim, ut sit substantia singularis et integra, seu incommunicabilis *ut pars*, sed requiritur ulterius ut nullo modo, neque *per modum assumptibilis*, sit facta natura alterius, et insuper, ut nullo modo, neque *per identificationem*, sit communicabilis pluribus realiter inter se distinctis. Adeoque hypostasis, integro conceptu, prouti etiam divinis competit, definiri debet: *Substantia singularis, integra, sui iuris et alteri incommunicabitis*, et brevi: *Individua substantia*, quatenus in illo apposito *individua* contineatur, esse substantiam *a)* non modo singularem in oppositione ad universalem, *b)* non modo integram in oppositione ad partem; *c)* verum etiam ita integram, ut neque sit facta natura alterius per assumptionem, et demum *d)* ita singularem et *individuam*, ut neque per identificationem communicabilis sit pluribus inter se realiter distinctis.

3. Definitio personæ.

Hypostasis seu suppositum habet speciale nomen *personæ* ex dignitate *naturæ intellectualis*, unde et persona definitur: *rationalis naturæ individua substantia* (1). Persona est scilicet

(1) Est definitio a Boëtio *(De duab. nat. c. 2)* assignata, in qua vox *substantia* a voce *individua* determinatur ad standum pro substantia prima seu singulari et

hypostasis rationalis, ita ferme accipienda, ut rationabilitas per se non sufficiat ad notionem personæ, nisi ea omnia simul præsupponantur, quibus constituitur hypostasis. Unde patet, in errore versari eos, qui definitionem personæ in eo absolvi arbitrantur, quod sit *natura intellectualis* vel *natura sui conscia.* Si quæ enim natura, licet intellectualis, *in se tota* non subsisteret, ea iam desineret esse hypostasis et consequenter persona. Ita porro natura humana in Christo. — Cum præcedenti boetiana definitione coincidit illa S. Thomæ, *distinctum subsistens in natura intellectuali*, sed forte clarior et magis apta in materia de Trinitate. Siquidem illud *subsistens* (quippe habet suum proprium esse) excludit communitatem assumptibilis; subsistens in aliqua *natura* excludit communitatem partis; subsistens *distinctum* excludit omnem communicabilitatem supposito repugnantem, etiamsi per identificationem cum pluribus inter se oppositis, ut sunt tres divinæ personæ.

II. *Quomodo in Deo concipi possit essentia una in tribus Personis.*

125. 1. **Conceptus communis et facilis.**

Iam, secundum allatam definitionem lateranensem, præstitutas notiones Deo applicemus; inde aliquo modo concipere poterimus, quomodo in Deo una eademque essentia in tribus Personis subsistat. Illa quædam summa res, quae est Deus, sub duplici respectu formaliter distincto considerari debet. Sub uno respectu ea res, licet una sit et simplicissima, consideratur tamen tanquam per identificationem communicata tribus realiter distinctis, qui sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Secundum alterum respectum, eadem res consideratur non sub formali ratione, qua est communis tribus, sed sub formali ratione, qua est Pater, qua est Filius, qua est Spiritus Sanctus. Porro sub priore conceptu, definitio hypostaseos non verificatur, quippe natura divina, ita accepta, communis est pluribus distinctis et est realiter tam Pater, quam Filius, quam Spiritus Sanctus, tres simul et quilibet eorundem. Sub altero autem conceptu definitio hypostaseos apte verificatur, quippe ita est Pater, ut non sit

---

quidem sensu strictissimo, prout excludit omnem communicabilitatem repugnantem ultimo attributionis subiecto (h. e. de quo cetera omnia enuntiantur et quod de nullo dici seu prædicari potest). Vox autem *rationalis* accipitur generatim pro intellectivo, eo scilicet modo, quo ipsi angeli a Patribus aliquando rationales dicuntur.

Filius nec Spiritus Sanctus; ita est Filius, ut nec Pater sit nec Spiritus Sanctus; ita est Spiritus Sanctus, ut non sit Pater nec Filius.

Id clarius fit ex comparatione cum creaturis. In creatis natura *communis* non est hypostasis, sed hypostases sunt *singuli*, quorum est natura, quia quisque eorum est substantia ita singularis et non communicata alteri, ut sit hic unus et non alius. Ita, secundum hanc analogiam, natura divina quatenus *communis* tribus personis non est hypostasis; quia, licet singularis, tamen non est omnino incommunicabilis, sed imo est natura Patris ita, ut simul sit natura Fili, qui est alius a Patre, et simul natura Spiritus Sancti, qui iterum est alius a Patre et Filio: contra hypostases sunt *singuli* tres distincti eandem naturam habentes Pater et Filius et Spiritus Sanctus; quia quisque eorum, est ita substantia *alteri incommunicabilis*, ut sit hic unus et non alius eiusdem naturæ.

2. Conceptus accuratus et difficilis.

Sed iam apparet quomodo verificetur ratio personæ in Deo, in quo non potest esse distinctio secundum rem absolutam, utpote dicens imperfectionem et plures essentias seu deos faciens, sed solum secundum relationes. Unde S. Thomas: « Persona divina formali significatione significat distinctum subsistens in natura divina; et quia hoc non potest esse nisi relatio vel relativum, ideo materiali significatione significat relationem vel relativum » (1). Quare persona divina nihil aliud est quam *subsistens in natura divina relatione distinctum*, vel *relatio* (paternitas, filiatio, spiratio passiva) *subsistens in divina natura*. In hoc verificatur tum *incommunicabilitas*, quia relatio de se ponit oppositionem et distinctionem, tum *subsistentia*, cum relatio secundum rem non distinguatur ab ipsa substantia divina. Sunt igitur Pater, Filius et Spiritus S. tres subsistentes relativi in identica natura. Et sane si quis essentiam entis quod est *relatio* æque intelligit, potest sibi de SS. Trinitate conceptum *accuratum* efformare. Patres et Doctores, præ ceteris S. Augustinus et S. Thomas subtiliter investigarunt naturam relationis, cuius propria ratio est *ad aliquid* se habere, et inde hauserunt sive scientificam declarationem Mysterii sive plenam solutionem difficultatum. Nobis sufficiant quæ sequuntur desumpta ex p. Billot.

(1) *De pot.* quæst. 9, a. 4.

a) ***Relatio.***

Relatio in genere, per oppositionem ad rem *absolutam,* est ordo, respectus, *ad aliquid.* Non spectatur nunc relatio *transcendentalis,* quæ invenitur in entibus incompletis, ex. g. in anima separata relate ad corpus, et non est aliquid positivum ab ente distinctum; sed relatio quæ est quidam specialis modus essendi seu prædicamentum, et dicit aliquid positivum et reale, a fundamento, cui inest tanquam accidens, distinctum, ex. g. mutua relatio patris et filii. Porro quoad hoc ens valde singulare, adnotare debes:

b) ***Sola relatio esse potest vel realis vel rationis.***

Ceteræ categoriæ, secundum proprium et distinctivum conceptum, significant aliquam *realitatem,* quæ existere nequit nisi in re. Sic quantitas vel qualitas, propria naturâ, ponunt aliquid *in* substantia, aliquid inhærens et non mere assistens; dicunt extensionem et modificationem *substantiæ;* quare si præscinditur ab *esse in,* nihil de ipsis remanet in intellectu, ideoque nequeunt prædicari de substantia, si vere et realiter in ea non sunt. Econtra relatio non dicit, necessario et per seipsam, quatenus *ad aliud,* aliquid *reale;* sed hoc dicit solum ratione alterius *notæ* distinctæ, *quam relatio realis* in *simplici* sua essentia importat, seu secundum *esse in* subiecto. Hinc fit quod, si ego prædico aliquam *qualitatem* de aliqua re, puta si dico columna est rotunda, et qualitas hæc non est in re, falsum dico; quod non accidit, si prædico de columna, quod *habeat ad dexteram* suam corpus aliquod, et tamen *respectus* iste non sit in re, sed tantum in mente. Item concipere possum relationem creatoris in Deo, quamvis creatio nihil ponat in ipso Deo. Quando igitur relatio aliqua realis est, unde provenit tota eius realitas et perfectio? quinam est titulus et ratio? Non quia dicit *ad aliquid* præcisive, non ex nota seu *esse ad,* verum quia τὸ *ad aliquid* radicatur in subiecto et non in sola apprehensione, id est ex nota seu *esse in,* scilicet ex inhærentia relationis. Hinc principali proprietati relationis altera accedit:

c) ***Sola relatio esse potest vel inhaerens vel subsistens.***

Alia accidentia in suo conceptu unice exprimunt *inhærentiam* in subiecto, aliquid perfectivum substantiæ, quod eam complet et cum ea componitur: qua de re, cum essentialiter se referant ad substantiam ut ei opposita i. e. ut *subiectum* et ut *inhærens* subiecto, repugnat ut possint identificari cum ipsa ac subsistere, salva eorum ratione. At relatio, licet et ipsa inhæreat, ex suo conceptu formali non habet inhærentiam, ideoque, de se, non dicit imperfectionem, nec dependentiam a subiecto, imo refertur ad aliquid extra. Intelligitur ergo quomodo conceptus relationis vere salvatur, etiamsi ipsa identificatur cum substantia et subsistit, quia nota, ei propria, *ad aliquid,* non ma-

gis exigit inesse quam subsistere: tunc remanet *esse ad*, sed *esse in* est re idem cum substantia.

Quibus attente consideratis, en quomodo concipi possit essentia una in tribus personis. Ex revelatione sunt in Deo Pater, Filius, Spiritus S. tanquam subsistentes distincti seu personæ, et hi tres una eademque essentia divina, unus Deus. Porro nomina divinarum personarum sunt relativa, et *proprietates personales* videlicet paternitas, filatio et processio, consistunt in relationibus originis mutuis, unde vere dantur in Deo *relationes*, imo per ipsas constituitur distinctio personarum. Nunc autem, quoniam relatio potest realiter identificari cum substantia, cogito in Deo, in quo nullum est accidens, tres relationes divinas subsistentes. Cogito ex. g. Paternitatem veluti ut *quod* refertur ad terminum Filium et ad quod refertur Filiatio. Sed possumne concipere tres divinos subsistentes in eadem numero essentia, quin inde sequatur pluralitas essentiarum, vel compositio aliqua in Deo, aut imperfectio quælibet in personis divinis? Utique, quia sunt relativi. Etenim relationes, dum (quatenus relationes, seu *ad aliud*) constituunt Trinitatem et ideo ad invicem realiter distinguuntur, suam realitatem et perfectionem desumunt ex solo titulo identitatis cum substantia, nimirum ex nota *in*, quæ nota in Deo *necessario* identificatur cum substantia. Igitur ex ea parte, qua habetur perfectio et realitas, omnia sunt unum et idem. Ac consequenter nulla ibi imperfectio, nulla compositio, precise quia *esse ad* relationis, ex quo exurgit diversitas personarum, ut condivisum ab essentia, non dicit realitatem aliquam, non importat defectum perfectionis in relatione opposita, neque componit cum essentia ipsa. Iam igitur ex nunc apparet unde repetenda sit vera solutio obiectionum, quæ omnes, cum unice proveniant a nostro præsenti modo cognoscendi SS. Trinitatem, vere et sufficienter solutæ manent, si nos Mysterium exhibemus sub talibus conceptibus, qui et respondeant enti reali quod est *relatio* et nullam involvant repugnantiam.

III. *De erroribus circa Trinitatem.*

126. Ex duplici capite istud dogma hæretici oppugnarunt, prouti vel *personarum distinctionem* vel *unitatem naturæ* negavere.

1. Ad primam classem spectant in primis qui tres Personas penitus negarunt uti Theodotus, Carpocrates, Photinus, et recenti tempore Sociniani. Accedunt qui Trinitatem tantum nominalem admiserunt. Inter hos Sabelliani, qui et Patripassiani dicti sunt, docuerunt unam esse personam in Deo, sed diversis nominibus Patris, Filii et Spiritus Sancti designandam, pro diversitate temporis et operationis. In hunc errorem plures, etiam ex protestantibus inciderunt, qui pro tribus personis tres

meros divinitatis modos intellexerunt, unde Modalistæ dicti sunt (1). Hæreticis, qui errarunt relate ad personas divinas, etiam accensendi sunt Ariani, qui Filium et Spiritum Sanctum creaturas esse asseruerunt, Macedoniani qui pariter divinitatem Spiritus Sancti negarunt, unde Pneumatomachi nuncupati sunt. Græci schismatici negant processionem Spiritus Sancti etiam a Filio.

2. Ad alteram classem spectant Tritheitæ, quorum signifer iam a sec. VI fuit Ioannes Philoponus. Hi admittebant unam naturam deitatis quasi *specie* communem ac consubstantialem tribus personis, tres vero in illis numero distinctas substantias. Id quod fere renovavit sec. XII abbas Ioachim statuens, tres personas sola collectione esse Deum unum, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus. In eundem errorem inciderunt, seculo XVII et XVIII quidam obscurioris nominis theologi et nostris quoque diebus Antonius Günther († 1863), qui aperte docuit, in Deo tres esse substantias identicas, quæ formaliter uniuntur ex eo, quod per conscientiam sui singulæ ad invecem referantur (2).

CAPUT II.

DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

127. Veritas huius augustissimi mysterii in coniunctione consistit duplicis capitis, videlicet *tres* realiter distingui personas in *una* essentia. Utrumque simul ex fontibus fidei demonstrabimus, idque pro rei amplitudine distinctis thesibus, ex doctrina Scripturarum generatim inspecta, ex specialibus Novi Fœderis testimoniis, demum ex divinis Traditionibus. Rationi vero partes nullas aut fere nullas concedi posse in demonstratione huius summæ veritatis, statuemus apposita propositione. Hinc theses quatuor.

---

(1) Protestantes qui dicunt Christum non esse Deum et Spiritum S. non esse personam divinam, sed solum virtutem aut operationem Dei, hodie vocantur Unitarii, quia in natura divinam *unam* personam ponunt.

(2) Libros Güntherii damnavit Pius IX, qui et expresse declaravit in iis contineri errores contra doctrinam de SS. Trinitate. *Epist. ad Card. De Geissel Archiep. Colon.* 17 Iunii 1857. Günther laudabiliter se subiecit.

Thesis XIX. — *Veritas mysterii SS. Trinitatis probatur ex complexu doctrinæ Scripturarum, ea simul conferendo, quæ modo unitatem modo distinctionem in Deo arguunt.*

128. ***Declaratio.*** — Quæ hic proponitur ex sacris literis probatio SS. Trinitatis desumitur non ex aliquo speciali testimonio, sed ex complexu doctrinæ, quæ in Scripturis continetur de unitate et distinctione in Deo. Consistit autem in eo, quod simul conferantur tum quæ passim prædicantur de Deo uno, tum quæ itidem sæpius dicuntur de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, quod nimirum sunt tres ad invicem distincti, et quilibet eorum est verus Deus. Exinde enim pronum erit concludere, hos tres distinctos esse unum Deum, seu tres esse personas in una divina natura.

129. ***Demonstratio.*** — Argumentum sic procedit: Ex Sacris Scripturis Deus est unus omnino, unitate singularitatis seu numerica. Atqui pariter ex Scripturis sunt tres in Deo realiter distincti Pater, Filius, Spiritus Sanctus, et horum quilibet est verus Deus. Ergo ex Scripturis simul collatis tres realiter distincti, Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt unus Deus. At ulterius, hi tres distincti rite dicuntur *hypostases* et *personæ*, sicut *essentia* et *natura* dici debet illud commune, quo tres constituuntur unus Deus. Igitur ex Scripturis simul collatis Deus est unus in natura et trinus in personis.

Ut ratio huius conclusionis plene appareat, demonstrentur oportet tres propositiones: *maior* totius argumenti (Deus est unus) et utraque *minor* prioris syllogismi (tres distincti et quisque eorum Deus) et alterius (tres distincti *personæ* dicuntur, id, quo unus sunt Deus, *natura*).

1ª ***prop. — Deus unus est.***

Hæc propositio abunde constat ex Tractatu *de Deo Uno*. Revelatio enim Veteris et Novi Testamenti habet unitatem Dei velut primum articulum et principale fundamentum, eamque sæpissime et omnibus dicendi formulis inculcat, non solum ad excludendos deos gentilium fictitios, sed etiam absolute ad excludendum deorum numerum. In legislatione mosaica primus articulus est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est...* et eum Christus confirmat ut *primum mandatum*, ac probat paraphrasim ab illo scriba interlocutore propositam: *Quia unus*

est Deus et non est alius præter eum (1). In re manifestissima alia testimonia innumera omitti possunt.

2ª ***prop. — Pater, Filius, Spiritus S. tres distincti et quisque eorum Deus.***

Demonstratur generali quadam consideratione in constantem Christi et Apostolorum doctrinam. Sæpissime enim, sive per incidens, sive data opera, Christus vel Apostoli de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto ita loquuntur, ut horum quilibet exhibeatur tanquam plane *distinctus* ab *aliis*, isque ut *verus Deus*. Id videamus singillatim.

In primis de *Patre* sæpissime et singulari modo sermo est *a)* ut de Eo, qui tum a Filio, tum a Spiritu Sancto *realiter distinguitur*. Etenim Pater, ipsius nominis oppositione, distinguitur a Filio, eumque expresse Christus Dominus a se, ut Filio, distinguit, cum ait: *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius* (Io. v, 17); *Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem* (Io, xvi, 28). Ita et a Spiritu Sancto Pater distinguitur, cum ille dicitur *Spiritus Patris, a Patre procedere, a Patre mitti* (Matth. x, 20; Io. v, 17; Gal. iv, 6). — Deinde *b)* Patrem exhiberi ut *Deum*, nanquam ipsi hæretici denegare ausi sunt, quippe evidentissima habentur ad rem testimonia, uti illud Christi Domini: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (Matth. xi, 25), et illud: *Pater meus... Deus vester est* (Io. viii, 54).

Item de *Filio* loquentes sacræ literæ eum *vere Filium* exhibent Dei Patris et hoc ipso vere *distinguunt* a Patre simulque vere *Deum* prædicant, sicut Deus est Pater. Et revera *a)* Is dicitur *Filius Dei* simpliciter et singulari modo *Filius dilectus*, *Filius unigenitus Dei*, *unigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris*, *proprius Dei Filius*, et *Filius* eo sensu, quo nullus Angelorum potest Filius appellari (2). Iam hoc ipso quod est Filius Patris, est *b) alius a Patre*, seu ab Eo realiter distinguitur tanquam alius ab alio, sicuti et diserte enuntiatur innumeris locis: *Ego et Pater... sumus; Pater in me et ego in Patre; solus non sum, sed ego et qui misit me Pater; qui diligit me, diligetur*

(1) Marc. XII, 29-34.

(2) Passim uti e. g. Matth. III, 17. = Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Io. I, 18. = Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit. Io. III, 16; Rom. VIII, 32: Hebr. I, 5. = Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?

a Patre meo (1). — At quia est Filius Dei *Patris* proprio sensu, ideo etiam est *c) Deus*, sicuti Deus est Pater. Hinc divinitate Pater et Filius simpliciter *unum* sunt: *Ego et Pater unum sumus* (Io. x. 30). Item una operatio: *quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter* (ὁμοίως) *facit* (Io. v, 17-21). Unum nomen et attributa eadem; quæ enim in Veteri Testamento dicta sunt de uno Deo Israelis Iehovah, qui stat in æternum et terram fundavit: *Sedes tua, Deus, in seculum seculi; Initio tu, Domine, terram fundasti* (Ps. XLIV, CI); hæc Apostolus docet dicta esse de Filio Dei (Hebr. I, 8, 10). Quare sicuti Patris, ita et Filii natura divina est: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (Phil. II, 6). Unde et ipsi Filio idem cultus debetur, sicuti et Deo Patri: *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (Io. v, 23).

Demum etiam *Spiritus Sanctus* in Scripturis exhibetur ut realiter *distinctus* a Patre et Filio, pariterque ut *verus Deus*. Utrumque ipse Christus declaravit in ultima cœna, cum Apostolis promisit missionem Spiritus Sancti (2). In eo sermone *a*) manifeste Spiritus Paraclitus *distinguitur* a Patre, dum dicitur a Patre mitti, a Patre procedere, a Patre dari; pariter et a Filio secernitur, dum exhibetur tanquam Paraclitus *alius* a Filio et ab ipso Filio *mittendus*. Item *b*) *divinitas* Spiritus Sancti, eâdem Iesu Christi oratione, satis exprimitur per ipsa nomina vere divina *Spiritus Sancti, Spiritus veritatis, Spiritus Patris*, et evidentius per attributiones et operationes divinas, quæ eidem Spiritui adscribuntur *docendi omnem veritatem, annuntiandi quæ*

---

(1) Sæpe uti e. g. Io. VIII, X, XIV, XVII.

(2) « Ego, *ait Christus Dominus*, sum via, veritas et vita: et nemo venit ad Patrem nisi per me.... Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam... Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis... Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis; ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis ». Io. XIV, XV, XVI.

ventura sunt, et demum per æqualitatem dignitatis et potestatis cum Filio Dei, dum dicitur alius Paraclitus, sicuti Paraclitus est Christus Dominus, et qui cum Apostolis manens in æternum vices ipsius Christi plane explebit.

Hæc autem omnino conferenda sunt cum iis, quæ alibi sæpissime occurrunt, ubi pariter et fortasse clarius Spiritui Sancto adscribuntur nomen, attributa et operationes propriæ Dei. *Nomen* divinum quidem est, ubi appellatur *Spiritus Dei*, ita *Dei*, sicuti dici debet Spiritus proprius hominis spiritus intelligens, qui in ipso est (1); et ubi, quæ dicitur *Vox Domini* in Veteri Testamento, eadem vocatur in Novo *locutio* Spiritus Sancti (2); itemque ubi Petrus ait, mentiri Spiritui Sancto esse mentiri *Deo* (3). Pariter est *attributum* vere divinum tum *Omniscientia*, qua *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei* (4), tum ea *finis ultimi* perfectio, qua Spiritus Is est, *in quem desiderant Angeli prospicere* (5). Demum *operationes* divinæ multiplices Spiritui Sancto referuntur, ubi sicuti Patri aut Filio aut uni Deo generatim, ita etiam nominatim Spiritui Sancto attribuitur *revelatio divina* (6), hominum *renascientia* et *regeneratio* ad vitam gratiæ (7), *remissio peccatorum* (8), *sanctificatio* et *iustificatio* (9), *inhabitatio* in iustis tanquam in templo sibi consecrato (10), *constitutio* ac *missio* ministrorum Dei (11), imo et ipsius *Iesu Christi* in humanitate *unctio, sanctificatio, missio* (12), demum *distributio omnium gratiarum* in omnibus (13). Quæ porro omnia invictissime probant, Spiritum Sanctum esse Deum.

Manifestum est igitur, quod in prima propositione minore præstituti argumenti asseritur, videlicet ex Scripturis tres realiter in Deo distingui et quemlibet eorum verum esse Deum. Cum vero simul integrum consistere debeat totius revelationis dogma fundamentale de unitate absoluta Dei; tum inde concludendum fuit, tres distinctos Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse unum Deum.

---

(1) Cor. II, 10-12.
(2) Is. VI, 8, 9, coll. ad Act. XXVIII, 25, 26.
(3) Act. V, 3, 4, 9.
(4) I Cor. II, 10-12.
(5) I Petr. 1, 12.
(6) I Cor. II, 10-12.
(7) Io. III, 5.
(8) Io. XX, 22.
(9) I Cor. VI, 11.
(10) I Cor. VI, 19.
(11) Act. XIII, 4; XX, 28.
(12) Luc. IV, 18 et seq.
(13) I Cor. XII, 4 et seq.

3ª. ***prop. — Tres distincti rite personae dicuntur; id quo unus sunt Deus, natura.***

In ipsa creaturarum consideratione hypostasis non est aliud, quam *substantia tota in se subsistens*, quæ, si *ratione polleat*, etiam persona dicitur. Atqui secundum hanc analogiam etiam in Deo quilibet trium, sive Pater, sive Filius, sive Spiritus, est *substantia* eaque *summe intellectualis;* quisque etiam est Deus prima omnium et absoluta substantia ipsaque omnis veri intellectio substantialis, et simul quisque est *totus in se,* quippe ab aliis ita omnino distinguitur, ut Pater, qua Pater, non sit Filius aut Spiritus Sanctus, et Spiritus Sanctus, qua talis, non sit Pater aut Filius. Ergo tres distincti in Deo, apte ad analogiam creatorum, dicuntur tres hypostases et personæ (1).

Contra etiam in creatis omnes docti et indocti, rem illam seu entitatem, qua essentialiter aliqui distincti constituuntur in sua specie, et quæ eadem est communis individuis omnibus et singulis illius speciei, dicunt esse *essentiam,* seu (quatenus essentia est principium operationis) *naturam.* Ita ergo analogice in Deo illa res, qua tres personæ Pater, Filius, Spiritus constituuntur in sua divinitate, et quæ est communis imo una eademque numero ipsis singulis, qui soli conveniunt in eadem divinitate, ea res apte dicitur essentia seu natura.

Alio modo. — In creatis si de pluribus inter se distinctis, qui in eadem specie conveniunt, si e. g. de pluribus hominibus quæratur *quid sint:* in responsione continetur eorum *essentia* seu *natura.* Si vero quæratur *qui sint,* in responsione indicantur *hypostases,* seu *personæ,* quæ invicem distinguuntur. Iam si analogice de tribus, qui in Deo distinguuntur, quæratur *quid sint,* respondendum est esse *unum Deum:* hic itaque habetur eorum

---

(1) Placet audire quomodo Sylv. Maurus demonstret, tres esse in Deo hypostases et personas. « Suppositum, sive hypostasis, describi potest: *ens primo per se subsistens ita, ut non sit in alio tanquam in subiecto vel in toto digniore, habens naturam completam, non prædicabile de pluribus, indistinctum in se seu per se unum, et aliqua proprietate distinctum a quolibet alio subsistente etiam eiusdem naturæ.* Sed in Deo dantur tres per se subsistentes etc. nimirum Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ergo etc. » Probat deinde, hæc tria divina supposita esse itidem tres personas hoc modo. « Persona nihil aliud est, quam suppositum habens naturam rationalem completam, ideoque definitur a Boëtio: *rationalis naturæ individua substantia*... Sed tria supposita divina habent hanc summam dignitatem, ut subsistant in natura divina, quæ est maxime rationalis. Ergo etc. » *Opusc. theol.* De personis div., l. II, q. 99, n. 10, 11.

essentia seu natura; si vero quæratur *qui sint*, respondetur esse alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum: hi ergo sunt tres distintæ hypostases seu personæ.

Professio igitur christiana, qua credimus unam naturam et tres personas divinas, sive Deum unum in natura et trinum in personis, nihil aliud exhibet, et quidem aptissime, quam quod in ipsa doctrina Scripturarum continetur, licet in Scripturis vocabula *persona* et *trinitas* materialiter non occurrant.

SCHOLION.

De doctrina SS. Trinitatis in Veteri Testamento.

130. Ad complendam generalem considerationem doctrinæ Scripturarum de SS. Trinitate quæritur, utrum distinctio trium personarum in una divina natura etiam in Veteri Testamento indicetur.

Respondemus, in Veteri Testamento distinctionem hanc non fuisse sufficienter propositam, ut ad communem fidem pertineret; attamen certe fuisse modo clarius expressam, modo obscurius adumbratam, idque multipliciter. Id porro nefas est negare cuique christiano, postquam ipse Christus et Apostoli et deinceps catholicus intellectus et plenissimus Patrum consensus hanc doctrinam in Veteri Testamento semper agnoverunt; idque apparet ex ipsis inspectis pluribus locis Veteris Testamenti, qui saltem post manifestam mysterii revelationem alio sensu intelligi nequeunt. Revera ad distinctionem personarum innuendam pertinet:

a) ***Modus quo Deus loquitur de suis operationibus ad extra,*** exprimendo scilicet connumerationem plurium, qui sunt unus Deus, uti est in illo (I Gen. 1, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam* (1) et in illo (ib. III. 22): *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.*

(1) De hoc textu nota: 1.° In ipso textu hebraico verbum *faciamus* et pronomen *nostram* formam pluralem habent. 2.° Nec ea revocari potest ad *pluralem maiestaticum*, quod in tota biblia nullum habet exemplum, uti scite advertit doctissimus Franzelin. 3.° Nec ea verba accipi possunt veluti collocutio Dei cum Angelis, qui cum Eo connumerari non poterant in eadem creatrice operatione et in eadem causæ exemplaris dignitate. 4.° In propositam interpretationem plurium in ipso Deo consentiunt omnino SS. Patres, inter quos citari possunt Tertullianus, Theophilus antiochenus, Patres synodi antiochenæ ad Paulum Samosatenum, Basilius, Epiphanius, Cyrillus hier. et alex., Athanasius, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus (*Conf.*, lib. XIII, 22), Petrus Chrisologus, Fulgentius, Thomas (I, 91, 4 ad 2) aliique. Cfr. Petavius, l. II, c. 7, n. 4.

b) ***Theophaniae seu Dei apparitiones,*** in quibus ille, qui apparet e. g. formâ humanâ, flammâ ignis, vel voce sensibili, exhibetur ut *missus* a Deo, ut *angelus* seu *legatus* Dei, simul vero ipse, qui ita apparet ut *missus* a vero Deo, revelatur tum nomine tum descriptione ut *verus Deus*. Alius igitur est *mittens* et alius est *missus*, ambo tamen *verus Deus,* adeoque *unus Deus*. Ita qui Moysi apparuit in rubo ardente dicitur in textu hebraico *angelus Domini*, seu a Domino missus, idemque se definit: *Ego sum qui sum.... Deus Patrum vestrorum* (Exod. III). Item in Mambre Abrahæ *apparuit Dominus* (Iehovah), apparuerunt ei *tres viri*, et dicit Dominus patriarchæ *se descensurum esse*, ut videret iniquitatem Sodomæ. Abiitque Dominus postquam cessavit loqui ad Abraham. Venerunt autem *duo Angeli* Sodomam vespere et *Dominus* pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem *a Domino* de cœlo (Gen. c. XVIII et XIX). Porro in hac enarratione indicari distinctionem personarum in uno Deo docet S. AUGUSTINUS, videlicet per *tres viros* insinuari Trinitatem personarum, per Dominum *descensurum* exprimi Patrem; Filium autem et Spiritum Sanctum congruentius intelligi per duos, qui *angeli* seu *missi* dicuntur, tres autem simul esse *unum Dominum* (Iehovah), qui apparuit Abrahæ in Mambre (1).

c) ***Prophetiae*** de futuro Messia, in quibus Messias tum *mittendus* a Deo, tum *ipse Deus* exhibetur, vel imo diserte distinguitur tanquam Dominus a Domino, et tanquam verus Filius a Deo Patre, tanquam Deus, qui ungitur a Deo suo. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis... ex utero ante luciferum genui te* (Ps. CIX). *Sedes tua, Deus, in seculum seculi... propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (Ps. XLIV). Et clarius in Ecclesiastico: *Invocavi Dominum Patrem Domini mei* (LI, 14).

d) ***Descriptiones Sapientiae genitae*** faciunt ad distinctionem Patris et verbi uti exhibentur in libris Proverbiorum (c. VIII), Ecclesiastici (XXIV) et Sapientiæ (VII et seq.); ubi scilicet Sapientia æterna creatrix, omnipotens, omniscia, quæ ergo sine dubio Deus est, vel dicitur ea, quæ possidetur a Domino et concepta iam erat ante abyssos et parturiebatur ante colles et quæ ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam; vel describitur ut vapor virtutis Dei et emanatio quædam sincera claritatis omnipotentis Dei, candor lucis æternæ, speculum Dei maiestatis, imago bonitatis illius.

Supposita autem hac distinctione Patris et Verbi, vel aliqua in confuso distinctione divinarum personarum, etiam personalis distinctio Spiritus Sancti, licet non ita clare indicata, intelligi tamen potest in iis præsertim locis, ubi aliqua est trium connumeratio, uti e. g. in serafico

(1) AUG., *De trinit.*, l. II, n. 20, 22.

trisagio (Is. VI, 3). In illo psalmi: Verbo Domini *cœli firmati sunt et* Spiritu *oris eius omnis virtus eorum* (Ps. XXXII), mysterium innui SS. Trinitatis, licet ex contextu haud certo constet, tamen plures Patres affirmant, eisque scholæ principes S. THOMAS et S. BONAVENTURA consentiunt (1).

Thesis XX. — *Veritas SS. Trinitatis demonstratur speciatim ex formula baptismi* (Matth. XXVIII) *et textu Joannis* (I. Epist. V, 7) *de tribus testimonium dantibus in cœlo.*

131. ***Declaratio.*** — Plura sunt testimonia in Novo Testamento, quæ etiam singillatim considerata, distinctionem personarum simulque unitatem naturæ demonstrant. Sed duo sunt classica, ad quæ cetera conferri possunt. Videlicet aliud est in formula baptismi: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* (εἰς τὸ ὄνομα) *Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. XXVIII, 19); aliud continetur loco illo vulgatissimo (I. Jo. V, 7): *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt.* Jam dicimus, duobus hisce testimoniis invictissime demonstrari trium personarum realem distinctionem simulque earum divinæ essentiæ unitatem (2).

132. ***Demonstratur I.*** *Ex formula baptismi apud Matthæum.* Quatuor inde demonstrantur, scilicet:

1.° Tres plane *distingui:* Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. Id apparet *a)* ex ipsis oppositis nominibus, quæ *Patris* et *Filii*

(1) S. THOMAS, *Sum. th.*, I, 34, 3, et expressius S. BONAVENTURA, *Quæst. disp. de myst. Tr.*, q. I in vol. V, op. edit. 1891, p. 55. Ibi Doctor Seraphicus docet mysterium divinæ Trinitatis in Veteri Testamento *implicite* testificari, idque tam *in figuris* quam *in verbis*. « Inter *figuras* autem illa fuit authentica maxime, quæ fuit ostensa *Patri fidei nostræ Abraham;* de quo dicitur Genesis XVIII, quod tribus viris sibi apparentibus, tres quidem vidit, sed unum adoravit, unde tribus loquebatur, sicut uni, in hoc intelligens in se et insinuans aliis mysterium Trinitatis. In *verbis* autem illud videtur maxime efficax ad testificandum, quod dixit David eximius prophetarum in psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, ubi simul insinuatur trinitas personarum, ita quod duæ personæ *explicite* in nomine *Spiritus* et *Verbi* et una *implicite* in nomine *Domini* ».

(2) Textus Ioannis absque dubio authenticus est, eo sensu quod validum argumentum dogmaticum suppeditat, siquidem, cum iam inde a multis seculis in Vulgatam et in Liturgiam receptus sit, non potest falsam doctrinam continere. Semper illicitum fuit eius authentiam *dogmaticam* negare aut in dubium vocare, tum ante tum post decretum, de quo infra.

indicant reciprocam relationem seu originem unius ab altero. Idem confirmatur *b)* ex ipsa connumeratione, interposito articulo: Patris *et* Filii. Unde *c)* etiam *Spiritus Sanctus*, qui eâdem omnino continuatione tanquam tertius connumeratur, debet itidem esse a Patre et Filio distinctus.

2.° Hos tres esse vere *divinos* ita, ut quisque sit Deus, apparet ex inspecta significatione eorumdem *Nominis*, in quo gentes dicuntur baptizandæ.

Nam *a)* illud nomen est certe nomen ipsius Dei, quippe est nomen *Patris*, qui sine controversia est Deus. Nomen autem Dei in solemnibus præsertim formulis S. Scripturæ ponitur pro ipso *Numine* divino, sive hoc sit virtus aut maiestas divina (1). Et revera *b)* illud nomen hic exprimit *virtutem divinam;* quia baptizare aliquem est mundare eum a peccatis, et baptizare eundem in nomine alicuius est eum a peccatis mundare in virtute ipsius. Virtus autem remissiva peccatorum est solius Dei. Insuper *c)* illud nomen simul indicat *maiestatem divinam:* quia homines baptizari in nomine illorum trium etiam indicat, eos consecrari seu addici in ius et potestatem ipsorum: sicuti obligare rem aliquam in nomine legis indicat, eam addicere iuri et potestati legis ipsius. Homines autem consecrari et devoveri merito non possunt, nisi in ius et potestatem maiestatis divinæ.

Ergo illud *in Nomine*, quod habetur in formula baptismi, perinde est ac in *Numine,* in *Virtute,* in *Maiestate* divina, proindeque tres et quisque trium pollent Numine, Virtute, Maiestate divina.

3.° Exinde apparet, hos tres esse divinos *una divinitate.* Primo quidem *a)* ex eo ipso, quod illi tres sunt verus Deus; quia cum verus Deus necessario sit unus unitate singularitatis, iam tres illi distincti sunt divinitate unum. Deinde *b)* ex ipsa *unitate nominis* in formula baptismi. Gentes enim dicuntur baptizandæ non in nominibus sed in nomine, quod unum idemque est tribus. Atqui ex dictis nomen est ipsa virtus et maiestas divina. Ergo hac nominis unitate iam continetur una eademque virtus divina, una eademque divina maiestas seu, quod idem est, una eademque divinitas communis et identificata tribus.

4.° Hos tres in Deo realiter distinctos rite dici *tres personas in una divina natura*, apparet ex iam explicata personæ et naturæ

---

(1) *Protegat te nomen* (virtus) *Dei Iacob* (Ps. XIX); *Ædificavi domum nomini* (maiestati) *Domini Dei Israël* (III Reg. VIII).

notione. Ex dictis persona non est nisi substantia intellectualis in se tota, i. e. incommunicabilis. Atqui trium, qui in formula baptismi invocantur, quisque est *substantia intellectualis* eo ipso, quod est Deus, summa quidem substantia et summa omnis veri intellectio; itemque quisque est *in se totus* eo ipso, quod ab utroque alio realiter distinguitur per oppositionem relativam. Ergo sunt *tres personæ.* Et quidem *in una divina natura;* quia uti vidimus, tres sunt simul una divinitate Deus; divinitas autem prouti communicata tribus distinctis, quamvis per identificationem, ex iam explicato dicendi usu, apte vocari debet *essentia* seu *natura.*

Patres. — Porro ex formula hac baptismi etiam Patres doctrinam Trinitatis deducere et explicare solent, inter quos ita concise S. Ambrosius: *Tres personas quidem significavit; sed unum Trinitatis nomen asseruit. Unus itaque Deus, unum nomen, una divinitas, una maiestas* (De Instit. Virg. c. x).

Demonstratur II. *Ex testimonio Ioannis.*

Scopus Apostoli, sicut in Evangelio suo, ita et in hac epistola et nominatim in hoc postremo epistolæ capite erat, ut contra Gnosticos doceret, quoniam *Iesus est Filius Dei* (1). Ut vero hanc divinam Christi filiationem probaret, provocat ad testimonium de cœlo Patris, Verbi et Spiritus Sancti: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.*

Iam age, hisce continetur et distinctio personarum et earum unitas in essentia. *Distinctio* quidem *a)* docetur tum ipsis nominibus, relationem ad invicem oppositam significantibus, tum ipsa connumeratione in numero plurali: sed et *b)* diserte enuntiatur per particulam *tres sunt*, scilicet: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus sunt *tres* testantes. Sunt igitur tres realiter distincti et per se subsistentes, et cum ex ipso nomine *Verbum* et *Spiritus Sanctus* demonstrentur esse naturæ intellectualis, tum hi sunt personæ, sicuti est Pater.

Verum etiam *unitas* naturæ *a)* continetur in ipsa Verbi et Spiritus Sancti connumeratione cum Deo Patre. Tres enim personæ, quia simul connumerantur ita simpliciter, hoc ipso proponuntur tanquam eiusdem dignitatis ita, ut Filius et Spiritus sint Deus, sicut sine controversia est Deus Pater, proindeque

(1) I. Ep. v. 4.

simul sint unus Deus. Sed hæc unitas *b*) explicita quoque edicitur declaratione: ***Hi tres unum sunt.*** Quod si una eademque non esset in Patre essentia ac est in Verbo et Spiritu Sancto, hi duo infinito intervallo distarent a Patre, nec proinde de tribus simpliciter et sine addito dici posset: ***Hi tres unum sunt,*** quemadmodum e. g. de Deo et duobus Angelis dici nequit, nisi fortasse locutione valde impropria: ***Et hi tres unum sunt.*** « Numquam autem invenitur, ait S. Thomas, quod Deus et creatura sint unum, sine aliquo addito (1).

Hinc intelligitur testimonium, quod tres in cœlo exhibent de divinitate Christi, non modo esse illud ***formale***, quod multipliciter in evangelio tum dedit Pater de Filio suo, tum dederunt ipse Filius et Spiritus Sanctus, et ad quod frequenter a Filio appellatum fuit; verum etiam esse testimonium ***reale***. Videlicet, tres in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, ***quia unum sunt,*** se ipsis dant testimonium reale pro vera filiatione divina Verbi incarnati, quod est Iesus Christus (2).

SCHOLION.

De quæstione tum critica tum hermeneutica in textum Ioannis (I Ep. v. 7, 8).

133. In textum hunc Ioannis duplex quæstio moveri solet, altera critica in versiculum 7, *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum et Spiritus S.: et hi tres unum sunt*, utrum genuinus sit, altera hermeneutica in versiculum insequentem, quinam sit sensus verborum illorum: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt* (Ib. v, 8).

1. Quoad primam quæstionem tria adnotamus. Primum est, quod iuxta ipsa principia catholica, ***versiculus ille genuinus censeri debet.*** Et revera: si Ecclesia aliquem textum, vel solemni decreto vel sufficienti consensu, tanquam partem Scripturæ sacræ ac proinde tanquam

---

(1) In Io. X. lect. V.

(2) Ad duo hæc testimonia provocat etiam S. Bonaventura, qui de illo Ioannis dicit, quod inter multa verba Trinitatem testantia « illud unicum est expressum, quod scripsit amicus sponsi primæ Ioannis quinto: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.* Hoc autem testimonium est adeo efficax et expressum, quod non solum prædictum verum facit credibile, id est *congruum* credi, verum etiam *debitum*, dum astringit nos et arciat ad illud credendum ». *Quæst. disp. de myst. Tr.*, l. c.

verbum Dei scriptum declarat: iam ille textus genuinus censeri debet et continens verbum Dei. Hoc est enim principium iuris, de quo dubitare nemini catholico fas est. Atqui definitio et doctrina Ecclesiæ, qua suscipit ac proponit tanquam sacros et canonicos omnes libros eosque *integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur* (Conc. Trid. et Vatic.), comprehendit etiam illum Ioannis versiculum, de quo agitur. Ergo, iuxta præstitutum catholicum principium, ille versiculus genuinus censeri debet.

Quæ sane conclusio firma permanet, si constet *veritas facti,* quæ in minore propositione asseritur. Hæc autem veritas, non tam historicis documentis, quam rite intellecto sensu tridentini decreti, theologice statui debet. Iamvero sensus tridentini decreti, tum ex scopo quem ipsi Patres declarant sibi præstituisse, tum ex scopo polemico adversus hæreticos, is erat ut declararentur canonicæ non solum partes longiores, sed potius *partes omnes,* prout in veteri vulgata editione habebantur, *quæ dogma aliquod vel morum regulam per se directe enuntiant.* Atqui omnes concedere debent locum, de quo quæritur, e septem saltem seculis usque ad Concilium Tridentinum, constituisse partem epistolæ canonicæ, prout in Ecclesia Catholica legi consueverat et in vulgata latina editione habebatur: simul vero evidens est, eundem locum versari in re eminenter dogmatica. Ergo versiculus, de quo agitur, vere comprehenditur in decreto tridentino de partibus canonicis librorum et de authentia Vulgatæ (1).

Alterum in hac quæstione critica notandum directe spectat ad eam solvendam non dogmatice sed *historice.* Videlicet, suppetunt monumenta plurima, quæ *immemorabilem* lectionis *antiquitatem* demonstrant. In Ecclesiis Africæ, iam inde a prioribus seculis, hunc textum receptum fuisse abunde constat ex testimoniis Fulgentii, Cypriani, Tertulliani et aliorum, qui ad illum textum Ioannis provocant, nec non ex pluribus aliis documentis. Inde iam concludendum foret in toto occidente eandem lectionem viguisse; sed id etiam directe ostenditur testimoniis desumptis ex reliquis Ecclesiis Hispaniæ, Galliæ et Italiæ.

Illud demum est advertendum quod *documenta contraria,* quæ obiiciuntur, *interpolationem non demostrant*; quamvis ex illis pateat, omissionem textus in transcriptione codicum iam antiquitus plus minusve late propagatam fuisse (2).

---

(1) Attamen plures theologi hodierni (Cornely, Pesch aliique) asserunt nihil de hac re decisum fuisse a Tridentino, quia Concilium de illis partibus agebat quæ a Protestantibus tunc reiiciebantur; noluit definire textus dubios inter catholicos. Quibus alii econtra opponunt hunc versiculum revera dubium non esse, sed inde a sec. IX communiter receptum.

(2) Hanc criticam quæstionem latissime versat cl. Franzelin, th. IV, et cl. R. Cornely, *Introd.* III n. 231. Nunc adest responsum S. C. S. Officii, die 13 Ian.

2. Quæstionem alteram, de sensu versiculi 8, alii aliter solvunt. Interpretatio plurium est, quod Ioannes pro scopo haberet duplicem veritatem demostrare, tum Iesum esse Filium Dei, tum vero hominem: ad primam veritatem spectaret testimonium trium de cœlo, ad alteram pertineret testimonium trium in terra. Referunt vero spiritum, aquam et sanguinem ad tria, quæ novimus de corpore Domini exiisse in cruce: « *Inclinato capite tradidit spiritum... continuo exivit sanguis et aqua* (1). Porro hæc tria *in unum* (2) testimonium conspirant, quod Christus erat verus homo, et ipsâ unione substantiali corporis et animæ unam in Christo constituebant humanam naturam. Hæc interpretatio innititur auctoritate præsertim Innocentii III et S. Thomæ.

Alia interpretatione porro probabili poni potest, objectum demonstrandum esse illud unum, quod Ioannes exprimit (*v.* 5), scilicet Christum esse Deum. Deinde Spiritus explicatur esse *donum* et *effectus* Spiritus Sancti in Apostolis et generatim in *magisterio* Ecclesiæ infallibiliter testans, quod Christus est Deus; aqua vero esse *baptisma*, quod invocatione Trinitatis et efficaciâ sanctificationis testificatur divinitatem Institutoris; sanguis demum esse *calix sanguinis* Christi, qui divinitatem Christi testatur eo ipso, quod virtute verborum Christi mystice in altari effunditur et quidem in remissionem peccatorum. Hæc autem tria conveniunt in unum testimonium, et ipsa sunt unum, seu una virtus Dei, qua supernaturaliter constant, operantur, testantur. Hæc sane interpretatio plene respondet contextui antecedenti, in quo eodem fere sensu sermo est de aqua, sanguine et spiritu (*v.* 6), simulque respondet subsequentibus, ubi redit mentio tum de testimonio Dei, qui testificatus est de Filio suo, tum de testimonio illi connexo, quod consistit in fide et in vita æterna. Fides enim est donum Spiritus docentis Ecclesiam, vita æterna Baptismo acquiritur et Eucharistia conservatur. Adest insuper in hisce tribus facilis repræsentatio SS. Trinitatis, prouti videtur exigi ex nexu utriusque versiculi (3).

1897. Proposito dubio, utrum tuto negari aut saltem in dubium revocari possit, esse authenticum citatum textum Ioannis, S. Cong. respondendum mandavit: *Negative.* Circa vim huius decreti disputatur; non desunt, inter supra citatos theologos, qui, debita reverentia illud accipientes, censeant per ipsum quæstionem *criticam* definitam non esse.

(1) Io. XIX, 30, 34.

(2) In græcis editionibus v. 8 legitur εἰς το ἓν εἰσι *in unum sunt;* dum contra v. 7 ἓν εἰσι *unum sunt.*

(3) Fides, principium omnis vitæ supernaturalis, exprimit Patrem; regeneratio ex aqua baptismi exprimit filiationem divinam Iesu Christi; divina caritas sanguine sacrificii profusa ad Spiritum amoris nos revocat. Fides, spes et caritas tria sunt, quæ spectant ad unam supernaturalem vitam et ab uno Deo donantur.

In hanc interpretationem reduci possunt aliæ explicationes, quæ passim feruntur a Patribus (1).

Difficultas 1.ª — S. Paulus in I *Cor.* VIII, 5 habet: « Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cœlo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi) nobis tamen *unus est Deus, Pater*, ex quo omnia ». — R. Apostolus antithesim instituit inter deos ethnicorum et Deum Christianorum; ideoque hunc unum affirmat, non tamen alias, a Patre, personas excludit a consortio divinæ naturæ, addit enim: « et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia », scilicet Christum dicit dominum et creatorem, seu fontem, simul cum Patre omnis realitatis, veritatis, bonitatis etc. Num Pater non est Deus, ex eo quod Christus appellatur *unus Dominus?*

Difficultas 2.ª — Legitur Ioan. XVII, 3: « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te *solum* verum Deum et quem misisti Iesum Christum. — R. Vox *solum* non refertur ad *te,* ut patet ex textu græco, (ἵνα γινώσκουσιν σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν) sed ad *Deum verum;* unde affirmatur unicitas *Dei,* non *personarum.* Ideo Io. I *ep.* v. 20 de Filio ait: « Hic est verus Deus et vita æterna ». Ceterum vocabulum *Deum* hic significare potest *Deum trinum,* in cuius contemplatione æterna vita consistit.

Difficultas 3.ª — In Scriptura Filius pluries exhibetur tamquam Patri *inferior, instrumentum* et mediator, non omnia cognoscens, preces non audiens etc. — R. Quando dicitur inferior, vel agitur de inferioritate *originis,* quæ nullam inducit inæqualitatem, vel de inferioritate secundum naturam humanam. — Eodem modo particulæ *per, in* non exprimunt inferioritatem naturæ, verum distinctionem personarum et modum originis. Insuper præ oculis habendum est, Christum posse considerari triplici modo: ut Deus, ut homo, ut caput corporis sui mystici, quod est Ecclesia, et sic varia prædicata accipere. Ipse est perfectus religionis mediator, ac proinde nos debemus gratias Deo Patri agere per Christum. — Christus Dominus nescivit *diem iudicii* scientia *communicabili,* nimirum nescivit qua Dei legatus, cum eam notitiam nobis communicare non debuerit. Hæc est communis explicatio post S. Hilarium et S. Augustinum. — Non est verum quod soli Patri preces offerre iubemur, nam Christus de seipso dixit: « si quid petieritis *me* in nomine meo, hoc *faciam* ». (Io. XIV, 14). Verum quidem est quod Pater consideratur, per appropriationem, sicut auctor et principium omnium bonorum, hinc frequentius preces ad eum diriguntur.

Difficultas 4.ª — Unitas Filii cum Patre est moralis seu per caritatem, ut apparet ex verbis Christi, Io. XVII, 21: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te ». — R. S. Cyrillus Alex. *in Io.* 7 c. 10, quod Christus hic petit pro suis discipulis *assimilationem propinquam* suæ unioni *in natura* cum Patre. Non igitur statuitur identitas sed analogia. Insuper in Scriptura nostra unio ad Deum vel ad Christum sæpe dicitur esse *spiritu* aut *corde,* dum econtra de divinis Personis absolute affirmatur, quod *unum* sunt.

Difficultas 5.ª — Deus dicitur Pater et Deus Christi eodem modo ac de omnibus, uti habetur in *Io.* XX, 17: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum » (*ita sæpe Unitarii*). — R. Christus D. loquitur hic *ut homo,* commemorat enim suam ascensionem, quæ est secundum humanam

---

(1) Cfr. Corn. A-Lapide in hunc locum, vel saltem Martini.

naturam; insuper prius dixerat: vado ad *fratres* meos. Atqui ut homo potest Deum vocare Patrem suum et Patrem discipulorum, licet non eodem modo. Hoc adnotat S. Augustinus *tr.* 121 *in Io.* « Christus non ait Patrem ***nostrum;*** aliter ergo *meum,* aliter *vestrum;* naturâ *meum,* gratiâ *vestrum*... Deum *meum,* sub quo et ego homo sum, Deum *vestrum,* inter quos et ipsum mediator sum ».

Difficultas 6.ª — Apud Io. XVI, 13 asseritur de Sp. S. « Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur ». — R. Spiritus S. a Patre Filioque procedit, proindeque operandi et loquendi virtutem sicut totam divinam naturam ab eis accipit; hoc sensu dicitur a se non loqui et audire, seu scientiam accipere. His similia etiam de Verbo dicuntur in Scriptura, atque pari ratione intelligenda sunt.

Difficultas 7.ª — Spiritus S. est Deo inferior, quia postulat et precatur. (*Rom.* VIII, 26). — R. Vox græca ὑπερεντυγχανει, *postulat*, significat alicuius causam agere, se interponere in alicuius favorem; præterea ibidem habetur: « Spiritus adiuvat infirmitatem nostram », videlicet postulat *causaliter,* nos ad precandum impellens.

Difficultas 8.ª — Quomodo Spiritus est Deus, cum *ad Ephes.* IV, 30 moneat Apostolus: « Nolite contristare Spiritum S. Dei »? — R. S. T. in IV *c. Gentes* c. 16, ubi rationes solvit ex quibus aliqui existimaverunt Sp. S. creaturam: « Patet etiam, ex consuetudine S. Scripturæ, quod, per quamdam similitudinem, humani animi passiones transferuntur in Deum, sicut dicitur: *Iratus est furore Dominus in populum suum;* dicitur enim Deus iratus per similitudinem *effectus:* punit enim, quod et irati faciunt; unde et ibidem subditur: *et tradidit eos in manus gentium.* Sic et Spiritus S. contristari dicitur per similitudinem effectus; deserit enim peccatores, sicut contristati deserunt contristantes ».

Thesis XXI. — ***Veritas Mysterii SS. Trinitatis, quæ confirmata fuit in Concilio Nicæno et vindicata deinceps a Patribus subsequentibus, eadem explicite continebatur, iam inde ab Apostolis, in universali prædicatione et professione Ecclesiæ antiquioris.***

134. ***Declaratio.*** — Thesis continet demonstrationem SS. Trinitatis ex Traditione, eamque bipartitam, primo ex Patribus Nicænis et Doctoribus subsequentibus, deinde ex professione Ecclesiæ ante Concilium Nicænum. Porro quoad Patres nicænos, sunt plures protestantes, quibus etiam aliqui catholici adstipulantur, qui contendunt, eos non unam numero naturam divinam, sed tres numero naturas divinas agnovisse, quæ specie tantum una sint; idque ex eo probant, quod Concilium definierit, Filium esse Patri *consubstantialem*, sicut videlicet homines sunt ad invicem specie consubstantiales, Quod vero ad Patres antenicænos aliqui recentiores theologi affirmant, eos Patres utique dogma professos fuisse, sed imperfecte, et non secundum genuinum

sensum illud intellexisse. Ipsa theseos demonstratione utraque calumnia penitus concidit.

135. ***Prima pars.*** — *Trinitas probatur ex Patribus Nicænis et subsequentibus.*

I. ***Ex definitione Concilii.***

In directa enim oppositione ad hæresim Arianorum, qui explicite docebant, Filium et consequenter etiam Spiritum Sanctum non esse eiusdem naturæ cum Patre neque ab eo proprie genitum sed creatum, Concilium definivit: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt... et in Spiritum Sanctum.* Qua porro definitione generatio Filii ex Patre declaratur esse proprie dicta seu *ex substantia* ita, ut substantia Patris eadem communicata sit Filio et quidem non *specifice* sed *identificatione,* quippe ex ipsa rei natura substantia Patris, utpote veri Dei, est omnino singularis, cui multiplicatio absolute repugnat. Ut autem hanc communicationem naturæ a Patre in Filio explicite declararent, dixerunt quod *Filius est* ὁμοούσιος (consubstantialis) *Patri* (1).

Quæ porro *consubstantialitas* in Deo non potest exprimere aliam, quam numericam unitatem divinæ naturæ in personis distinctis. Nam — *a)* in Deo consubstantialitas intelligi debet non sicut in creaturis. Si enim in creaturis consubstantialitas prædicatur tantum ad exprimendam unitatem specificam, id provenit ex ipsa ratione subiecti intrinsece diversa, quatenus unitas naturæ in creaturis esse non potest nisi per multiplicationem eiusdem naturæ in multis; dum in Deo hæc naturæ multiplicatio repugnat (2). — Deinde *b)* in hoc sensu *identitatis* consubstan-

---

(1) Quæ vox resultat ex ὁμοῦ simul et οὐσία, *substantia.* Illud *adv.* ὁμοῦ tale est, ut cui iungitur vel significat eandem rem ambo esse, vel simul cum re rem esse; proindeque ὁμοούσιος indicat Filium esse simul cum Patre unam substantiam. *Semiariani,* ι interiecta, dixerunt ὁμοιούσιος ab *adj.* ὅμοιος *similis* (similis substantia), ut Patribus nicænis consentire viderentur. Qui vero cum Ario apertam dissimilitudinem asserebant, *Anomœi* (a voce ἀνόμοιος) appellabantur.

(2) Hinc vox *consubstantialis* a creaturis in Deum translata excludere debet imperfectionem multiplicationis: idque iuxta regulam in omnibus nominibus servandam, quæ a creaturis in Deum transferuntur.

tialitatem definitam fuisse a Patribus, apparet ex ipso disputandi modo Arianorum adversus Catholicos. Illi enim præsupponebant cum catholicis tum *unitatem* numericam Dei tum *distinctionem* personarum; inde autem probare nitebantur, ideo Filium dici non posse *consubstantialem* Patri, quia tum necesse foret aut Filium *confundere* cum Patre, uti fecit Sabellius, aut substantiam Dei Patris per generationem *dividere* et propagare in Filium. Catholici autem respondebant asserendo quidem tum unitatem Dei tum distinctionem Personarum, attamen negando, quod generatio fiat in divinis sicuti in creaturis per multiplicationem naturæ, dum fit econtra per communicationem unius numero naturæ a Patre in Filio. Hinc salva est *distinctio*, quia Filius a Patre est vere genitus; salva est *unitas* divinæ substantiæ, quia est genitus non per productam a Patre similem naturam, sed per communicatam ab Eo naturam numerice identicam. *Cum Filii Dei generatio ex Patre*, ait S. Athanasius, *diversa plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit, sed indivisibilis a substantia Patris, atque ipse et Pater unum sint... idcirco Synodus hæc perspiciens recte scripsit* ὁμοούσιον, *consubstantialem* (1).

II. ***Ex Patribus subsequentibus.***

Accedunt Patres universi fidei nicænæ vindices, qui disertissime docuerunt unam numero naturam in tribus distinctis Patre, Filio, Spiritu Sancto. Inter multa, quæ proferri possent, hæc tria adnotasse sufficiat. — Primum est quod Patres communiter doctrinam catholicam secernunt tanquam mediam inter errores oppositos. *Verum est,* inquit S. Fulgentius, *quod Sabelliani de natura Patris et Filii et Spiritus Sancti credunt, sed falsum est, quod tres personas non credunt. Verum est etiam, quod Ariani tres personas Patris et Filii et Spiritus Sancti credunt, sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Perverse itaque Ariani naturam Trinitatis dividunt et Sabelliani personas confundunt, quum ita sit una natura Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non una persona: quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti* (2). — Alterum est, quod rationem cur unus sit Deus,

---

(1) *De decret. Nicæn.*, n. 20 apud Petav., *De trin.*, l. IV, c. 5 et Franzelin. *De trin.*, th. IX, p. 122.

(2) *Ad Donat.*, c. XII. Episcopus fuit Ruspæ in Africa, domo Carthaginiensis, floruit an. 510 habitus veluti sui temporis alter Augustinus.

quamvis tres sint distinctæ personæ, diserte Patres affirmant, esse *identitatem essentiæ. Essentiæ identitas* (ταυτοτης), ait S. Cyrillus Alex., *in unitatem colligit Trinitatem* (1). — Demum rationem distinctionis inter personas non aliam esse docent, quam illud unice, quod formaliter significatur nominibus: *Pater, Filius, Spiritus Sanctus.* Ita Gregorius Naz.: *Hæc ipsa non esse genitum, et esse genitum et procedere designant alium Patrem, alium Filium, alium nomine Spiritus Sancti appellatum, ut servetur inconfusa distinctio trium hypostaseon in una natura et dignitate deitatis* (2).

136. ***Secunda pars.*** -- *Trinitas probatur ex professione Ecclesiæ ante C. N.*

Hæc fides, quam Patres nicæni vindicarunt, erat etiam in professione catholica ante concilium Nicænum, eamque Patres illi antenicæni rectissime intellexerunt. Quæ duo distincte ostendimus.

1. ***Fuit in professione communi.***

a) Apparet ex iis ipsis, quæ evenerunt cum primum hæresis ariana prodiit. *Subita* enim *denunciatio* novi erroris facta per Alexandrum episcopum alexandrinum et per concilium Alexandriæ habitum ad universi orbis episcopos, verbis et exclamationibus, quæ summum horrorem ostendunt, pariterque *consensus universalis* episcoporum, qualis iam ante Conc. Nicænum manifestus apparuit in tot litteris, quas ipsi ad Alexandrum reddiderunt; hæc clare manifestant, quod nova hæresis in eam fidem offenderat, quam universa Ecclesia per orbem dispersa explicite iam profitebatur. — Idipsum ipse Arius eiusque sectatores intellexerunt, qui ne continuo ab omnibus ut impii haberentur, coacti sunt suam hæresim statim tegere iis vocibus et sententiis, quæ in obvio sensu Verbum exhiberent verum Deum atque hoc ipso unum natura cum Patre. Quæ sane fraudes evidenter confirmant, fidem ac professionem communem omnium Ecclesiarum hanc fuisse: filius est verus Deus non secus ac Pater, et hoc ipso hi tres, Pater et Filius ac (propter paritatem rationis) Spiritus Sanctus sunt unus Deus. — Iamvero fides, quæ, ineunte seculo IV, adeo firma et universalis erat, tradita censeri debet

(1) *Contr. Iulian.*, l. IV.
(2) Orat. 31 (al. 37).

a Maioribus, immo ab Apostolis. Idque etiam veluti *a priori* suadet ratio evidens tum theologica tum critica.

b) Verum de hac re accedit expressa testificatio S. Augustini, ubi suos libros De Trinitate ita orditur: *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem ideoque non sint tres dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est, Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus.... Hæc et mea fides est, quando hæc est catholica fides* (1).

c) Demum quæ fuerit veterum seculorum fides de Trinitate ipso facto confirmatur. Sane seculo III sicut distinctio Personarum adversus Sabellianos, ita non minus indistincta unitas divinæ naturæ a Pontificibus Romanis Zephirino, Callisto, Dionysio tanquam communis et tradita fides Ecclesiæ disertissime declarata est et adversus errores contrarios vindicata. Et eodem seculo vel etiam antecedenti communem hanc fidem Patres proponunt, inter quos apud auctores citantur episcopi in II Concilio Antiocheno, vel ante illud, scribentes ad Paulum Samosatenum, Tertullianus, Hippolytus, Athenagoras, Irenæus aliique (2).

Confirmatur. — Hanc fidem autem ad professionem omnibus fidelibus communem semper pertinuisse, constat ex symbolis omnibus; ex professione catechumenorum et ex ipsa forma baptismi; ex doxologia, qua inde ab ævo apostolico deferebatur una adoratio et *gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,* vel *gloria Patri et Filio cum Sancto Spiritu;* clarissime denique ex confessionibus martyrum coram tyrannis. Smirnæ anno 166 Polycarpus ita fidem suam fassus est: *Verax Deus, glorifico te cum æterno et cœlesti Iesu Christo, dilecto Filio tuo, cum quo tibi et* Spiritui Sancto gloria *et nunc et in futura secula* (3).

---

(1) *De trin.*, l. I, n. 7.

(2) Cfr. præsertim Petav., *De trin.* et Franzelin, *De trin.*, thes. X.

(3) Franzelin, p. 150.

II. ***Fuit rectissime intellecta.***

Hinc etiam apparet, dogma hoc SS. Trinitatis ***rectissime intellectum fuisse*** a Patribus antenicænis, qui et habent certissimum principium fondamentale: ***Deum esse deitate unum, non plures Deos,*** et frequenter in Deo ***nominant tres distinctos:*** Patrem, Christum Filium Dei et Spiritum Sanctum, horum autem ***quemlibet*** pro certo habent esse ***verum Deum,*** divino cultu adorandum. Iamvero hisce ferme continetur genuinus Trinitatis conceptus. — Ceterum ea est huius dogmatis principalitas in tota prædicatione et œconomia christiana, et talis necessitas explicitæ etiam et universalis professionis, ut omnino repugnet promissionibus Christi et inerrantiæ Ecclesiæ, quod sensus catholicus, aliquo tempore, eam veritatem non recte intellexerit secundum genuinum conceptum.

Nota bene. — Si quæ ideo difficiliores expressiones apud illos Patres antenicænos et aliquando etiam apud postnicænos inveniantur, distinguendum est ipsum ***dogma*** a ***terminologia***, qua illud exprimitur. In dogmate Patres alicuius ætatis generatim errasse neque theologice neque critice admitti potest; in terminis vero seligendis, antequam hæresis nasceretur et terminologia præcisius definiretur, minus fortasse caute se gessisse concedimus, ita tamen ut eorum loquendi modi apte exigi possint et debeant ad doctrinam alioquin exploratam eorundem et subsequentium Patrum et ad communem et manifestam fidei professionem (1). Ceterum facilem solutionem habent etiam singulæ obiectiones ex Patribus deductæ.

Dices 1.° — Patres comparant unitatem naturæ inter Personas divinas unitati *specificæ* inter homines. — R. Non quia putent esse eiusdem rationis, sed ut *aliquam similitudinem* exhibeant, et ad æqualitatem personarum inculcandam.

Dices 2.° — Ante Conc. Nicænum Patres Conc. Antiocheni reprobarunt vocem *consubstantialis*; item Patres Conc. Ariminensis. — R. *Illi* improbarunt in sensu P. Samosateni, qui unam personam in Deo ponebat; isti reiecerunt propter errorem *facti,* non *doctrinæ*. Patres enim Ariminenses putaverunt pacem cum Arianis fieri potuisse vocem tantum prætermittentes, sed eamdem fidem Nicænam profitentes, eumdem sensum omnes retinentes, ut dolose mentiebantur Ariani: sed postea fraudem detexerunt.

Dices 3.° — Patres loquuntur de Deo Patre tanquam de primo Deo, asserentes Filium secundo loco, Spiritum S. tertio loco haberi. Imo Patrem Deum super omnia et Filio maiorem appellant. — R. Loquuntur de Patre tanquam de primo

(1) Cfr. Franzelin, th. X, n. 2, et th. XI.

Deo etc. non secundum ordinem *nobilitatis*, sed *originis*. Item Patrem *Deum super omnia* atque *Filio maiorem* vocant, ut significent Patrem omnium, etiam Filii et Sp. S., *principium* esse, ipsum autem principio carere.

Dices 4.° — Patres Filium et Sp. S. vocant *ministros* Patris. — R. Eos vocant ministros *improprie*, ut significent Filium et Sp. S. omnia facere per *virtutem* ipsis a Patre communicatam atque a Patre *procedere* ac *mitti*. Cf. Kleutgen n. 595, n. 896, Franzelin, (H. Mazzella p. 222).

Thesis XXII. — *Dogma SS. Trinitatis est mysterium proprie dictum, absolute excedens vim rationis humanæ: non tamen potest convinci esse contra rationem.*

137. ***Declaratio.*** — In hac re occurrunt oppositi errores. Increduli et rationalistæ hoc dogma clamant esse contra rationem proindeque reiiciendum. Ex altera parte non defuerunt qui contenderent, ipsum dogma penitus non excedere rationem, sed imo eiusdem veritatem (*an sit*, sin minus *quomodo sit*), etiam citra revelationem humanæ rationis lumine cognosci posse, vel saltem, *supposita revelatione*, ex principiis mere rationalibus posse demonstrari (1). Ad hos omnes excludendos errores duo vindicabimus: 1° SS. Trinitatem esse mysterium proprie dictum, seu ita *absolute* excedens vim rationis, ut eius veritas nec citra revelationem ratione cognosci, nec, supposita revelatione, ex principiis mere rationalibus demonstrari possit; 2° ipsum mysterium licet *supra rationem*, non tamen esse *contra rationem*, seu nullam proferre evidentem repugnantiam cum certis principiis rationis. Nunc thesis est *de fide*, Concilium enim Vaticanum definivit: *Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera ac proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; a. s.* (2). Atqui vel nulla dantur in revelatione mysteria (quod est hæreticum); vel certe et imprimis mysterium est illud Trinitatis. Ergo

(1) Hoc mysterium ratione demontrari posse docuerunt Claudianus Mamertus presbyter Viennensis (sec. V), Petrus Abælardus (sec. XIII), Raimundus Lullus et fortasse Richardus a S. Victore et Henricus Gandavensis. Nostris autem temporibus, supposita huius mysterii revelatione, eiusdem rationalem demonstrabilitatem docuerunt Ant. Günther, Frohschammer, Rosminius, *Teosofia*, vol. I, p. 155-158, et in idem lapsi sunt nonnulli christianæ fidei apologetæ, uti Augustus Nicolas in sui *Études philosophiques sur le Christianisme* (p. II, cap. 9).

(2) Const. *Dei Filius*, cap. 4 et can. 1.

vaticana definitio intelligi debet imprimis de Trinitate; ergo definitum remanet Trinitatem esse vere et proprie dictum mysterium, quod ratione nec intelligi nec demonstrari potest (1).

138. ***Prima pars.*** — *SS. Trinitas est mysterium proprie dictum.*

1. Ex S. Scriptura. — *a*) Scripturæ generatim ostendunt quod Deus præter *notum Dei* intellectu conspiciendum e rebus creatis, revelavit etiam *profunda Dei*, quæ, cum sint supra humanam vim intelligendi, solus Spiritus Dei scrutatur. Hanc rem Paulus, data opera, declarat toto capite II epistolæ 1ae ad Corinthios, ubi inter cetera hæc habet: « *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (scilicet sapientiam objectivam, veritatem, doctrinam, rem illam, quæ est obiectum sapientiæ subiectivæ seu cognitionis): *sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi* (quam neque sapientiores hujus seculi possident) ...; *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram.* Unde hanc sapientiam absconditam, et quidem ab æterno, neque sapientiores inter homines cognoverunt: *Quam nemo principum hujus seculi cognovit... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei... Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Exinde obvium exurgit argumentum: Certum est in iis, quæ Deus nobis revelavit, plura contineri, quæ pertinent ad *profunda Dei*, quorum cognitio soli Deo naturalis est, quæque proinde suapte natura omnibus, etiam sapientioribus, abscondita sunt. Atqui si quid est in tota Christi revelatione spectans ad *profunda Dei*, id imprimis est doctrina, quæ refert internas processiones et Trinitatem personarum in Deo, quippe intimam Dei vitam attingit. Ergo doctrina SS. Trinitatis nonnisi Deo est naturaliter cognita, eaque *suapte natura* omnibus hominibus, etiam sapientioribus, naturaliter absconditur; proindeque etiam præsupposita revelatione. Quod enim *suapte natura* menti nostræ absconditur, id etiam post factam revelationem in sua rationalis obscuritatis natura permanet. Revelatio enim ad nos pervenit secundum modum nostrum cognoscendi. Per revelationem elevamur quidem ad cognoscendum

(1) Accedit censura, quam de doctrina Güntherii (1857) et Frohschammerii (1862) tulit Pius IX; itemque prop. 9ª *Syllabi* et 25ª inter XL. Decreto *Post obitum* damnatas.

aliquid nobis ignotum; sed non elevamur ad illud cognoscendum aliquo modo diverso ab illo, quo naturaliter res omnes cognoscere possumus.

b) Verum idipsum probatur etiam ex *directis testimoniis.* Sane, ad cognoscendam divinam Trinitatem necesse est ut Pater et Filius cognoscantur, ut secundæ Personæ generatio perspiciatur. Atqui *nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare* (Matth. XI, 27) et rursus: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Jo. I, 18); Filii autem generatio a nemine inter creaturas enarrari potest: *Generationem eius quis enarrabit?* Ergo divina Trinitas a nullo homine viribus naturalibus cognosci aut explicari potest, sed eam cognoscere omnino debemus ex revelatione et enarratione Dei ipsius. Hinc Christus nonnisi Patri revelanti adscripsit Petri notitiam de ipsius divinitate.

II. Ex Patribus. — Patres, veritatem hanc esse supra naturalem facultatem cuiusvis intellectus creati, semper *supposuerunt*, eam unice confirmando ex revelatione: vel *diserte* vindicarunt præsertim in diuturno bello adversus Arianos ac nominatim adversus Eunomianos. In re manifestissima testimonia specialia omittimus. Iis ad summam reductis, Patrum sensus in hac re huc redit: *De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiæ.* Ita S. Hieronymus in Proœmio ad l. XVIII in Isaiam.

III. Ex consensu Theologorum. — Præterea ne testimonia Scripturæ et Patrum in alium sensum deflectamus, accedit consensus veterum Theologorum, qui omnes cum Magistro et cum S. Thoma defendunt, velut principium certum et constans, eminentiam huius mysterii supra rationem (1). Breviter argumentum affert S. Thomas: « Homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest, nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum naturali ratione de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. virtus autem creativa est communis toti Trinitati; unde perti-

(1) *Sententiarum,* l. I, dist. 3; *Sum. th.,* 1, q. 32, a. 1; Vasquez in I. P., disp. 133, ubi plures citantur theologi.

net ad unitatem essentiæ non ad Trinitatem Personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem Personarum (1).

Opponitur 1.° — A Patribus, præsertim a S. Aug. et S. Bonav., afferuntur de SS. Trinitate probationes ex ratione. — R. Eas adducunt non tanquam strictam demonstrationem, sed ut suasivam quandam illustrationem Mysterii. Potest enim humana ratio, supposita revelatione SS. Trinitatis, tum contraria argumenta solvere, tum similitudines et congruentes rationes afferre, tum principium aliquod revelatum assumere et ex eo conclusiones deducere.

Opponitur 2.° — In omnibus creaturis etiam irrationalibus vestigium Trinitatis invenitur ob triplicem rationem *entis, veri* et *boni*. Porro hi tres respectus in Deo concipi necessario debent ut realiter distincti et subsistentes. — R. Vestigium hoc non est secundum ea, quæ propria sunt divinarum Personarum, sed secundum ea, quæ eisdem appropriantur.

Opponitur 3.° — In libris philosophorum, ut in Platone et in aliquibus gentium theogoniis Trinitas invenitur. — R. Negatur quod sermo sit de vera christiana Trinitate, nisi dici velit aliquam de ea notitiam e fontibus antiquæ revelationis in gentes derivasse. Scire sufficiat ex. g. in *Trinitate Platonis (pater* mundi moderator: *mens* seu verbum quo mundus regitur; *anima* qua mundus existit et movetur) in *triade ægyptiana (Iside, Osiride, Oro*) et in *trimurti indiana (Brahma, Vishnu, Siva)* tres Deos plane distinctos poni. Cf. Petavium l. I, c. 1-2; Franzelin th. 18, Scholion; De-Broglie, *Histoire des religions* c. V.

Opponitur 4.° — Tres personæ sin minus ex creaturis, tamen ex præcognitis quibusdam Dei perfectionibus deduci possunt, ut ex infinitate Dei, vel ex eius intellectu, voluntate ac bonitate, ut fit in argumentis Richardi Victorini aliorumque. — R. Hæ perfectiones adhuc prænoscuntur ex intellectis perfectionibus creaturarum, et ita redit ratio S. Thomæ, quod huiusmodi perfectiones Deum referunt quatenus est unus non quatenus est trinus, unde neque ex iis ita cognitis deduci potest distinctio trium Personarum. Hinc si quorundam recentiorum tentamina demonstrationis rationalis examini subiiciantur, facto quoque confirmatur id, quod universim constat ex doctrina et ex principiis theoreticis.

Cfr. Franzelin, th. XVIII, ubi aliquot affert demonstrationis tentamina Marci Mastrofinii et Güntherii et, examine instituto, probat iis non modo vim demon-

---

(1) *Sum. th.*, I, q. 32, a. 1. — Secundum unanimem Theologorum et Patrum sententiam Conc. Coloniense (a. 1860 p. I, tit. 1, c. IX) id diserte statuit contra recentes quorumdam conatus: « *Augustissimum hoc Trinitatis mysterium, quamvis sancti Patres Ecclesiæque Doctores similitudinibus ad fidelium eruditionem illustrare conati sint; tamen uno quasi ore ineffabile et incomprehensibile esse proclamant. Et iure quidem merito. Etenim quum Dei invisibilia per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, e rebus creatis ad Personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, quum actus ille quo Deus mundum creavit, utpote tribus Personis communis, unitatem quidem essentiæ, non vero Personarum Trinitatem manifestet.*

strandi deficere, verum etiam dogma ipsum revelatum perverti et in alienum sensum detorqueri.

Opponitur 5.° — Bonum est diffusivum sui. Ergo infinita bonitas divina se ipsam infinite communicat in processione divinarum personarum et hoc nobis naturaliter innotescit. — R. *a*) Bonum est diffusivum sui eo sensu quod *possit* se aliis communicare, non quod *actu* debeat. *b)* « Bonitas infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ, quia infinitæ virtutis est ex nihilo producere. Non enim oportet si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat, sed quod secundum modum suum recipiat divinam bonitatem ». S. Th. I, 32, 1 ad 2.

Opponitur 6.° — Nullius boni, sine consortio, iucunda potest esse possessio. Ergo in Deo beatissimo est pluralitas personarum. — R. « Illud locum habet, quando in una persona non invenitur perfecta bonitas. Unde indiget ad plenam iucunditatis bonitatem bono alicuius alterius consociati sibi » S. Th. I. c.

Opponitur 7.° — In nobis dantur processiones internæ intellectus et voluntatis. Sed hæ pertinent ad perfectionem naturæ intellectualis. Ergo nobis revelant processiones divinas. — R. Utique has processiones cognoscimus, sed simul intelligimus in nobis verificari propter *imperfectionem* nostram et scimus intellectum univoce non inveniri in Deo et in nobis. « In Deo idem est intellectus et intellectum, et ideo non oportet quod ex hoc quod intelligit, ponatur in eo aliquid conceptum realiter distinctum ab ipso sicut est in nobis; trinitas autem Personarum requirit distinctionem realem ». S. Th. in Boet., *De trinit.*, q. 1, a. 4 ad 6.

139. ***Secunda pars.*** — *Non est contra rationem.*

I. Ex concordia fidei et rationis. — Quod autem nulla sit repugnantia huius mysterii cum ratione, id imprimis evidens omnino esse debet iis, qui admittunt divinam revelationem. Deus enim auctor est sicut revelationis, ita et rationis; unde nequit aliquid revelare, quod rationi opponitur.

II. Ex incomprehensibilitate Dei. — Adversus eos, qui revelationem negant, ostendi potest nullam esse evidentem repugnantiam contra rationem ex eo ipso, quod intrinseca ratio divinæ essentiæ et divinæ personæ superat vim nostram intelligendi. Porro hiusmodi ratio probat etiam, nos non posse *directe* demonstrare et *clare* intelligere possibilitatem mysterii eiusque convenientiam cum ratione; attamen eadem ratio evidenter excludit, quemque posse ostendere eiusdem mysterii repugnantiam. Ut ostenderent enim unitati divinæ essentiæ repugnare trinitatem personarum, deberent utriusque rei, tum divinæ essentiæ tum personalitatis divinæ, distinctum conceptum habere et probare in his notionibus elementa inveniri, quæ se excludunt. Iamvero nemo, sine ingenti arrogantia et ignorantia, sibi vindicare potest talem evidentem intellectionem essentiæ et hy-

postasis divinæ. Ergo impossibile est illam repugnantiam ostendere inter unitatem essentiæ et trinitatem personarum divinarum.

III. Ex solutione difficultatum. — Ceterum etiam aliquâ directa responsione solvere possumus tritam illam difficultatem, quæ ita solet efferri. « Est contradictio idem affirmare simulque negare de eodem subiecto: atqui Trinitatis doctrina de eodem subiecto Deo tum affirmat simulque negat esse unum, tum affirmat simulque negat esse trinum; ponit enim Deum ita esse unum ut non sit unus sed trinus, et ita esse trinum ut non sit trinus sed omnino unus. Ergo doctrina de Trinitate involvit contradictionem. » Respondetur *distinguendo* maiorem; est contradictio idem affirmare simulque negare de eodem subiecto, sed ita ut negatio et affirmatio sit secundum eundem respectum *conc.*; est contradictio, si negatio sit secundum aliquem respectum et affirmatio secundum alium *nego*. Iamvero hic diversus respectus locum habet in dogmate SS. Trinitatis. Etenim non sub eodem respectu dicitur Deus unus et trinus, sed unus in essentia, et trinus in personis. Teneant ergo Rationalistæ, qui in verba stultissima Socinianorum iurare pergunt, responsionem simplicissimam: unum, sub ea ratione sub qua est unum, evidenter non esse tria, et tria, sub ea ratione sub qua sunt tria, evidenter non esse unum; ideoque essentiam divinam unam esse non tres essentias, Personas divinas tres esse non unam personam. Respondeamus etiam quibusdam instantiis adversariorum.

Instant 1.° — Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Atqui Pater, Filius et Spiritus S. sunt idem cum divina essentia. Ergo. — R. Quoniam comparatio, quæ fit in proposito syllogismo, est secundum *conceptus* et formalitates (et de facto in re non datur *illud tertium*, identicum et simul distinctum ab aliis), ita, cum Personæ divinæ sint idem cum essentia secundum rem sed non secundum conceptus, non sequitur, *formaliter* in vi adducti principii identitatis comparatæ seu in vi formæ ipsius syllogismi, divinas Personas identificari: recurri debet ad aliquid aliud.

Instant 2.° — Atqui sufficit ad identitatem trium Personarum, quod *re* sint idem cum essentia, nam ipsæ debent inter se *eandem* distinctionem vel identitatem conservare, quam habent cum essentia. — R. Negatur, quia falso supponitur Patrem, Filium et Sp. S. *eandem oppositionem* ad invicem habere ac cum divina natura. Paternitas vero et Filiatio e. g. evidenter dicunt talem oppositionem, quam non dicunt cum essentia.

Instant 3.° — Atqui repugnat hæc diversa oppositio, ex. g. Patris et Filii, qui identificantur cum tertio, i. e. cum divina substantia. — R. Non repugnat,

etenim non est oppositio inter absoluta sed inter *relativa*. Equidem color albus *b* et color ruber *c*, puta, nequeunt sese mutuo et realiter opponere, si eos identicos facio cum tertio *a*: esset enim *a* simul album et rubrum. Hoc autem ideo evenit, quia color, qualitas, unicam notam seu aspectum habet, qui est inhærere in subiecto, ipsum modificans, et *secundum hanc notam* et est in se *realis* et est aliis *oppositus*. Ergo, si color albus ponitur convenire cum rubro in aliquo tertio *a*, iam cum ipso convenire debet simpliciter et totaliter, unde non potest amplius ad ipsum oppositionem habere. Hoc autem non apparet contingere in relativis, cum duas notas bene distinctas habeant. Ex eo igitur quod Pater et Filius sunt idem cum essentia, non cessat eorum oppositio, ideoque manent idem in natura et tamen distincti, non enim inter se opponuntur eadem *nota*, qua *identificantur* cum tertio.

Instant 4.° — Id quo Personæ realiter ad invicem differunt, vel est perfectio vel est imperfectio; atqui, evidenter, non est imperfectio; neque est perfectio, quia tunc duæ aliæ personæ ea privarentur. Repugnat igitur quod vere differant inter se. — R. Differunt per oppositionem relativam (etenim *in divinis omnia* sunt unum, *ubi non obviat relationum oppositio*): porro relationes divinæ sunt perfectiones, at nihil addunt ad perfectionem substantialem. Semper igitur eadem responsio datur, quandoquidem omnes difficultates supponunt Patrem, F. et Sp. S. esse tria subiecta absoluta identificata cum tertio absoluto, dum econtra sunt tres relationes, utique identificatas cum absoluto et per hoc subsistentes, attamen veræ relationes, ac quod proprium est relationis conservantes. Nos conceptum proprium habemus solum de subsistentibus absolutis, attamen de divinis Personis semper *ratiocinari* debemus tanquam de subsistentibus relativis.

Ad rem S. Th. I, 42, 4 ad 2: « Paternitas est dignitas Patris, sicut et essentia Patris. Nam dignitas est absoluta et ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio: ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere ergo dicitur quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Nec sequitur: paternitatem habet Pater; ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid* in *ad aliquid*. Eadem enim est essentia et dignitas Patris et Filii, sed *in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis* ».

CAPUT III.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

140. Ex duobus illis, quæ iuxta concilium Lateranense IV constituunt mysterium, illud exposuimus in quo proprie ipsius mysterii substantia consistit, videlicet distinctionem trium personarum in una divina essentia. Modo aliud remanet considerandum, quod spectat ad intimiorem mysterii notitiam, et est ordo ille inter personas, quo a Patre procedit Filius et ab utroque Spiritus Sanctus. Sic ordo personarum a processionibus desumitur.

141. Nomen *processio* significat generatim originem seu emanationem unius ab alio tanquam a suo principio vel causa;

brevi, processio est *origo unius ab alio*. Est autem huiusmodi processio seu origo duplex in creaturis, vel *transiens ad extra*, qualis est origo fructus a planta; vel *immanens* intra suum principium, qualis est processio nostræ cogitationis ab intellectu (1).

Iamvero a Deo processione transeunte ad extra, omnes creaturæ procedere dici possunt. Sed ex revelatione est præterea agnoscenda *processio divina immanens*.

Verum cogitatio nostra ab intellectu ita procedit, ut proprie ab eo dependeat sicut effectus a causa. Talis non est processio in Deo, sed terminus procedens a suo principio non proprie dependet ut effectus, quippe ab ipso principio habet sibi communicatam eandem numerice naturam. Hinc interna processio divina definiri potest: *Origo unius divinæ personæ ab alia per ineffabilem eiusdem numero naturæ communicationem*.

142. Porro iuxta revelationem *duæ dantur in divinis processessiones;* videlicet secundæ personæ a prima, et tertiæ personæ a prima et secunda tanquam ab unico principio. Processio secundæ personæ est *generatio*, unde principium dicitur *Pater*, terminus *Filius*. Processio tertiæ est alia plane distincta a generatione et appellatur *spiratio*, vel etiam simpliciter *procedentia* seu *processio*, eiusque terminus dicitur *Spiritus Sanctus*. — Præter has duas processiones alia non datur; nam prima persona, Pater, a nulla alia procedit, prouti id evidens est in revelatione et Ecclesia aperte profitetur, unde sicuti Is dicitur *ingenitus*, *innascibilis*, ita et dicitur *Pater*, ac *principium et fons totius Deitatis*.

Iam itaque de his processionibus agentes ex revelatione demonstrabimus, tum Filium a Patre procedere per generationem, tum Spiritum Sanctum ab utroque per processionem, quæ non sit generatio. Deinde conabimur ex doctrina Patrum explicare modum utriusque processionis. Hinc tres theses.

Thesis XXIII. — *Filius a Patre procedit per generationem.*

143. ***Declaratio.*** — Thesis eo spectat, ut non modo demonstretur Filium procedere seu originem habere a Patre per commu-

(1) Becanus, *Theol. schol.*, p. 1, *De Sanct., Trin.* c. 1.

nicationem unius numero naturæ; sed processionem hanc esse veri nominis *generationem*. Nomine autem generationis intelligitur *origo viventis a vivente per principium coniunctum in similitudinem naturæ* (1). Quæ porro generationis notio, ex creaturis desumpta, quatuor notas comprehendit: *a)* ut sit processio *viventis a vivente* et quidem *b) ex substantia* generantis; insuper c) ut per *intrinsecum principium, naturæ propriæ communicativum* (quod dicitur principium fecunditatis), propagetur natura producentis in productum, et demum *d)* ut *ex ipso modo processionis* producatur *naturalis imago* producentis in productum, atque sic verificetur id quod dicitur *oriri in similitudinem naturæ* et non solum *oriri simile in natura*. Hæc omnia etiam generationi divinæ conveniunt, sed exclusis omnibus imperfectionibus, quæ reperiuntur in omni generatione creaturarum; adeo ut in generatione divina omnia sint infinite perfecta: *vita* quæ est actus purissimus, *productio ex substantia generantis* quippe est ex substantia formaliter secundum se totam; *communicatio* et *unitas naturæ*, quæ natura est eadem et una numero in utroque; *principium fecunditatis*, quod est maxime intrinsecum necessario et ab æterno perfectissime in actu; *imago* et *similitudo* quæ, vi ipsius generationis, a generante in genitum perfectissime exprimitur.

Generatio divina, prouti hic generali saltem conceptu asseritur, est veritas *de fide*, eamque statuit adversus Arianos Concilium Nicænum in symbolo, quo *credimus in unum D. N. I. Christum Filium Dei, natum ex Patre, Unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.*

144. ***Demonstratur I.*** *Ex S. Scriptura.*

Ex Veteri Testamento sufficiat duo tantum eaque celeberrima testimonia allegasse. In Psalmo II legimus: *Dominus dixit ad me: Filius meus est tu, ego hodie genui te.* Quæ verba referenda esse ad Christum Dominum, tamquam ei dicta a Domino Patre eius, tum suadet indoles totius Psalmi, qui sine controversia messianicus est, tum exigit Paulus, qui in Epistola ad Hebræos (c. 1) ea verba attribuit Christo, docens nemini Angelorum dictum unquam fuisse id quod Dominus dixit Christo

(1) S. Th. I, q. 27, a. 2 Cfr. Franzelin, *De trinit.*, thes. XXX; *De incar.*, th. VII, in fine.

suo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* — Magis definite declaratur generatio divina ex substantia Patris in Psalmo CIX, ubi David, ipso Iesu Christo teste (1), Messiam vocat Dominum suum et de eo ait: *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis... Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante Luciferum genui te.* Hunc locum Patres unanimi consensu interpretantur absque ulla ambiguitate de æterna generatione Filii Dei, et nominatim eum adhibent adversus Arianos, ut demonstrent Filium vere genitum ex ipsa substantia Patris.

In Novo Testamento frequentius declaratur, relationem inter primam et secundam personam non solum esse indeterminate relationem principii et procedentis, sed determinate relationem *Patris* et *Filii*, et quidem per *veram generationem ex substantia* Patris. Dicitur enim *Pater proprius Filii* (Jo. v, 18) et *Filius proprius Patris* (Rom. VIII, 32), vel etiam expressius *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (Jo. I, 14, 18 ; III, 16). Item ratio Filii sæpius reciprocatur cum ratione imaginis Patris. Filius enim dicitur a Paulo *Imago Dei* et *splendor gloriæ et figura* seu *character substantiæ ejus* (2).

145. ***Demonstratur II.*** *Ex Traditione.*

Traditionis doctrinam satis clare proferunt symbola omnia. Etiam ante Conc. Nicænum in symbolo Apostolico dicebatur: *Credo in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Si Christus est *Filius* Dei et quidem *unicus*, jam est Filius non adoptione sed vera generatione. — Id quod diserte declaraverunt SS. Patres, inter quos Basilius: *Ex Patre Filius, non mandato factus, sed ex illius natura genitus* (3); et Ambrosius : *Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quam de paterno pectore, et ut ita dixerim de utero cordis Dei credimus natum* (4). Ratio similitudinis ad Patrem, tanquam ratio propria Filii, ita indicatur ab Athanasio : *Porro cum imaginem appellas, Filium significas ; quid enim simile Deo esse potest, nisi orta ex ipso progenies ?* (5). Hanc autem divinam generationem perpe-

(1) Matth. XXII, 43, 44.
(2) Colos. I, 15; Heb. I, 3.
(3) Hom. 24, n. 4, *cont. Sabell.*
(4) *De Fid. Orthodox.*, c. 2.
(5) *De Decr. Synod. Nic.*

tuam esse atque perfectam, docet Epiphanius : *Semper perfectus ille Pater est, atque subsistens, ut et perfectus semper Filius, semperque subsistens, vere a Patre genitus* (1). Imo ex Damasceno adeo perfecta est in Deo *paternitas* et *filiatio*, ut *vera* paternitas et *vera* filiatio, secundum pleniorem rei significationem, nonnisi in Deo esse dici debeant. Ait enim, si ordo obiectivus rerum spectetur potius quam ordo logicus nostræ cognitionis, *nomina paternitatis, filiationis, processionis non a nobis ad beatam Deitatem translata esse, sed contra illinc nobis communicata, quemadmodum Apostolus ait* (Eph. III, 15 : « *Flecto genua ad Patrem.... a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur* » (2). Varias demum divinæ paternitatis perfectiones complectitur Gregorius Nazianzenus, dicens quod Deus *proprio et singulari modo* Pater est, non sicut corpora ; quod *solus* est Pater, non enim ex coniunctione ; quod *solius* nempe Unigeniti ; quod *solum*, non enim ipse, priusquam Pater esset, Filius fuit : quod *in totum et totius* Pater est, id quod de nobis certe affirmari non potest (3).

Obiicitur 1.° — (*apud S. Th. I, 27, 1)* Procedere ab alio repugnat primo principio, quia importat prius et posterius et dependentiam. Sed Deus est primum principium. — R. Deus est primum principium rerum omnium, ratione essentiæ absolutæ. Atqui hæc *eadem* est tam in procedente quam in non procedente. Ergo persona quæ in Deo *procedit* ad intra processu intelligibili adhuc remanet primum principium. — Prioritas et posterioritas nec non dependentia quæ locum habet in Deo, est *originis* seu *relationis*, unde nulla prioritas aut effectio novæ substantiæ, aut indigentia fingenda est. Origo non est nisi *respectus ad alterum*, realis realitate essentiæ absolutæ, cum qua identificatur, unde qui procedit distinguitur a suo principio solum in quantum est aliquid relativum. Ibi unice concipiendum est *esse ab alio* in eadem numero essentia atque *relatio principii* et *relatio principiati*, quæ relationes sunt omnimode simul : duratione, natura, intellectu, dignitate.

Obiicitur 2.° — Generatio dicit imperfectionem, seu est perfectio mixta, dicit transitum de non esse ad esse etc. — R. Generatio non dicit imperfectionem de se, ex genere suo; sed ex modo quo in creaturis contingit. Siquidem omne genitum est de substantia generantis, quare in creaturis non est possibilis generatio, nisi quæ sit secundum decisionem seu *divisionem* et multiplicationem substantiæ ; hinc nulla est possibilis in angelis, cum in ipsis multo minus possibilis sit generatio propria Dei. Si igitur generatio in Deo, utpote purissimo actu, omni motu et successione experte, eminentiori modo verificatur, ab ea removendæ sunt imperfectiones quæ generationem in creatis comitantur : sicut si dicatur quod id

(1) *Hær.* 62, n. 2.
(2) *De Fid. Orthod.*, l. I, c. 8; cfr. S. Thomam, *Sum. th.*, I, 33, 2 ad 4.
(3) *Oratio* XXV, *in laudem Heronis philosophi*, n. 16.

quod concipitur nondum est, quod generatio est ex duobus principiis, et quod genitus constituitur extra generantem.

Obiicitur 3.° — S. Ioannes asserit se vidisse gloriam Christi *quasi Unigeniti*. Non est igitur perfecta et propria generatio Filii. — R. Knabenbauer in h. l.: « *Quasi*, ὡς, sæpe notionem exhibet: *talis qualis*, et ea notione particulam hic esse accipiendam patet, quia evangelista de Verbo incarnato loquitur et probare vult in homine illo talem esse manifestatam et visam gloriam et maiestatem, qua ostenderetur palam eum esse Unigenitum a Patre ».

Thesis XXIV. — *Spiritus Sanctus non generatur, sed procedit non solum a Patre, verum etiam a Filio, tanquam ab unico principio.*

146. ***Declaratio.*** — Tria proponuntur *a*) processionem Spiritus Sancti non esse generationem; *b)* Ipsum vero procedere non modo a Patre, sicuti græci schismatici contendunt, sed etiam a Filio; *c)* Patrem tamen et Filium constituere unum principium Spiritus Sancti. Hæc omnia sunt *de fide*, prouti confitetur Ecclesia in symbolis, sicuti in Athanasiano: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens;* et prouti definivit in Concilio Florentino: *Quia Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et una spiratione procedit.*

147. ***Prima pars.*** — *Spiritus S. non generatur.*

I. Ex S. Scriptura. — In Scripturis *a*) Spiritus Sanctus, tum ubi singillatim nominatur, tum ubi connumeratur cum aliis personis divinis, constanter designatur ut *procedens* quidem, sed nunquam ut procedens *tanquam Filius*. Dicitur enim *Spiritus Patris, Spiritus Filii, Spiritus Dei, Spiritus Christi* ita, ut plane distinguatur sicut a Patre, ita etiam a Filio quatenus Filius est, unde Ipse nullo modo sit Filius, sed in consortio Patris et Filii appellatione distincta *Spiritus Sanctus* vocetur: *In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — *b)* Filius Dei, sicut dicitur genitus, sic etiam dicitur *unigenitus, unigenitus a Patre*. Ita passim. Nec ergo plures sunt Filii Dei naturaliter ab eo geniti, nec Spiritus Sanctus Filius aut genitus dici potest.

II. Ex Patribus. — Patres pariter unanimi consensu asserunt, Filium Dei *unigenitum* esse: *quia ipse solus est fructus*

paternus, unde: *non est ea ratione unigenitus, quod solus existat, sed quod solus naturaliter genitus sit.* Ita Cyrillus Alex. (1), cui respondent illa Damasceni: *Unigenitus, quod solus ex solo Patre singulariter est genitus* (2). Directe autem Patres negant, Spiritum Sanctum esse Patri sive *compatrem*, aut *confratrem*, sive *filium* aut *nepotem*, negantque esse Filio sive *avum* aut *propatrem* aut *patruum*, sive *fatrem*, sive *genitum*. Ita Athanasius, Cyrillus, Gregorius Naz., Epiphanius aliique.

148. ***Secunda pars.*** — *A Patre Filioque procedit.*

Quoniam Græci suam sententiam de Spiritu Sancto procedente a solo Patre probare conantur ex Scripturis, Conciliis et Patribus; tum ex iisdem fontibus contra defendimus, Spiritum Sanctum non solum a Patre sed simul etiam a Filio procedere.

I. Ex S. Scriptura. — Licet in Scripturis expresse hæc veritas non habeatur, potest tamen evidenter inde deduci. Probatur ***primo*** ex Io. xvi, 13 et seq., ubi Christus de promisso Spiritu veritatis, qui a Patre procedit, ait: *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur; et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de* meo accipiet, *et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.* Ex quibus duplex sequitur argumentum: — *a)* Persona divina nihil accipit nisi ab ea, a qua procedit; sed Spiritus Sanctus accipit a Filio quod loquatur et annuntiet fidelibus, ut patet ex illis verbis: *Non enim loquetur a semetipso, de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Ergo procedit a Filio (3). — Insuper *b)* Christus adiungit rationem cur Spiritus de iis, quæ sua sunt, accipiat: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea*, i. e. ex hac ratione, *dixi: quia de meo accipiet.* Videlicet quidquid habet Pater, habet et Filius, excepta paternitate, ut exponit Augustinus: sed Pater habet quod spirat seu producit Spiritum Sanctum. Ergo etiam Filius habet, ut ab eo Spiritus Sanctus spiretur et procedat.

Idem dogma probatur ***secundo*** ex eo, quod Spiritus Sanctus sæpe dicatur *Spiritus Filii*, et *Spiritus Christi*, sicuti et dicitur

---

(1) *Thesaurus de Sancta et Consubst. Trinitate.*

(2) Lib. I, *De fide orthod.*, c. 9 (al. 8).

(3) Notitia et scientia, quæ ab una Persona alteri communicatur, non est qualitas aliqua accidentalis, sed ipsa divina essentia, quæ ideo dicitur communicari, quia *unus relativus est ab alio relativo*, in identica divinitate.

Spiritus Patris, Spiritus Dei. Nemo negare potest, et schismatici ipsi non negant, per locutiones *Spiritus Dei*, *Spiritus Domini*, *Spiritus Patris* Spiritum exprimi spiratum a Deo, a Domino, a Patre, sicuti fere ipsa grammatica significatio exigit. Atqui ita passim et pari relatione dicitur *Spiritus Filii* (Gal. IV, 6), *Spiritus Christi* (Rom. VIII, 9), *Spiritus Iesu* (Act. VI, 7). Ergo per has quoque locutiones, Spiritum esse a Filio spiratum, exprimitur.

Probatur ***tertio*** ex eo, quod Spiritus *a Filio mittitur*, sicuti mittitur a Patre. *Ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*, ait Christus Dominus: *Si abiero, mittam eum ad vos* (1). Atqui persona divina proprie non mittitur, nisi ab eo, a quo procedit; missio enim omnis indicat et quod missus discedat, procedat et quod a mittente aliquid accipiat, quod cum in divinis esse nequeat imperium aut consilium, remanet sit ipsa processio et origo personæ missæ ab ea, quæ mittit. Ergo Spiritum Sanctum a Patre et a Filio mitti, nihil aliud est quam ab utroque procedere; sicut Filium mitti a Patre, nihil aliud est quam Filium ab Eo nasci. Ita Augustinus lib. 4 de Trinit. c. 10. — Quod si Christus ipse dicitur aliquando mitti a Spiritu Sancto, intelligi debet formaliter ut homo, qui a Spiritu Sancto ungitur et mittitur ad munia Redemptoris.

II. Ex Conciliis. — Priora, quæ de processione Spiritus Sancti silent, huic tamen veritati non obstant; cetera eam diserte confirmant. Et revera si in primo concilio generali, quod fuit Nicænum, illud tantum de Spiritu Sancto legitur: *Credo... et in Spiritum Sanctum*, ratio fuit, quia nondum quæstio de processione Spiritus Sancti exorta fuerat; idque pro more Conciliorum, quæ definitiones non edunt nisi occasione hæresum subnascentium. Hinc Concilium generale II, quod Constantinopoli habitum fuit contra Macedonium (2), symbolo addidit tantum quod Spiritus Sanctus *a Patre procedit*, nulla facta mentione Filii, quia illud tantum negabant Macedoniani, asserentes, Spiritum Sanctum esse creaturam a solo Filio productam. Cetera vero Concilia generalia, Ephesinum, Chalcedonense, Cp.tanum II et III, Nicænum II et Cp.tanum IV, licet de processione Spiritus etiam a Filio nil symbolo addiderint, attamen approbarunt synodicam epistolam Cyrilli Alex. ad Nestorium, in qua proces-

(1) Io. XV, 26; XVI, 7.

(2) Sub Damaso papa et Theodosio M. imperatore.

sio illa diserte asseritur hisce verbis: *Spiritus appellatus est veritatis, et veritas Christus est: unde ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Imo in ultima sessione Concilii Cp.tani IV diserte dicitur Spiritus Sanctus *a Filio et a Deo Patre procedere* (1).

Deinceps idipsum aperte definitum est in conciliis Lateranensi IV, Lugdunensi II et Florentino; quibus et græci interfuerunt et consenserunt. Sed iam antea id statutum fuerat in conciliis particularibus. Inter ea, synodus Seleuciæ in Mesopotamia circa annum 410 celebrata in canone 2° hæc habet: *Confitemur in Spiritum vivum et Sanctum, Paracletum vivum de* Patre et Filio (2). In concilio Toletano II. (an. 447) quod, iubente Leone Magno et iuxta fidei normas ab eo probatas, habitum est contra Priscillianistas, edita fuit fidei regula, quæ bis diserte profitetur, quod Spiritus est *a Patre Filioque procedens* (3). Item in Concilio Toletano III.

III. Ex Patribus et ex ratione theologica. — Ex latinis citari solent Tertullianus, Hilarius, Marius Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Leo Magnus, Fulgentius, Gregorius Magnus (4). — Ex græcis etiam, quorum hic auctoritas plurimum valere debet, patres unanimi consensu et totidem verbis docent Spiritus Sancti processionem *ex Patre et Filio*, aut *ex Filio sicut ex Patre.* Epiphanius in Ancorato (5) ait: *Ex eadem essentia Patris ac Filii Spiritus Sanctus;* item: *Spiritus Dei et Spiritus Patris et Spiritus Filii... in medio Patris et Filii ex Patre et Filio tertius appellatione.* Et in opere de Hæresibus iterum ait: *Spiritus ex ambobus,* scilicet Patre et Filio; illudque Christi Domini: *de meo accipiet,* explicat de processione Spiritus etiam a Filio (6). Idem diserte, modis loquendi et argumentis multiplicibus, docent Athanasius, Cyrillus Alex., Basilius, Gregorius Nyssenus, aliique. Inter hos Basilius l. 3 contra Eunomium habet: *Ut Filius ordine est secundus a Patre, quoniam ab eo est, et dignitate, quoniam principium et causa existendi ipsi Pater est...; eodem modo Spiritus Sanctus posterior Filio est ordine et dignitate.* Quibus verbis argumentum indicat validissimum, quo processio

(1) Labbeus t. III. p. 405.
(2) Vide Franzelin, *De trinit.*, p. 485.
(3) Franzelin, p. 475; cfr. Denzinger, n. 98.
(4) Petav., l. VII, c. 8.
(5) N. 7, 8; 70, 71, 72.
(6 *Hær.* LXXIV, 78, 10. Hoc opus etiam dicitur *Panarium.*

Spiritus Sancti etiam e Filio demonstretur ex ipso revelato intrinseco personarum ordine, qui non potest esse nisi *ordo originis* (1).

Nota. — Quod vero frequentius Doctores et Patres orientales dicant, Spiritum Sanctum *procedere a Patre per Filium*, id pertinet non modo ad idem dogma exprimendum, sed etiam ad illud explicandum, videlicet Spiritum Sanctum procedere a Patre tanquam a fonte primordiali, qui est principium non de principio et qui vim spirativam communicat etiam Filio; et procedere per Filium tanquam ab eo, qui vim spirativam habet generatione communicatam ab ipso Patre (2).

Hac formula illud insinuatur argumentum, quod ex ea ipsi Patres Florentini colligere videntur (3) et huc redit : Quæcumque habet Pater in divinis, excepta ratione *ingeniti* et *paternitate*, communia sunt cum Filio: *omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Sed Pater in divinis habet potentiam spirandi tertiam personam: ergo potentia hæc communis est cum Filio.

Hinc aliud sponte nectitur argumentum: Personæ divinæ non distinguuntur nec possunt distingui nisi per relationes oppositas, uti paternitatis et filiationis; sed si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, hi non haberent ad invicem relationem oppositam. Ergo non distinguerentur inter se realiter.

149. ***Tertia pars.*** — *Spiritus S. a Patre Filioque procedit tanquam ab unico principio.*

I. Ex S. Scriptura. — Quod Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti, seu unus spirator, Scripturæ satis clare insinuant, ubi exhibetur Filius ut unum cum Patre in eo, quod est mittere Spiritum Sanctum: *Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis* (Io. xv, 26); *quem mittet Pater in nomine meo* (Io. xiv, 26). Item quemadmodum Spiritus dicitur a Patre mitti, vel a Filio, vel ab uno per alium, ita complexe dicitur *Spiritus, qui ex Deo est* et *Deus dedit Spiritum suum Sanctum in nobis;* et pariter sicut appellatur *Spiritus Patris*, *Spiritus Filii;* ita

(1) Franzelin, th. XXXIII.

(2) Hoc sensu sumuntur verba Damasceni: « *Ex Filio Spiritum S. non dicimus* » ea scilicet protulit, ut non videretur Filio adscribere rationem primi principii ad intra.

(3) In periodo ultima decreti Unionis.

complexe vocatur *Spiritus Dei*. Ergo ordo Spiritus Sancti ad Patrem et Filium est quatenus hi duo sunt unus Deus et unum principium (1).

II. Ex Patribus et ratione theologica. — Apud Patres solemne est docere, quod in processione principium sit unum, sicut in creatione. Videlicet, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt relate ad creaturas unus Creator; ita Pater et Filius relate ad Spiritum Sanctum sunt unus Spirator. Ita fere Augustinus: *Sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relatus unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum, unum principium* (Lib. V, De Trin. cap. 14). — Ratio est ea, quæ expresse habetur in concilio Florentino, et apud Anselmum ubi dicit: *in divinis omnia esse unum, ubi non obviat relationum oppositio* (2). Atqui Pater et Filius relative non opponuntur in hoc, quod sint principium Spiritus Sancti. Ergo sunt unum principium Spiritus Sancti. Hinc non recte quis diceret *nomine substantivo*, quod Pater et Filius sint duo spiratores, sicuti tres personæ dici nequeunt tres dii. Attamen dici possunt *nomine adiectivo* duo spirantes, sicuti tres personæ dici possunt tres divini (3).

Dices 1.° — Spiritus S. vere generatur, est enim vivens a vivente principio coniuncto, in similitudinem naturæ et revera Patres eum vocant *imaginem, verbum* et *mentem* Filii. — R. Procedit quidem similis in natura et tam similis quam Verbum, non tamen, sicut Verbum, procedit *in similitudinem naturæ,* quia hoc non clauditur *in ipsa formali ratione processionis amoris,* secundum quam Spiritus S. a Patre Filioque procedit. Hinc quando Patres dicunt Spiritum S. *imaginem* Filii, asserunt eius æqualitatem, quæ consubstantialitatem consequitur; cum autem ipsum vocant *verbum* vel *mentem* Filii, loquuntur de eius missione ad extra, qua Sp. S. dicit ea quæ a Patre Filioque procedens audivit. — Cf. Billot p. 56 et Franzelin p. 449.

Dices 2.° — Spiritus S. a Patre solo procedit, sicut ex. g. testatur Io. XV, 26: « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me ». — R. Per hoc quod affirmatur Sp. S. a Patre procedere, non excluditur processio etiam a Filio, quæ ceteroquin insinuatur tum verbis, *quem ego mittam* vobis, cum missio importet

(1) Theol. Vircburg., *De Deo trino*, n. 404.

(2) Lib. *De process. Spiritus Sanct.*, c. 2.

(3) Quoniam *adiectivum* apud nos significat aliquod accidens in subiecto seu supposito, sic, ut ipsum *in plurali* ponatur, sufficit pluralitas suppositorum habentium illud accidens seu formam; hinc dico: plures senatores sunt *multi* legem ferentes, dum dico: sunt *unus* legislator.

processionem, tum verbis *qui a Patre procedit*, cum esse principium Spiritus S. sit *aliquid commune* Patri et Filio.

COROLLARIUM.

Immerito Græci in Ecclesiam latinam invehunt, quod Symbolo vocem " Filioque „ inseruit.

150. Ostensa enim veritate processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, absurdum est contendere, quod non liceat eam veritatem symbolo addi a legitima auctoritate. Attamen rem tam incredibilem ut evinceret, MARCUS ephesinus cum suis sectatoribus illud pene unicum argumentum in concilio Florentino urgebat, quod videlicet synodus EPHESINA vetuerit, *alteram fidem proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.*

Sed facilis est responsio. Synodus prohibuit dumtaxat *additionem contrariam,* non autem consentaneam fidei, prouti fuit additio, quam ipsum concilium CONSTANTINOPOLITANUM iam fecerat symbolo nicæno. Vel si prohibita dici velit etiam additio consona et explicativa, sane intelligi debet ea, quæ fieret sine *necessitate* aut sine *auctoritate legitima* a privatis, prouti apparet etiam ex ipsius decreti ephesini occasione, quam dederat CHARISIUS; quod presbyter tantum ausus fuerit exhibere Patribus symbola duo, unum nestorianum damnandum, aliud sane pium et orthodoxum, sed a se confectum.

Iamvero ex probatis, additio *filioque* est omnino *consentanea* fidei, et dogma exprimit iam latens in illis symboli verbis: *qui a Patre procedit. Necessitatem* vero additionis imposuerunt hæretici, qui silentio symboli de processione a Filio abutebantur contra catholicam veritatem. Demum intervenit *legitima Ecclesiæ auctoritas* seu auctoritas Pastorum et præsertim Summi Pontificis, cui universa Ecclesia subest (1). Ad querelas ideo GRÆCORUM, quod, se non vocatis, additio illa facta fuerit, responderunt in concilio Florentino latini: imprimis non constare Græcos haud esse vocatos; dein Ecclesiam Romanam nulla

(1) Additamentum *Filioque* in Hispania primum factum est iam a seculo V, et deinceps, uti patet ex Concilio Toletano III, an. 589. Hinc in Galliam et in Germaniam mos iste transiit. Synodus ACQUISGRANENSIS (809) petiit a LEONE III, ut illa particula ab Ecclesia Romana reciperetur. Id tamen recusavit Leo ob aliquam reverentiam erga formulam antiquam. Postea recepta est, vel antea tacite, vel expresse quando S. HENRICUS imp. a BENEDICTO VIII impetravit, ut symbolum Romæ inter missarum solemnia decantaretur an. 1014. Tandem usum, qui iamdiu publicus erat in Ecclesia latina, solemni definitione approbarunt concilia LUGDUNENSE I et FLORENTINUM. Cfr. DENZINGER, n. 48.

adstringi lege ad illos vocandos; demum latinis et numerum et dignitatem suffecisse ad illam additionem faciendam.

Thesis XXV. — *Filius secundum operationem* intellectus, *Spiritus Sanctus secundum operationem* voluntatis *procedit.*

151. ***Declaratio.*** — Thesis est de modo, quo concipi debeant processiones divinæ. Licet de hac re nulla sit expressa definitio Ecclesiæ, attamen ex fontibus revelationis demonstratur, modum generationis Filii esse per *intellectum,* modum processionis Spiritus Sancti esse per *voluntatem* seu per *dilectionem.* Id quod sane intelligi debet ex proportione nostri intellectus et voluntatis.

152. ***Demonstratur pars I.*** — *Filius procedit secundum operationem intellectus.*

Argumentum evidens, quod continetur in Scripturis et in Patrum omnium doctrina, est ipsa appellatio *Verbi.* Filius enim dicitur *Verbum Patris* sensu proprio non metaphorico, et ita hæc ratio *Verbi* in universa revelatione exhibetur ut proprium nomen Filii et eius proprius character personalis, eum a Patre et a Spiritu Sancto distinguens. *Et vocatur nomen eius Verbum Dei* (Apoc. xix, 13).

Iamvero quid est verbum in creatis? Sane in nobis non modo est verbum prolatitium externum, sed etiam internum verbum mentis, quod aliud non est, quam quædam interna *dictio intellectus nostri,* qui eam intus producit intelligendo. Ergo ex hoc creato verbo assurgendo ad Verbum Dei, illud intelligimus tanquam *dictionem ad intra* divini intellectus. Videlicet Pater, sub formali ratione intellectus, intelligendo producit i. e. exprimit Verbum; seu Intellectio paterna, ex sua intrinseca necessaria ratione, habet Verbum tanquam suum terminum immanentem. Ita porro Augustinus: *Cor tuum attende... quando concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, et* ipsa rei conceptio in corde tuo iam verbum est; *nondum processit* (exterius), *sed iam natum est in corde, et manet ut procedat... Quomodo tu verbum quod loqueris, in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritualis est; nam sicut anima tua spiritus est, ita et verbum, quod concepisti, spiritus est, nondum enim sonum, ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis et in speculo mentis: sic Deus edidit Verbum, h. e. genuit Filium. Et tu quidem ex tempore*

gignis verbum etiam in corde, Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora (1). Ita alii Patres.

Ad ulteriorem rei explicationem advertas, quod in Deo ipsum *intelligere* tum accipitur *absolute* ut comprehensio omnis veri, et sic est commune tribus personis; tum idem simul accipitur *relative*, quatenus producit Verbum et est in oppositione relationis ad Verbum, tanquam producens ad productum *(dicere* et *dici)* et sic sub hac formali ratione relativi, ut exprimens Verbum, est ipsamet persona Pater (2).

153. ***Demonstratur pars II.*** — *Spiritus S. procedit secundum operationem voluntatis.*

Pariter de Spiritu Sancto ita Scripturæ et Patres generatim loquuntur, ut manifestissime proponant *amorem* et *dilectionem* tanquam eius proprium characterem. Revera: *a)* operationes omnes incarnationis, adoptionis, gratiæ, sanctificationis et generatim quæ ex infinita Dei caritate sunt vel ad caritatem ordinantur, ipsi nominatim Spiritui Sancto solent *appropriari*. Licet vero operationes huiusmodi ad extra sint communes toti Trinitati; attamen si appropriantur uni personæ, id certo fit ex aliqua peculiari analogia cum charactere proprio ipsius personæ. — *b)* Idem confirmatur ex ipso nomine *Spiritus* quo in Scripturis et a Patribus vocatur. *Spiritus* enim, quia est nomen relativum ideoque desumptum ex processione, idem est ac *spiratione productus*. Atqui spirationes in natura spirituali, prouti est Deus, non possunt esse nisi per intellectum et voluntatem: spiratio autem tertiæ personæ non est per intellectum, quippe ita spiratur, ut non sit verbum. Ergo Spiritus ea spiratione procedit, quæ est per voluntatem, seu per dilectionem. — *c)* Magis adhuc determinatur specialis character amoris per constans epitheton « Spiritus *Sanctus* ». Formalis enim ratio sanctitatis divinæ est

---

(1) S. Aug. in Io., tract. XIV, n. 7 et alibi. Cfr. S. Thomas, *Sum. th.*, I, q. 34; *C. Gent.*, l. IV, c. 11; *De pot.*, q. 7, art. 6. Verbum est terminus actionis intellectus. Hinc distinguitur ab obiecto intellecto, a specie impressa, ab ipsa actione intellectiva, et est ipsa *species expressa* cum duplici respectu, tum ad mentem, a qua dicitur, tum ad obiectum, quod repræsentat.

(2) Hoc modo distinguitur *intelligere essentiale, absolutum* commune tribus ab *intelligere notionali, relativo* proprio uni Patri, non quasi in Patre duplex esset intelligere, sed quia unum idemque intelligere simul est absolutum (intellectio omnis veri) et, per hoc ipsum, relativum (expressio Verbi). Vide Franzelin, thes. XXVIII, p. 416.

infinitus amor boni divini. — *d)* Rem demum luculentissime declarant Patres, ubi notionem Spiritus Sancti in eo ponunt, quod est *Sanctitas, Suavitas, Bonitas, Caritas, Donum*, et disertius quod est *Amor* seu *Bonitas* seu *Sanctitas* Patris et Filii, quatenus per mutuam et unam dilectionem amborum procedit. Ita S. Augustinus : *Spiritus Sanctus est... ille quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat* (1).

Iamvero quomodo procedit amor in spiritu creato? In nobis, sicut verbum internum procedit ut terminus intellectionis, ita amor immanens procedit ut terminus actionis diligendi. Ergo ex hoc creato amore assurgendo ad Amorem subsistentem Dei, illum intelligimus ut terminum divinæ dilectionis, quæ est mutua et una dilectio Patris et Filii. Terminus intrinsecus huius dilectionis, ut Amor expressus, est Spiritus Sanctus.

Quod de intellectione, idem de dilectione est advertendum, scilicet eam tum *absolute* spectari posse, prouti est una dilectio communis tribus personis, tum relative *(spirare* et *spirari)* prouti *spirare* est in Patre et Filio una utriusque actio diligendi, et *spirari* est ipsius actionis diligendi terminus, seu ipse Spiritus Sanctus.

COROLLARIA.

154. Imago Trinitatis in spiritu creato.

Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimode, aut videlicet per *vestigium* aut per *imaginem;* prouti vel solam causalitatem vel etiam similitudinem causæ in se referat. Cum autem processiones divinarum personarum sint secundum actus intellectus et voluntatis, sicut supra dictum est, tum in creaturis rationalibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum *imaginis,* in quantum invenitur in eis *verbum conceptum,* et terminus seu *effectus* actus *amoris.* Nam sicut spiritus creatus, intelligendo seipsum, producit in se verbum sui i. e. *sui intellectualem expressionem,* seu efformat vitalem imaginem suimetipsius, quem intelligit: ita Deus Pater intelligendo seipsum producit Verbum, seu vitalem imaginem sui ipsius, nempe Filium, qui est imago

(1) *De Trinit.,* l. VI, c. 5.

Dei invisibilis. Rursum spiritus creatus, eo ipso quod se intelligit, se ita intellectum etiam diligit et se diligendo producit vitalem propensionem in semetipsum amatum. Ita pariter eo ipso, quod Pater se intelligendo producit Verbum, Pater et Verbum suam essentiam ita intellectam etiam diligunt, et se diligendo producunt Spiritum Sanctum, qui est quasi vitalis propensio seu inclinatio in essentiam amatam. — Hoc tamen discriminis interest, quod terminus, qui per intellectum et voluntatem producitur in spiritu creato, est accidens et transiens; in Deo est permanens et substantia. Non sunt tamen in Deo tres substantiæ, sed una eademque substantia, quæ tota eademque numero communicatur a Patre in Filium, ab utroque in Spiritum Sanctum.

Hæc porro imago divinæ Trinitatis in anima humana attenditur primo secundum *actus* verbi et amoris; verum secundario etiam secundum *potentias*, prouti ordinem habent ad actus. Hinc, Augustino doctore, Divina Trinitas expressa communiter dicitur tribus animæ humanæ potentiis *memoria, intelligentia* et *voluntate*. Memoria est ipsa *mens informata speciebus habitualibus*, ex qua, sicut ex habitu, oritur actus intelligendi; proindeque est apta ad exprimendum Patrem (1). Intelligentia est mens *in actu intelligendi*, proindeque apta ad exprimendum Verbum. Voluntas est ipsa *actualis volitio* seu dilectio Spiritum Sanctum exprimens. Unde Augustinus quandoque assignat imaginem Trinitatis in anima secundum hæc tria: *mens*, *notitia*, *amor* (2).

---

(1) Memoria intellectiva non differt realiter ab intellectu possibili, sed est habitualis retentio specierum ipsius. S. Thomas, I. q. 79, 7; q. 93, 7 ad 3.

(2) Franzelin, th. XXVII; S. Thomas, *Sum. th.*, I, q. XLV, a. 7; *Comp. theol.*, c. 45, 48, 50, 52. Quo postremo loco angelicus Doctor sic præclare ait: « Oportet concedi Deum esse, ut *existentem in sua natura* (ut primam personam a nullo procedentem et ut fontem Trinitatis), et *intellectum*, et *amatum a se ipso*... Sic in homine tria quædam considerari possunt, id est homo *in natura sua existens*, et homo *in intellectu existens*, et homo *in amore existens* ». Est tamen attendendum maximum discrimen. Ait enim S. Doctor, quod in homine « hi tres non sunt unum, quia intelligere non est eius *esse*, similiter autem et amare, et horum trium unus solus est res quædam subsistens, scilicet homo in natura sua existens. In Deo autem idem est *esse*, *intelligere* et *amare*. Deus ergo in Esse suo naturali existens et Deus existens in Intellectu, et Deus existens in Amore suo, unum sunt; unusquisque tamen eorum est subsistens. Et quia res subsistentes in intellectuali natura personas Latini nominare consueverunt, Græci vero hypostases; propter hoc in Divinis Latini dicunt tres personas, Græci vero tres hypostases; Patrem scilicet et Filium et Spiritum Sanctum ».

Item S. Bonaventura: « Omnis creatura vel est ad Dei *vestigium* tantum,

155. Cur duæ tantum processiones.

Divinæ processiones accipiuntur secundum operationes immanentes: at in natura mere intellectuali, qualis est divina, sunt duæ tantum operationes immanentes, nempe intelligere et velle. — Per intellectum autem verbum nonnisi unum, et per voluntatem amor nonnisi unus in Deo procedere potest. Est enim magna differentia inter nos et Deum quoad has operationes immanentes. Nos non possumus uno actu omnia intelligere, nec uno actu omnia velle, unde plura verba concipimus et multiplices actus amoris elicimus. At Deus unico infinito actu omne verum intelligit, et unico et infinito actu omne bonum amat. Et ideo est unicus, isque infinitus, terminus intellectionis, seu unicum Verbum; ideo est unicus, isque infinitus, terminus dilectionis, seu unicus est Amor procedens (1).

156. Curnam processio Filii sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti.

Ratio receptissima videtur hæc esse, quod generationis proprium sit ut *vi productionis* sequatur similitudo producentis in eum, qui producitur. Hoc posito, utique Verbum vi suæ originis procedit simile Patri producenti, quia procedit per intellectum; quod enim producitur per intellectum et dicitur verbum mentis, nihil aliud est quam vitalis imago rei intellectæ. At Spiritus Sanctus, tametsi procedat etiam similis Patri et Verbo spiranti, non tamen hoc habet ex vi et modo suæ processionis. Producitur enim per voluntatem; quod producitur per voluntatem,

---

sicut est creatura corporalis, vel est ad Dei *imaginem,* sicut est creatura rationalis. Utraque istarum testificatur Trinitatem, sed illa, quæ tenet rationem *vestigii,* quasi *de longinquo.* Habet enim omnis creatura modum, speciem et ordinem, sive unitatem, veritatem et bonitatem, sive mensuram, numerum et pondus; quæ per *appropriationem* correspondent Trinitati personarum... Illa vero creatura, quæ tenet rationem *imaginis,* utpote intellectualis, Deum esse trinum testatur quasi *de propinquo,* quia *imago* est expressa similitudo. Habet enim creatura intellectualis *memoriam, intelligentiam* et *voluntatem,* seu *mentem, notitiam,* et *amorem:* mentem ad modum *parentis,* notitiam ad modum *prolis,* amorem ad modum *nexus ab utroque procedentis* et utrumque connectentis; non enim potest mens non amare verbum, quod generat. In iis autem non tantum attenditur *origo* et emanatio, per quam est in eis distinctio, verum etiam *æqualitas* et *consubstantialitas* et *inseparabilitas,* ex quibus expresso testimonio clamatur Deum esse trinum ». *Qd. de myst. Tr.,* q. I, a. 2 in respons.

(1) S. Thomas, I, q. 27, a. 5; Becanus, *Tract. De SS. Trinit.,* cap. I, quæst. 3; Franzelin, th. XXVIII, n. 2.

seu amor, potius quam imago rei amatæ est actualis quædam propensio seu inclinatio in rem amatam et complacentia in illa. Iam itaque uterque, Filius et Spiritus Sanctus, est Patri similis, quia uterque unam eandemque numero naturam habet cum Patre; sed Filius insuper est imago Patris etiam ex modo processionis, quia Verbum exprimitur formaliter ut substantialis similitudo Patris; id quod Spiritui Sancto non contingit (1).

SCHOLION.

Quorum obiectorum intellectione et dilectione Verbum et Spiritus Sanctus procedant.

157. Ut statuamus quorum obiectorum intellectione procedat Verbum, prænotamus obiecta, quæ uno simplicissimo actu divinæ scientiæ comprehenduntur, alia esse necessaria, alia contingentia. Ad necessaria obiecta pertinent essentia et attributa Dei, divinæ personæ, divinæ essentiæ imitabilitas *ad extra*, seu rationes rerum in Deo æternæ, et exinde totus ordo metaphysicus possibilium in se ipsis. Ad obiecta contingentia pertinent omnia præter Deum existentia (formaliter ut existentia) pro quavis temporis differentia. Hisce præmissis, hæc tria asserimus, nempe:

1.° *Intellectio, qua procedit Verbum, est tum divinæ essentiæ cum attributis absolutis, tum trium personarum, tum omnium possibilium.* Nam, docente Augustino, « Deus non perfecte et integre seipsum dixisset, si aliquid minus esset in Verbo, quam in scientia. » Atqui in scientia Dei ea omnia necessario continentur, quæ diximus, nempe divina essentia, Personæ et possibilia. Ergo horum omnium est ea intellectio, qua Verbum procedit (2).

2.° *Dici nequit, Verbum procedere per intellectionem, quia et quatenus hæc refertur ad creaturas existentes.* - Nam Verbum procedit per intellectionem absolute necessariam; intellectio autem creaturarum existentium, seu potius relatio creaturarum existentium ad

(1) S. Thomas, I, q. 35; Becanus, ibid., q. 2; Franzelin, th. XXX, XXXI.

(2) « Pater intelligendo se et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura ». *Sum. th.*, I, 34, 1 ad 3. Difficultas, quam aliqui sentiunt ad concipiendum quomodo verbum procedat per intellectionem tum sui tum ipsius Spiritus Sancti, solvitur ex eo, quod in Deo perfecta est personarum *simultaneitas* et sola est unius ad alteram *prioritas a quo* (non *in quo*) seu prioritas originis. « In divinis dicitur principium secundum originem absque prioritate; unde oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate, et hic vocatur ordo naturæ, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero ». *Sum. th.*, I, 42, 3.

divinam intellectionem non est in se necessaria, sed solum in hypothesi, quod creaturæ pro aliqua temporis differentia existant.

3.° *Nihilominus dici potest Verbum procedere cum relatione (rationis) ad creaturas.* — Nam in intellectione, qua Verbum procedit, cum aliis obiectis necessariis continentur etiam quæcumque sunt possibilia seu ideæ et rationes æternæ omnium creabilium et totius ordinis creati. Deinde licet Verbum non procedat per intellectionem, formaliter quatenus hæc refertur ad creaturas existentes; attamen procedit per eam intellectionem, quæ dum comprehendit omnia obiecta necessaria, extenditur etiam ad obiecta non necessaria seu ad creaturas existentes. — Hinc Verbum *creaturas etiam existentes exprimit, licet non procedat, quatenus eas exprimit.* Imo eas non modo exprimit, verum etiam operatur: unde, sicut ait S. Thomas, *Verbum creaturarum est expressivum et operativum* (1). Hanc Verbi ad creaturas relationem Augustinus putavit adsignificari in ipso nomine Verbi: quod nomen, inquit, melius quam aliud dicitur, *ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt operativa potentia* (2).

158. Pene eadem dici debent de Spiritu Sancto, scilicet:

1.° Dilectio, per quam procedit Spiritus Sanctus, est dilectio omnis boni, quod Deus necessario amat. Atqui Deus necessario non amat nisi seipsum, seu necessario amat suam essentiam cum attributis omnibus, divinas personas, et suam essentiam, etiam quatenus ea est bonitas communicabilis *ad extra* per bonum participatum, maxime per participatam sanctitatem. *Ergo dilectio, per quam Spiritus Sanctus procedit, est dilectio divinæ essentiæ, divinarum personarum et divinæ bonitatis ut communicabilis ad extra.*

Mysterium autem ita concipi potest: Pater diligendo seipsum et Filium et Filius seipsum et Patrem diligendo producunt Spiritum Sanctum; id quod Patres indicant, quando aiunt *mutua dilectione* Patris ac Filii Spiritum Sanctum produci. Ubi advertas, dilectionem hanc esse unam numero dilectionem substantialem, quæ habet utramque

(1) « Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentativum omnis eius, quod actu intelligitur... Sed quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva; ita Verbum Dei, eius quod in Deo Patre est, est expressivum tantum; creaturarum vero est expressivum et operativum; et propter hoc dicitur in Ps. XXXII: *Dixit et facta sunt;* quia importatur in Verbo ratio factiva eorum quæ Deus facit. » *Sum. th.*, I, 34, 3.

(2) L. qq. 83, q. 63 apud S. Thomam, l. c. Nomine *Verbi* melius exprimi omnes respectus Iesu Christi devote adnotat Nouet, *Médit. sur la vie cachée de I. Ch.;* tom. I, pag. 34.

personam pro obiecto, tum quatenus unum sunt essentia, tum quatenus distinguuntur hypostasi. Hæc autem ipsa dilectio velut reflexe pro obiecto habet etiam seipsam, ut producentem, simulque ut æternaliter procedentem, seu ut est Spiritus Sanctus. Cum vero trium personarum essentia, sub ratione bonitatis, sit infinite communicabilis *ad extra;* tum illa spiratrix divina dilectio, quoniam omnes necessarias divinas amabilitates comprehendit, hanc etiam complectitur, qua Deus est bonitas a creaturis indefinite participabilis.

2.° Licet Spiritus Sanctus procedat per hanc dilectionem, quæ est etiam divinæ bonitatis ut communicabilis *ad extra; attamen dici nequit procedere per amorem creaturarum sive possibilium sive existentium.* Creaturarum possibilium intellectio est necessaria, proindeque Verbum etiam per hanc intellectionem procedit; sed amor creaturarum in Deo nullus est absolute necessarius. Nam si amor Dei *ad extra* sumitur ut voluntas conferendi bonum actuale, evidenter dici non potest, Deum amare mere *possibilia*, eo ipso, quod ea relinquit in statu possibilitatis. Amor autem Dei ad creaturas sive actu producendas, sive productas est amor non necessarius, sed consequens liberum decretum earundem creationis.

3.° *Veruntamen sicut Verbum, ita et Spiritus Sanctus procedit cum radicali respectu ad creaturas,* eo ipso, quod procedit ut dilectio etiam bonitatis divinæ communicabilis *ad extra*; et ita Amor Spiritus Sanctus ex ipso modo processionis est bonitas procedens ac *donum* velut in actu primo, videlicet *donabile* creaturæ rationali per sanctificationem et ad sanctificationem eius (1). Dilectio, qua procedit Spiritus Sanctus, etiam ad creaturas refertur, licet Spiritus Sanctus non procedat *quia* et *quatenus* diligit creaturas (2).

---

(1) « Sicut Pater dicit se et omnem creaturam Verbo quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem et omnem creaturam; ita diligit se et omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se et omnem creaturam ». S. Thomas, *Sum. th.*, I, 37, 2 ad 3; cf. 28, 2.

(2) Ex iis, quæ supra probavimus et explicavimus, intellige multiplicem errorem, qui continetur in secunda parte rosminianæ prop. 26: « Verbum quatenus obiectum amatum et non quatenus Verbum, idest obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti ». Porro 1° Verbum non est obiectum cognitum seu intellectum, sed potius est ipsa intellectio et exactius ipsius paternæ intellectionis terminus immanens *(dici)*. Item 2° Spiritus Sanctus non est obiectum amatum, sed potius ipsa dilectio seu terminus immanens mutuæ Patris et Filii dilectionis *(spirari)*. 3° Obiectum huius divinæ dilectionis, qua producitur Spiritus Sanctus, non est Verbum tantum, sed omne omnino bonum, quod Deus necessario amat: sicuti et obiectum divinæ intellectionis, qua generatur Verbum, est omne omnino verum, quod Deus necessario intelligit.

CAPUT IV.

DE CONCEPTU SS. TRINITATIS UBERIUS ILLUSTRATO.

159. Ex doctrina de divinarum personarum processionibus plura consequuntur, quæ maxime inserviunt ad illustrandum et complendum SS. Trinitatis conceptum. Ea consectaria distinctis paragraphis complectemur ita, ut ex ordine loquamur: 1° *de relationibus divinis*, 2° *de notionibus divinis*, 3° *de perichoresi* seu *de circuminsessione*, 4° *de missione personarum*, 5° *de communitate* et *appropriatione*.

I. *De relationibus divinis.*

160. ***Relatio*** generatim est *ordo sive respectus unius ad alium terminum*. Porro in Deo aliæ sunt *relationes ad extra*, quibus Deus refertur ad creaturas; aliæ *ad intra*, quibus divinæ personæ ad se mutuo referuntur. Relationes ad intra iterum aliæ sunt *communes* tribus simul personis, eæque non reales, sed rationis tantum ut identitas, similitudo, æqualitas; aliæ sunt *propriæ* singulis personis, et dicuntur *relationes originis*.

161. ***Numero*** relationes originis quatuor sunt in Deo. Ex origine Filii a Patre duplex fit relatio: *Generantis ad genitum* seu *paternitas; geniti ad generantem* seu *filiatio*. Ex origine Spiritus Sancti a Patre Filioque iterum duplex exsurgit relatio: *Principii spiratoris ad spiratum* seu *spiratio activa; spirati ad spiratorem* seu *spiratio passiva*, quæ et simpliciter dicitur *processio*.

Reales sunt huiusmodi quatuor relationes. Ratio est, quia tres personæ realiter distinguuntur per has ipsas relationes, nimirum Pater et Filius per paternitatem et filiationem, Spirator et Spiritus Sanctus per spirationem activam et processionem. Ergo ipsæ relationes sunt reales. Non enim distinctio realis fieri potest per entia rationis (1).

Quia vero reales, ideo hæ relationes sunt *substantiales*, seu quælibet relatio est ipsamet *divina substantia*, formaliter ut relativa. Etenim si in creatis relatio realis est accidens in subiecto, id esse nequit in Deo, in quo nullum est accidens. Unde intelligitur etiam, quod relationes huiusmodi non debeant con-

(1) S. Thomas, I, q. 28, a. 4.

siderari tanquam realitates *superadditæ* ad substantiam divinam, sed potius tanquam ipsa realitas divinæ substantiæ sub formali ratione ac functione relativorum (1).

162. ***Quomodo distinguantur*** tum ab essentia, tum inter se divinæ relationes, concluditur ex illo axiomate: *Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Videlicet distinguuntur realiter tantum, *ubi obviat oppositio;* ideoque *realiter* distinguuntur tum paternitas et filiatio, tum spiratio activa et passiva; quâ postremâ distinctione continetur *realis* distinctio spirationis passivæ a paternitate et filiatione, prouti hæ realiter identificantur cum spiratione activa. Ceterum tum relationes omnes et singulæ ab essentia, tum spiratio activa a paternitate et filiatione nonnisi *virtualiter* distinguuntur.

163. ***Relationibus quomodo ipsæ personæ constituantur*** intelligimus ex dictis. Etenim personæ eo constituuntur, quo ad invicem distinguuntur. Atqui id, quod distinguit in Deo tres habentes unam communem essentiam, est sola opposita relatio originis. Ergo sola relatio est *formalis ratio* divinæ hypostaseos seu personæ. Igitur Pater *formaliter* constituitur paternitate, Filius filiatione, Spiritus Sanctus processione seu spiratione passiva. Spiratio vero activa nullam distinctam constituit personam, quia nullam continet oppositionem relate ad Patrem et Filium, cum imo Pater et Filius sint simul unicus Spirator Spiritus Sancti, qui ideo ab utroque distinguitur.

Licet autem sola relatio opposita sit *formalis* ratio constituens personam, tamen hoc non ita concipiendum est, ac si persona constituatur sola relatione *præcisive* concepta, quin simul concipiatur essentia ita, ut e. g. Pater dicatur constitui sola paternitate *in abstracto* concepta. *Relatio* enim in divinis non est sicut accidens inhærens subiecto, sed est ipsa divina essentia; unde est *subsistens*, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat *relationem ut subsistentem*. Cum autem relatio habeat *subsistere* ex sua iden-

(1) Cf. Franzelin, th. XXII, ubi id confirmat et illustrat ex doctrina S. Thomæ, I, q. 28, 2; *Potent.*, q. 8, a. 2.

titate cum divina natura; hinc persona in divinis est ipsa *divina natura relative subsistens* vel melius est ipsa *opposita relatio in divina natura subsistens.* Et sic persona in divinis significat *relationem, per modum substantiæ individuæ* idest *hypostasis,* ut docet S. Thomas (1).

II. ***De notionibus divinis.***

164. « *Notio* dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinæ autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet *a quo alius* et *qui ab alio:* et secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod a nullo est; et sic ex hac parte eius notio est *innascibilitas.* Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter: quia in quantum Filius est ab eo, innotescit notione *paternitatis;* in quantum autem Spiritus Sanctus est ab eo, innotescit notione *communis spirationis.* Filius autem potest innotescere per hoc quod est ab alio nascendo, et sic innotescit per *filiationem;* et per hoc quod est alius ab eo, scilicet Spiritus Sanctus, et per hoc innotescit eodem modo sicut et Pater scilicet *communi spiratione.* Spiritus Sanctus autem innotescere potest per hoc quod est ab alio, vel ab aliis, et sic innotescit *processione;* non autem per hoc quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo.

« Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet *innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio,* et *processio.* Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam *innascibilitas* non est relatio, nisi per reductionem. Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam *communis spiratio* non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, idest constituentes personas, scilicet *paternitas, filiatio,* et *processio.* Nam *communis spiratio,* et *innascibilitas* dicuntur notiones personarum, non autem personales (2) ».

Itaque in Deo essentia est *una,* processiones sunt *duæ,* personæ *tres,* relationes *quatuor,* notiones *quinque.*

III. ***De circuminsessione seu perichoresi.***

165. *Circuminsessio,* quam Græci dicebant περιχώρησιν seu *circuminsessionem,* intelligitur esse intima inexistentia unius personæ

(1) *Sum. th.,* I, 29, 4.

(2) S. Thomas, *Sum. th.,* I, q. 32, a. 3.

in altera sine personarum confusione. Ad rei intelligentiam illud observandum est, quod generatim inexistentia unius in altero tum supponit *mutuam distinctionem* eorumdem, tum exprimit ea in aliquo *invicem convenire.* Ita dicuntur res omnes, quæ sunt extra Deum, *existere* seu *manere in Deo,* quatenus Deus vi immensitatis omnia implet. Quæ rerum inexistentia in Deo necessario supponit res ipsas reali infinito discrimine distingui a Deo, exprimit tamen eas cum Deo convenire secundum locum, quatenus Deus omnia loca et locata continet.

Cum igitur dicuntur tres divinæ personæ una in altera immanere et comprehendi, supponitur non iam distinctio rationis tantum, sed distinctio *realis* inter ipsas personas; simul autem formaliter significatur, has personas, quæ ad invicem distinguuntur quatenus personæ, ad invicem quoque identificari in una numero essentia: est enim propter hanc identitatem quod una persona in alia comprehenditur. Hinc distinctionis simul et identitatis modum exprimendo, dicere possumus: personæ sibi mutuo immanentes sunt, quatenus una ab altera procedit *ad intra* i. e. in identitate unius numero essentiæ. Hæc porro est vera notio *circuminsessionis,* quæ ideo describi potest: *Personarum ad intra procedentium et realiter distinctarum unius in altera mutua comprehensio, propter identificationem earum omnium cum una numero natura seu essentia.*

Porro hæc circuminsessio manifeste in doctrina sacrarum Scripturarum continetur, quum Christus Dominus affirmet se esse in Patre et Patrem in ipso, unde ex paritate rationis intelligimus Spiritum Sanctum esse in utroque et utrumque manere in ipso (Io. x, 38 *ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre;* XIV, 10, 11 *Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est?).* Idem docent frequenter SS. Patres, qui et profundum mysterium etiam aptis student illustrare similitudinibus e. g. ex coniunctione lucis plurium facium, et ex coniunctione colorum, qui admirabiliter distincti coniunctique videntur in iride (1).

---

(1) Prima similitudo de facibus uno fulgore splendentibus describitur a Dionysio (*De D. Nom.* c. 2). Altera ex iride similitudo, a S. Basilio adhibita (ep. 38 al. 43, n. 5), magnifice illustrata est ab Alighierio ultimo cantic. *Parad.* XXXIII, 115.

Nella profonda e chiara sussistenza
Dell'alto lume, parvemi tre giri
Di tre colori e d'una contenenza;

IV. ***De missione personarum.***

166. ***Quid sit.*** — Missio generatim includit duos respectus: unum missi ad mittentem, alterum missi ad terminum quo mittitur; unde et definiri potest: *egressio ab aliquo principio ad aliquem terminum.* Iamvero prior respectus in divinis esse nequit aut per imperium aut per consilium, sed tantum per processionem originis. Quod ad alterum respectum, personæ divinæ nequeunt mitti ad terminum, quatenus inibi prius non fuissent, sed tantum quatenus inibi incipiant novo modo esse seu operari, et quidem ita, ut mutatio nulla sequatur sive localis, sive quævis alia in ipsa divina persona, sed mutatio necessario sistat in creatura. Hinc missio divina definiri potest: *Processio unius personæ ab altera, adiunctum habens effectum aliquem temporalem.* « Missio, inquit S. Thomas, includit processionem æternam et aliquid addit, scilicet temporalem effectum » (1). Si vero quæratur quid sit hic temporalis effectus, dicimus quod is semper est aliquis *specialis modus,* quo persona divina præsens manifestatur vel coniungitur creaturæ. In Scripturis enim et apud Patres missio, sicut etiam donatio personæ divinæ, proprie non dicitur nisi ad *inhabitandum* et *manendum* in creatura; quæ *inhabitatio* supernaturaliter accipi debet per dona gratiæ et sanctificationem.

Iam ex dictis consequitur: *a)* missionem, quia per terminum temporalem completur et existit, ideo dici et esse non æternam sed temporalem; *b)* omnes personas venire posse, at non omnes, proprie loquendo, mitti a qualibet, sed tantum eas, quæ procedunt et a qua procedunt; *c)* personas non mitti nisi ad creaturam rationalem et non nisi secundum effectus atque in ordine ad effectus supernaturales.

167. ***Quotuplex?*** — Ratione modi quo perficitur, missio est alia *visibilis* et alia *invisibilis.* Visibilis fit in effectu aliquo

---

E l' un dall' altro, come Iri da Iri,
Parea riflesso; e 'l terzo parea fuoco
Che quinci e quindi egualmente si spiri.

(1) *Sum. th.*, I, q. 43, a. 2 ad 3. — Ratio huius novæ præsentiæ est operatio divina, quæ communis est tribus Personis. At ex hoc non sequitur quod effectus, videlicet nova illa unio creaturæ cum Deo, necessario *terminetur* ad omnes divinas Personas, quia ipsæ realiter distinguuntur. Revera solus Filius assumpsit humanam naturam. Unde bene intelligitur, quomodo possit una Persona *mitti,* quin et alia mittatur.

sensibiliter apparente, et ea vel dici potest *substantialis*, cuiusmodi sola fuit Verbi Incarnatio, qua Filius *nobis* missus fuit in natura visibili sibi facta propria ; vel appellari potest missio tantum *in symbolis*, seu *repræsentativa*, cuiusmodi erat Spiritus Sanctus descendens quasi columba super Christum et in linguis tanquam ignis super Apostolos. Sed missio hæc visibilis *repræsentativa* semper ordinem habet ad realem missionem invisibilem per sanctificationem. Missio autem *invisibilis* ea est, quæ sine specie visibili fit in aliquo effectu spirituali et invisibili, ut in iustificatione, qua Spiritus S. cum animabus iustorum coniungitur, iuxta illud : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (Gal. IV, 6). Item in Sacramentis non debet intelligi visibilis, sed tantum invisibilis missio Spiritus Sancti (1).

V. *De communitate et appropriatione in divinis.*

168. ***Communitas*** is dicitur loquendi modus, quo omnia et singula attributa absoluta et omnes operationes *ad extra* attribuuntur in communi tribus simul personis. Ratio continetur in illo theologorum axiomate : *In Deo omnia unum sunt, ubi non obviat relationum oppositio.* Ita una est et eadem numero communis tribus essentia, per se, prouti absolute accipitur ; ita una est eadem essentia absoluta, sub formali ratione cuiusvis attributi absoluti. Naturam vero sequuntur operationes. Unde apud Patres est axioma maximi momenti in doctrina tum de SS. Trinitate tum de Incarnatione, quod : *Operationes non sunt hypostaticæ sed naturales,* h. e. numerus et species operationum non sequuntur numerum hypostaseon sed speciem et numerum naturarum. Hinc sicut est duplex et diversa operatio in Christo, quia duplex et diversa natura ; ita una est operatio trium Personarum, quia una est natura. Ideo etiam omnes operationes ad extra communes sunt toti Trinitati eique effectus omnes attribuendi, uti creatio, sanctificatio, et ipsa operatio Incarnationis (2). Nihilominus quædam perfectiones essentiales seu

---

(1) In hac missione *invisibili* per iustificationem Pater non mittitur, quia ipse ab alio non accipit ; mittuntur Filius et Spiritus S. ; imo talis missio gratiæ, utpote infusio caritatis et mentis illuminatio, tum Spiritui S. tum Verbo appropriatur. Vides igitur quod missiones divinæ *manifestant* relationes originis.

(2) Terminus operationis, in quem terminata est assumptio humanæ naturæ est tantum persona Filii ; sed operatio ipsa, qua assumptio divinitus facta fuit ex carne immaculata Virginis, communis est tribus Personis.

absolutæ et quædam opera externa uni vel alteri tantum Personæ specialiter adscribi solent per *appropriationem*, ut aiunt.

Appropriatio itaque est: *Ille loquendi modus, in re fundamentum habens, quo certæ operationes vel proprietates, ad divinam naturam spectantes, uni personæ præ aliis tribuuntur.* Ubi advertas, *appropriationem* stricto sensu tum solum esse, quando aliquid absolutum prædicatur de una persona *præ alia.* Fundamentum autem appropriationis est analogia seu similitudo attributi illius absoluti, quod appropriatur, cum charactere hypostatico proprio illius tantum personæ, cui appropriatur. Tum exinde fit, ut nobis ipsa Trinitas personarum ostendatur apertius, et proprietates hypostaticæ per essentialia, quæ clarius cognoscuntur, veluti insinuentur. Hic namque est scopus appropriationis. Ut res exemplo explicetur, Pater appropriatione dicitur Deus Omnipotens, Creator omnium, Rex regum et Dominus dominantium, id quod sane respondet eius personali proprietati, qua est fons et principium divinitatis. Item Filio præ aliis attribuitur sapientia et dispositio rerum, quia generatur per intellectum; attribuitur species seu pulchritudo, quia est Patris splendor et imago. Ita Spiritus Sanctus, quum ex voluntate et mutuo amore procedat, hinc præ aliis Personis dicitur sanctus, bonus, rectus, ipsique attribuuntur speciali modo bonitas, caritas et omnes gratiæ omniaque dona et nominatim sanctificatio et inhabitatio in iustis, et ipsum Incarnationis opus, quo Deus Pater sic mundum *dilexit*, ut Filium suum unigenitum daret (1).

Hæc porro, et alia similia, non parum nos adiuvant ad intelligentiam aliquam augustissimi mysterii SS. Trinitatis. Attamen mente recolatur illud S. Bernardi, quod: *Scrutari hoc temeritas est, credere pietas, nosse via et vita æterna* (2).

---

(1) Secundum S. Thomam quadrupliciter fit ista conveniens appropriatio attributorum essentialium divinis Personis. Lege *Sum. th.*, I, 39, 8 et Monsabré *Quadr.* 1874.

(2) *De consid.* l, V, c. 8.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE

169. Egimus in primis *de Deo uno*, prouti existit in plenitudine perfectionum. Essentia infinitæ perfectionis propendit ad sui communicationem. Est autem duplex sui communicatio: altera necessaria, plena et essentialis; altera libera, diminuta et repræsentativa. Illa est, qua Deus se communicat *ad intra* largitione sui ipsius et veluti replicatione ita, ut eadem numero simplicissima essentia sit in tribus distinctis hypostasibus. Altera communicatio est *ad extra*, qua scilicet Deus, per aliquod suæ naturæ imitamen et vestigium, communicatur creaturis. De prima actum fuit iu tractatu *de SS. Trinitate*, de secunda agendum est in tractatu *de Deo Creatore*.

Verum duplex iterum est hæc Dei communicatio ad creaturas: altera naturalis, qua Deus res e nihilo producit earumque naturam constituit, unde naturalis ordo exurgit; altera supernaturalis, qua Deus rationalium creaturarum naturam elevat gratiæque charismatibus auget, unde ordo supernaturalis seu elevationis oritur. Hinc tractatum in duplicem sectionem partimur, ut sit:

Pars prior: De Deo creante naturam,

Pars altera: De Deo naturam elevante.

PARS PRIOR

DE DEO CREANTE NATURAM.

Ut creatas naturas omnes breviter complectamur, agemus primum *de rerum creatione generatim*, deinde *de existentia et natura Angelorum*, postremo *de humana natura*. Hinc tria capita erunt.

CAPUT I.

DE RERUM CREATIONE GENERATIM.

170. Creatio est *productio rei ex nihilo.* Illud *ex* nihilo non importat, sed excludit causam materialem, ita ut *fieri ex nihilo* idem sit ac *non fieri ex aliquo* (1). *Nihilum* autem est *non ens;* nam aliæ omnes productiones particulares non fiunt ex non ente, sed ex *non tali ente:* e. g. homo, qui generatur, non fit ex non ente, sed ex non homine et ex aliquo ente, quod præsupponitur ut materia generationis; aqua, quæ chymice producitur, non fit ex non ente, sed ex non aqua et aliquo ente, nimirum ex substantiis componentibus; aliquid fit album non ex non ente, sed ex non albo et ex ente, quod præsupponitur ut subiectum albedinis. In creatione e contra producitur *ens in quantum ens*, seu per se primo fit res secundum totam suam entitatem, eo quod creatio nullam rationem entis præsupponit in re, quæ creatur (2).

Ex iis liquet, quod obiectum formale creationis est *esse* et idcirco creatio definiri etiam potest: *Productio entis in quantum ens* sive: *Productio totius esse* (3). Cum vero formæ omnes ac-

---

(1) S. Thomas, p. 1, q. 45, art. 1 ad 3.

(2) « Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est *non homo,* ita creatio, quæ est *emanatio totius* esse, est ex non ente, quod est nihil. » Ita S. Thomas, p. 1, q. 45, art. 1. Cf. Suarez, *Metaph.,* disp. XIX sect. 1, et disp. XX, sect. 1, n. 29.

(3) **Ontologi.** — asserunt quod obiectum creationis non proprie est *esse,* sed ens seu res; dicunt autem rem seu ens duplici elemento constitui tum *positivo*, quod est *esse* unum et æternum, tum *negativo*, quod sunt limites seu non ens; obiectum autem formale seu effectum creationis esse negativum seu limites seu non-ens. Porro qui ita creationem explicant, eam prorsus de medio tollunt, et verum pantheismum introducunt.

Rosminius. — Talis est conceptus creationis, qui continetur prop. 14, 15, 16, 17 ex damnatis Decreto: *Post obitum.* Suprema scilicet intelligentia intuens Esse absolutum, *abstrahit* ab eo *esse initiale*, quod est ipsa Dei essentia a divina mente inspecta *solum* tanquam initium omnium creaturarum; deinde limitat seu *imaginat* et imaginando producit varios terminos ipsius esse initialis (p. 14); denique per *divinam synthesim* refert illud esse initiale (non ut intelligibile sed mere ut essentiam) ad hos terminos finitos, qua duorum elementorum unione entia finita creantur (pp. 15 et 16). In hac porro creatione nullum habetur *esse* ab actu creativo vere *factum* et *productum,* sed illud tantum *ponitur* seu limitibus *adiungitur*

cidentales non sint entia, sed entis entia, quia subiectum præsupponunt, tum inferunt philosophi, quidquid creatur debere esse subsistens, aut fieri per modum subsistentis. Quapropter creatio, ut inquit S. Bonaventura, *est totius substantiæ secundum totum*, unde et recte ea rursus definitur cum S. Thoma: *Productio alicuius rei secundum suam totam substantiam, nullo præsupposito*: vel etiam: *Productio rei ex nihilo sui et subiecti*, quatenus rei productæ nihil præexistit, nec ulla pars eius, nec ullum subiectum, ex quo vel in quo res fiat (1).

Hisce præmissis, satis erit ex pluribus dicendis saltem ea tria vindicare, quæ Concilium Vaticanum de creatione rerum statuit, nimirum Deum omnia creasse, libero actu voluntatis suæ, idque ad gloriam nominis sui (2). Id præstabimus unica thesi. Cetera noscenda, additis scholiis, innuemus.

Thesis XXVI. — *Rerum universitatem creavit Deus, liberrimo actu voluntatis, ad manifestationem gloriæ suæ.*

171. ***Declaratio.*** — Tria proponuntur: 1° *veritas* creationis, nimirum mundum resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; 2° *libertas* actus creativi, seu Deum nulla necessitate, neque morali, impulsum sed liberrimo actu suæ voluntatis mundum condidisse; 3° *finis* creationis, videlicet Deum creasse mundum non ad acquirendam vel augendam *gloriam suam internam* seu excellentiam et beatitudinem suam; sed ad manifestandam perfectionem suam per bona,

---

i. e. *refertur* (p. 17, cfr. 12). Imo huiusmodi creatio suum terminum habet in ipso Deo, qui, ut esse initiale, fit essentia omnis entis realis (p. 12). Itaque res producta non est aliquod *esse*, sed mera *limitatio* intellectualiter *imaginata* in ipsa divina et infinita realitate. Ipse auctor similitudine cuiusdam telæ perforatæ utens, rem explicat aiendo, *telâ* exprimi *esse* quod unicum est illudque divinum, *foraminibus* exprimi realia *finita* quibus illud esse interpositum adiungitur (*Theosofia*, vol. I, p. 382).

(1) Gratia sanctificans, quia est forma accidentalis in anima, *proprie* et *stricte* loquendo, non creatur: animam enim, tanquam subiectum cui inhæreat, præsupponit. Cum tamen gratia ex potentia sui subiecti, quod est anima, non educatur, sed immediate in ipsa anima a Deo producatur; tum hoc sensu dici potest et dicitur esse vera creatio. Ea non præsupponit subiectum *ex quo*, sed *in quo* fiat.

(2) Constit. *De fide*, I, can. 5.

quæ creaturis impertitur, in quo consistere dicitur *gloria Dei externa.*

Hunc sane finem Deus infallibiliter attingit, sive cognitione, laude, cultu, quo iusti Creatorem venerantur et tandem felicitate, qua eo fruentur; sive ipsis supremis suppliciis, quibus impii divinam iustitiam testabuntur. Id recte intelligi et statui debet contra errorem Hermesii (1) ponentis, ultimum mundi finem esse unice felicitatem hominum. Intime quidem inter se connectuntur hominum felicitas et Dei gloria; attamen gloria Dei est finis primarius et ultimus, felicitas hominum est finis secundarius et proximus; ille finis infallibiliter consequendus, hic dependenter ab hominum arbitrio.

Erraverunt circa dogma creationis:

a) antiqui: Democritus et Epicurus (mundus casu factus per concursum corporum indivisibilium, quæ sunt rerum principia). — Plato et Anassagoras (mundus a Deo, sed ex materia præiacente). — Aristotèles (non a Deo factus, et ab æterno existens. Quidam non admittunt Aristotelem et Platonem impugnare creationem *ex nihilo*; cf. Palmieri th. 3, qui admittit et probat). — Manichæi (invisibilia a Deo, visibilia a diabolo). — Simon Magus et Menander eius discipulus (mundus ab angelis creatus).

b) recentes: Pantheistæ omnes (n. 38). — Sociniani et Arminiani (creatio est opinio libera, quæ aut in Scripturis non invenitur aut obscure tantum). — Protestantes quidam et Rationalistæ (creatio ex nihilo est absurda). — Rosminius (creatio explicatur per limitationem entis infiniti; insuper Deus sese determinat ad creandum ea *morali necessitate*, quæ in Esse perfectissimo, ideoque *moralissimo*, semper inducit effectum (prop. 18ª in Decreto *Post obitum*). — Modernistæ (huc refertur prop. 64ª in decreto *Lamentabili* 1907: *Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinæ christianæ de Deo, de Creatione.....*)

Tria, quæ in thesi proponuntur, fide credi debent, eaque post concilium Lateranense IV expressius definivit Vaticanum hisce verbis et decreto: « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. — Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes,

(1) Georgius Hermes, † 1831, Materialismo et Idealismo se opposuit at non feliciter.

quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; a. s. (1) ».

172. ***Prima pars.*** — *Deus mundum creavit.*

I. Ex S. Scriptura. — Primum et evidentissimun argumentum est illud Genesis I, 1: *In principio creavit* (bara) *Deus cœlum et terram.* Hisce verbis veram productionem rerum e nihilo enuntiari, apparet ex pluribus rationis momentis. Videlicet *a)* ex nulla memorata materia, unde facta sint omnia. Cum enim Moyses, data opera, originem rerum describat, cetera omnia accurate memorans et causam efficientem et effectum et quando effectus sit factus; nullam tamen mentionem facit de subiecto, e quo res factæ sint. Certe huius silentii nulla alia sufficiens ratio afferri potest nisi hæc, quia nulla reapse adfuerit materia præexistens (2). Ita porro argumentatur Tertullianus contra Hermogenem: *Cum in omni operatione tria sint principalia : qui facit, et quod fit, et ex quo fit ; tria nomina sunt edenda in legitima operis enarratione: persona factoris, species facti, forma materiæ. Si materia non edetur, ubi et opera et operator edentur, apparet ex nihilo eum operatum* (3). — *b)* Colligitur ex ipsa voce *creavit* (bara), quæ aptissima est ad designandam productionem *ex nihilo,* cum ex usu biblico et interpretatione ipsorum hebræorum, de illis adhiberi solet, quæ sunt exclusive divina ac per omnipotentiam Dei producuntur (4). — Confirmatur *c)* ex ap-

---

(1) Const. *De fide,* cap. I, can. 5.

(2) Alibi indicatur materia, ex qua opera confecta sunt; v. g. *Gen.* II, 7, 19: *Formavit igitur Dominus Deus hominem* de limo terræ... *formatis* igitur, *Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ.*

(3) C. *Hermog.,* c. 20.

(4) *Bara* quadragies septies occurrit in V. T. et exprimit vel actionem stricte creativam, ex. g. *Gen.* I, 1, 27, vel actionem aliam propriam Dei (ut in IV *Amos : Formans montes et creans ventum, Isa.* XLV, 6 : *Ego Dominus et non alter, formans lucem, et creans tenebras)* vel actionem prodigiosam (ita *Ps.* L, 12 : *Cor mundum crea in me Deus*). Semper indicat actionem prorsus Deo propriam. Parum igitur refert, etiam si ex *solo* vocabulo argumentum apodicticum non deducis (quod ceteroquin nonnulli eruditi faciunt, uti Schrader, *De Deo creante* p. 134), etenim ex contextu seu ex adiunctis abunde apparet *bara* adhiberi ad significandam veram creationem.

posito illo: *in principio* (bereshit), quod significat productionem rei *in principio temporis*, idest cum antea neque tempus, neque aliud quidquam erat (1). Atqui si tunc materia aliqua exstitisset, iam tempus fuisset, nam cum materia adest motus et tempus, nec illud fuisset principium sive rerum, sive temporis. — Insuper *d)* illa verba: *in principio creavit cœlum et terram* vel indicant primam rerum productionem e nihilo, vel materiæ iam existentis conformationem. Atqui non indicant hanc materiæ conformationem, quippe post illam creationem terra erat *inanis* et *vacua* seu *informis ἀμορφος et tenebræ erant* super eam. Ergo Moyses illis verbis significavit primam totius mundi et ipsius materiæ productionem ex nihilo. — Denique *e)* in sequentibus versiculis loquitur Moyses de præexistentis materiæ conformatione et elaboratione, idque in oppositione versus primi; ergo in versu primo de prima omnino creatione ex nihilo agit.

Huic testimonio alia multa conferri possunt et præsertim illud matris Machabæorum filium confortantis ad mortem obeundam: *Peto nate, ut aspicias ad cœlum et terram et ad omnia, quæ in eis sunt, et intelligas, quia ex* nihilo *fecit illa Deus, et hominum genus* (2). Quibus verbis mulier illa fortissima atque *plena sapientia* (v. 21) fidem exprimit Iudæorum communem, Deum cuncta creasse ex nihilo.

Accedunt alia, vel ubi Salomon affirmat *sapientiam divinam* solam fuisse, antequam Dominus quidquam faceret a principio, ante terram, abyssos, fontes aquarum, ante montes et colles (3); vel ubi Isaias Deum vocat *primum* et *novissimum*, cui ideo nulla materia coæterna esse potuit (4); vel ubi Paulus docet in Christo Iesu esse *condita universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia...; omnia per ipsum et in ipso creata;* et Ipsum esse *ante omnes*, videlicet *ante omnia* (5); vel ubi S. Ioannes in principio apud Deum ponit Verbum, per quod *omnia facta sunt* ideoque etiam cœli terræque materia, et sine quo *factum est nihil* (6); vel tandem ubi ipse Deus appellatur *ἱκανός* seu *sufficiens sibi*, *παντοχράτωρ* seu *omnibus prævalens, omnino Dominus,*

(1) Aliqui Patres illud *in principio* intellexerunt *in Filio;* sed hæc sententia nec communis est nec principaliter tenetur. Cf. Palmieri p. 41.

(2) II Mach. VII, 28 et seq.

(3) Prov. VIII, 22-27.

(4) Is. XLVIII, 12, 13. Cfr. Tertull., *Cont. Herm.*, c. 6.

(5) Coloss. I, 16, 17.

(6) Io. I, 3.

et expressius et simpliciter *Creator omnium* (1); si enim Deus pro condendo mundo aliqua præexistente materia indiguisset, neque sibi suffecisset, neque a materia ipsa independens aut eius Dominus esset, neque simpliciter omnium Creator vocari posset.

II. Ex Traditione et ex ratione. — Sacra Traditio diserte continet hoc dogma, tanquam fidem totius gentis christianæ.

a) Sane ii semper habiti sunt tanquam hæretici, qui materiam Deo subiiciebant, ut Is ex ea aliquid posset moliri. Ita Hermogenes a Tertulliano, Gnostici ab Irenæo, Manichæi ab Augustino et alii plures passim.

b) Ut fidei dogma, hoc doctrinæ caput Patres constanter proponunt et symbola diserte profitentur et martyres solemniter testantur. *Teneamus*, scribit Irenæus, *regulam veritatis, idest, quia sit unus Deus omnipotens, quia omnia condidit per Verbum suum, et aptavit et fecit ex eo, quod non erat, ad hoc ut sint omnia.* In symbolo Nicæno profitemur: *Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium;* et eo ipso materiam infectam excludimus.

c) Idem dogma vindicant Patres omnes, qui Hexæmeron illustrarunt, uti Basilius, Nissenus, Ambrosius.

d) Imo ut illius conceptum præcisius definirent in oppositione ad id, quod asserebant gentiles philosophi de Deo, qui ex materia infecta eique coæva fabricaverit mundum; Patres contenti non sunt docere Deum esse factorem cœli et terræ et omnium, quæ in eis sunt, sed declarant, eum esse factorem *ex nihilo omnino,* factorem non modo formarum sed *etiam materiæ,* et non ex præexistente materia; verum *ex non ente* fecisse omnia, divinæque potentiæ terminum ipsum *esse* asserunt. Iustinus M. arguit Platonem, quod Deum non Creatorem sed opificem fecerit et ait: *Creator enim nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id, quod fit, efficit. Opifex vero, accepta ex materia condendi facultate, opus suum construit* (2). Et Athanasius docet, *res non esse fortuito factas, nec ex præiacente materia,* sed Deum *ex non entibus fecisse omnia* (3).

---

(1) Gen. XVII, 1; Iob. V, 17; Apoc. IV, 8; XXI, 22; Eccli. XXIV, 12; II Mach. I, 24.

(2) *Exhort. ad Græcos,* n. 22.

(3) *De incarn. Verbi,* n. 3.

e) Denique Patres etiam argumentis rationalibus creationem demonstrant, eaque petunt vel ex conditione materiæ, vel ex conditione Dei. Ex conditione materiæ, quia materia infecta esset ens a se, necessario æternum, id quod soli Deo competere potest. Ex conditione Dei, quia Deus agens ex subiecto quod non produxit, non esset independens et omnipotens. Ita TERTULLIANUS cont. Hermog. c. 4 et seq. Cf. S. Thomas, p. I, q. 44, a. 1, 2. (1).

Obiectio 1.ª — Ex nihilo nihil fit. Ergo impossibilis est creatio. — R. Dist. *Ex nihilo* causæ efficientis, c. Nam nisi præexistat causa efficiens, non potest produci effectus. *Ex nihilo subiecti* præexistentis, subd. a causa particulari seu finita, c. universali et infinita, n.

Obiectio 2.ª — Infinitam distantiam non contingit pertransire. Sed non entis simpliciter ad ens est infinita distantia, quia quanto potentia est minus ad actum disposita, tanto magis ab actu distat, unde si omnino potentia subtrahatur, erit infinita distantia. Ergo impossibile est, ut aliquid transeat simpliciter de non ente ad ens. — R. Dist. mai. Per transitum proprie dictum, qui contingit in motibus continuis, per quos transit pars post partem, c. per transitum improprie dictum, idest per effectionem instantaneam agentis simpliciter infiniti, subd. si distantia esset infinita ex utraque parte, idest ex non esse ad esse simpliciter infinitum, c. si distantia est finita ex una parte, sicut contingit ex non esse ad ens finitum, n.

Obiectio 3ª. — Potentia activa est principium transmutationis in aliud secundum quod est aliud. Atqui potentia Dei est potentia activa. Ergo requirit aliquod subiectum transmutationis, et sic non potest ex nihilo aliquid facere. — R. Dist. mai. Potentia activa absolute sumpta, n. quia hæc est principium causativum effectus. Potentia activa naturalis, quum non sit purus actus, producit effectum, actione media, per motum, c. Contrad. min. Potentia Dei est potentia activa univoce dicta cum potentia activa naturali, n. analogice dicta ut princeps analogatum, absque ulla imperfectione potentiæ naturalis, c. — In Deo potentia activa identificatur cum essentia et operatione divina, quæ omnia realiter sunt actus purissimus subsistens. Unde neque agit, actione media, neque indiget subiecto præexistente:

---

(1) Productio ex nihilo veteribus philosophis fuit vel penitus ignota vel saltem valde obscura: attamen ratio tum possibilitatem tum factum creationis per se demonstrare valet. Sic e. g. ipsa ratiocinatur in *S. Th. l. c.:* Omne quod est aliud a Deo, est a Deo efficienter causatum, (nam Deus est unicum esse imparticipatum, maxime ens, ratione essentiæ suæ existens, a quo proinde res omnes, utpote entia participata ac, consequenter, facta, esse suum habere debent). Atqui hoc falsum est, si Deus omnia ex nihilo non fecit, sed ex aliqua materia, siquidem materia hæc est aliquid aliud a Deo et tamen ab ipso non causatum. — Quidquid actioni divinæ tamquam præsuppositum effingi velit, sive materia, sive atomi..., semper retinet characteres contingentiæ et effectus, ergo debet esse a Deo ex nihilo factum.

Obiectio 4ª. — Inter causam et effectum debet intercedere aliqua similitudo. Sed inter Deum, qui est actus purissimus, et materiam primam, quæ est pura potentia subiectiva, nulla intercedit similitudo. Ergo materia prima non est producta a Deo. — R. Dist. mai. Similitudo vel univoca vel analogica, c. semper univoca, n. Contrad. min. inter Deum et materiam primam nulla intercedit similitudo univoca, c. analogica, n. quia materia prima est *ens ut quo potentiale*, et ideo tali modo produci potest, quo habere potest esse, nempe in composito per formam.

Obiectio 5ª. — Mutatio præsupponit subiectum existens. Atqui creatio est quædam mutatio non entis in ens. Ergo creatio non est ex nihilo subiecti. — R. Dist. mai. Mutatio proprie dicta, c. improprie dicta, n. Contrad. min. Creatio est mutatio improprie dicta, c. proprie dicta, n. Nego cons. Mutatio proprie dicta intercedit inter duos terminos actu existentes, et locum habet in omnibus generationibus et corruptionibus. Porro in creatione non habentur duo termini actu existentes. Quum enim per ipsam producatur ens in quantum ens, *terminus a quo* est negatio totius entitatis, quæ producitur secundum omnia intrinseca constitutiva entis producti, videlicet est omnino nihil. Dicitur autem *improprie mutatio*, quia a nobis concipitur ut transitus ex uno statu in alium, idest a non esse ad esse. — *(Ex De Mandato, Instit. Philos.)*.

173. ***Secunda pars.*** — *Deus mundum libere creavit.*

I. Ex S. Scriptura. — Ex ipsa non modo intelligimus, Deum voluntate creasse mundum, sed voluntate *libera ab omni necessitate*. Sane Deus creator dicitur fecisse omnia *quæcumque voluit* et omnia operari *secundum consilium voluntatis suæ* (Ps. CXIII, 3; CXXXIV, 6). Atqui huiusmodi formulæ ex ipso usu communi loquendi significant voluntatis electionem, in qua proprie consistit intrinseca libertas. Ergo omnia Deus libere effecisse perhibetur.

II. Ex Patribus. — Id disertissime declarant Patres, uti Irenæus, qui ait: *Ipse omnia libere fecit et quemadmodum voluit* (1), et Augustinus, qui asserit: *Liberrima voluntate fecit*, et alii. Addunt etiam aliquando rationes id affirmandi, quas S. Hippolytus complexus est aiens: *Fecit sicut voluit, Deus enim erat*. Et revera ea est conditio Dei, ut ipse solus sit *ens necessarium*, ideoque mundus nullatenus sit ei necessarius, et Ipse sit omnino independens a creaturis. Econtra si necesse fuisset Deo ut mundum crearet, hoc ipso dicendum foret mundum esse Deo necessarium, ipsumque Deum a suis creaturis pendere. Nulla prorsus necessitas datur, neque ex parte mundi, neque ex parte finis aut causæ efficientis creationis.

---

(1) Prov. XVI, 4.

Obviatur difficultatibus.

Nec quis dicat, rerum creationem non tam ab ipsis rebus, quam ab ipsa Dei bonitate exigi, quippe suapte naturâ est diffusiva sui. Nam bonitas divina est sui diffusiva, non quatenus se *debeat* aliis extra se communicare, sed quatenus *possit.* Si enim deberet, adhuc fieret Deus dependens a rebus, quæ non sunt Deus. Ergo ea diffusibilitas ad extra omnino libera dicenda est, seu talis, quæ nonnisi a libero decreto ipsius voluntatis divinæ tota dependeat.

Hæc summa Dei independentia et illud excludit, quod aiunt recentiores philosophi transcendentales, mundum nimirum necessario requiri, tum ut adsit obiectum reale cognitionis divinæ, tum ut Deus comparando se cum aliis possit affirmare se ipsum. — Ceterum directe respondemus, quod obiectum reale divinæ cognitionis illudque necessarium est Deus ipse, qui imo nonnisi in ipsa sua essentia ceteras res omnes cognoscit ipsasque essentias rerum possibilium; possibilia vero hæc, iam ipsa, sunt obiectum divinæ cognitionis, etiamsi nihil reale existeret extra Deum. Ut vero Deus se ipsum cognoscat et affirmet, nequaquam necesse est, ut Is se comparet cum aliis et affirmet alia non esse se ipsum, sed satis est quod suam singularem entitatem cognoscat. Ita porro non modo Deus, sed quisque seipsum cognoscit secundum propriam entitatem, sive alia sint sive non sint; neque enim entitas propria per alias constituitur, ut per aliàs cognosci debeat.

174. ***Animadversio.*** — Hucusque probavimus, Deum in creando liberum fuisse libertate *contradictionis* seu creandi aut non creandi; sed inde sponte sua sequitur, eum liberum etiam fuisse libertate *specificationis,* ita ut etiam mundum ab hoc diversum creare potuisset. Si ita non esset, iam unus tantum mundus fuisset possibilis, et sic limitaretur infinita Dei *perfectio* per creaturas repræsentabilis, itemque limitaretur infinita Dei *sapientia* et *omnipotentia.*

175. ***Tertia pars.*** — *Finis ultimus mundi est gloria Dei extrinseca.*

I. Ex S. Scriptura. — *a)* Dicitur *generatim,* Deum cuncta propter seipsum operatum esse: *Universa propter semetipsum*

operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum (1). Ast non potuit Deus operari ad suam gloriam intrinsecam; ergo ad extrinsecam, eamque obtinet etiam ab impio, qui ad diem malum perductus iustitiam divinam prædicat.

b) Legimus vero *expresse,* invisibilia Dei in rebus creatis conspici (Rom. I, 19) et imo enarrari gloriam Dei a cœlis et opera eius annuntiari a firmamento (Ps. XVIII, 1 : *Posuit oculum suum super corda illorum* [*hominum*] *ostendere illis magnalia operum suorum.....)* ac per res omnes, quæ in cœlis et in terra sunt, excitari homines ad laudandum Deum (Ps. CXLVIII).

c) Insuper ipse homo exhibetur creatus, ut Dei opera atque Deum cognoscat et laudet (Eccl. XVII, 7) atque ita Deum diligat (Deut, X, 12).

II. Ex Patribus. — Expressius Patres, qui passim docent, tum Deum omnia fecisse, ut ex operibus magnitudo ipsius cognosceretur et intelligeretur (Theoph. antiochenus); tum reapse ex creaturis omnibus rite declarari et prædicari Deum eiusque perfectiones (Chrysos. hom. 9, ad antioch.); tum ideo homines munere obstringi Deum agnoscendi et colendi, modum autem Dei cognoscendi alium non esse, quam per creaturas (Lactan. L. 7, Inst. c. 6).

III. Ex Ratione. — Ratio rei est evidens: Deus, qui sapientissimus est et libere mundum creavit, finem aliquem, illumque se omnino dignum, certe intendit ipsi mundo præstituere. Atqui finis omnium perfectissimus et nobilissimus, imo solus dignus, ad quem Deus sua opera ordinet, est Deus ipse. Ergo Deus nonnisi se ipsum spectavit tanquam finem, ad quem mundus ordinaretur. Id autem dupliciter accipi posset: vel quatenus Deus aliquo bono semetipsum augere intenderit, vel quatenus suam bonitatem aliis communicare voluerit. Atqui non potuit Deus seipsum, ut finem, intendere primo modo, quia iam est ex sese infinite perfectus et beatus. Superest ergo quod seipsum, ut creationis finem, intenderit altero modo, quatenus suam bonitatem aliis communicare voluerit. Sed insuper in hoc fine duplex respectus considerari potest: alter ad *Deum*, cuius perfectio hac externa communicatione manifestatur; alter respectus *ad creaturas*, quæ per hanc communicationem sibi bonum et

(1) Prov. XVI, 4.

perfectionem acquirunt. Uterque est finis Creatoris ; sed, quoniam potior finis est qui ipsum Deum respicit ; ideo finis ultimus ad quem Creator intendit erit illa gloriæ suæ manifestatio, cui subordinatur tanquam finis secundarius perfectio, quæ inde ipsis creaturis provenit. Hinc brevi dicimus: *finem ultimum creationis fuisse divinarum perfectionum manifestationem, seu externam gloriam Dei* (1).

Quoad manifestationem gloriæ Dei observa: — Absolute a Deo intenditur et efficaciter ita, ut fieri prorsus nequeat, mundum divinæ gloriæ non inservire, in eo gradu, quem Deus præfinivit. Attamen diversimode res diversæ hunc finem præstitutum promovent, pro diversa natura cuiusque rei. Res omnes generatim eum finem adimplent manifestando in sua excellentia et pulchritudine excellentiam et pulchritudinem Creatoris (2): sed homo gloriam Deo tribuere insuper debet actibus liberis suæ voluntatis eum cognoscendo et amando eique serviendo, ut tandem perfectiore eiusdem cognitione et amore fiat beatus. Si vero is aliter agat, prouti ab eius arbitrio pendet, divinæ nihilominus gloriæ serviet altero modo, quatenus manifestabit vel divinam longanimitatem, vel misericordiam, vel demum iustitiam.

Ex his itaque intelligitur id, quod præclare de hac re docet conc. Coloniense a. 1860: « Ultimum operis finem esse Dei gloriam, ad quam etiam rerum creatarum et singillatim hominis felicitas referatur. Dei enim gloria, quum utpote Deum respiciens altioris sit ordinis quam hominis felicitas, hanc sibi submissam subservientemque habeat, decet. » Quamvis autem Dei gloria sit ultimus rerum ipsiusque hominis finis, nihilominus nihil utilitatis aut commodi exinde Deo infinite beato advenire potest, sed utilitatem, quæ magna ex rerum universitate redundat, omnem Deus in homines transferendam esse voluit. Hinc intelligitur, quomodo Deus et intendat gloriam suam absque ulla *philautia* seu gloria inani et nihilominus nos diligat amore benevolentiæ (3).

(1) S. Thomas, p. I, q. 45. a. 4.

(2) Id creaturæ irrationales præstare nequeunt, nisi quatenus homo divinas perfectiones in eis refulgere intelligat; proindeque, nonnisi mediante homine, ad Dei gloriam concurrunt. Homo autem Deum per illas glorificat præcipue *contemplatione*, verum etiam *usu* et *abstinentia*. Cfr. Roothaan, *in Exercit. S. Ignatii*, Contempl. *De fundam.*

(3) Clarius : *Finis creationis* est communicatio divinæ bonitatis, quæ communicatio si consideretur ut creaturam perficit, est bonum creaturæ ; si consideretur

SCHOLIA.

176. **De natura actionis creativæ.**

In agentibus creatis actio est aliquid *egrediens* ab agente in patiens. At ita non est in Deo, quia eius actio est eius intellectio et volitio. Hinc nullus effluxus medius admitti debet inter Creatorem et creaturam, sed dum Deus intelligit et vult rem aliquam extra se, res immediate fit. Cum vero divina intellectio et volitio sit ipsa divina essentia, hinc creatio « si active sumatur, inquit S. Thomas, sic designat Dei actionem, quæ est eius essentia, *cum relatione ad creaturam* » (1). Exinde relinquitur quod creatio passive accepta, seu in creatura, non sit nisi ipsum esse eius, quod de novo fit, cum *relatione dependentiæ ad Creatorem.* Ita docet S. Thomas ubi ait: « creatio nihil aliud est realiter, quam relatio quædam ad Deum cum novitate essendi » (2); itemque ubi concludit: « Relinquitur quod creatio in creatura non sit nisi relatio quædam ad Creatorem, ut ad principium sui esse » (3); et expressius ubi scribit: « non enim creatio est mutatio, sed est *ipsa dependentia esse creati* ad principium, a quo instituitur » (4).

Obiter autem advertas, relationem hanc esse *realem* in creatura, quia in ea habet fundamentum reale, quod est ipsum eius esse a Creatore acceptum; sed eandem relationem esse

---

ut divinam bonitatem manifestat, pertinet ad externam gloriam Dei. Cum vero distinguatur finis *qui* (bonum quod intenditur ab agente) et finis *cui* (subiectum cui bonum illud intenditur); hinc: 1.° Finis *qui ultimus* creationis est extrinseca Dei gloria; finis *qui proximus* est perfectio creaturæ, præsertim intelligentis, cui aliæ res ordinantur, quæ perfectio ultimo consistit in ipsius intelligentis creaturæ felicitate. 2.° Finis *cui ultimus* est ipse Deus; finis *cui proximus* est intelligens creatura. Unde sicut perfectio nostra ordinatur ad gloriam Dei, ita homo ad Deum ordinatur. At 3.° *uterque* finis, ultimus et proximus, intime cohæret: nam summa *Dei gloria* est Ipsum a nobis perfecte cognosci, amari et gustari; et summa *felicitas nostra* est Deum videre, amare, gustare; unde hoc ipso quod Deus illam suam gloriam intendit et quærit, intendit et quærit summum bonum et commodum nostrum. Cfr. Mazzella, *De Deo Cr.,* disp. 1, a. 9; Lessius, *De perfect. div.,* l. XIV, c. 3, n. 60.

(1) *Pot.,* q. 3, a. 3.

(2) Ibid.

(3) P. I, q. 45, a. 3.

(4) *Cont. Gent.,* l. II, c. 18.

tantummodo *rationis* in Deo, quia nihil reale Deo advenit, dum creaturas producit, in iisque operatur (1).

Ex dictis respondere possumus quæstioni: utrum creatio sit actio *transiens* vel *immanens*. Ea est *formaliter* immanens et *virtualiter* transiens: formaliter quidem immanens, quatenus in sua entitate inspecta est aliquid intra Deum; est enim ipsa Dei voluntas, quæ cum eius essentia identificatur; virtualiter autem transiens, quatenus infinita sua perfectione virtutem habet, ut ex ipsa non mutata creaturæ procedant extra Deum (2).

177. **De causa efficiente creationis.**

Deus unus creavit, idque est *factum*, quod testificatione revelationis constat, et quidem abunde etiam ex solis testimoniis superius allatis. — Sed ulterius demonstrari solet *ius*, quod nimirum Deus unus creare potest ita, ut creatura quævis non possit rem ullam creare, licet infimam. Neque loquimur tantum de potentia ordinaria, sed simpliciter et absolute negamus, posse Deum creare talem creaturam, quæ per vim propriam suæ naturæ possit determinare existentiam alicuius rei ex nihilo. Id manifestissime continetur in traditione; ratio autem rei est, quod vis creativa est simpliciter infinita, quippe quodlibet *esse* infinite distat a *non esse*. — Cum autem perfectio simpliciter infinita neque per gratiam communicari possit, hinc etiam repugnat quod quævis creatura elevetur per gratiam ut fiat vera causa efficiens creationis; licet fieri possit causa moralis, ut si ad nutum sive desiderium voluntatis creatæ, ipse Deus crearet. Imo affirmandum esse videtur cum S. Thoma, quod creatura nullo pacto, neque ad instar *instrumenti*, aliquid e nihilo efficere possit (3).

Cum vero causa efficiens creationis solus Deus esse dicitur,

---

(1) Cfr. S. Thomas, p. I, q. 13, a. 7.

(2) Mazzella, *De Deo creante*, disp. I, art. 2.

(3) P. I, XLIV, a. 5: « Causa secunda non participat actionem causæ superioris, *nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive* operatur ad effectum principalis agentis. Si enim nihil ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum; nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum.... Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet esse absolute. Unde non potest aliquid aliud operari dispositive et instrumentaliter ad hunc effectum, quum creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est quod alicui creaturæ conveniat creare etc. »

nomine *Dei* intelligitur tota Sanctissima Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quæ singulari communique actione omnia, quæcumque sunt, ex nihilo creavit. Quum enim omnipotentia sit commune attributum, atque una et communis sit voluntas et intellectus, et per hæc Deus operetur; ideo indivise Trinitas ad extra operatur omnia, proindeque etiam creat unâ et communi actione. Attamen per appropriationem diversimode creatio refertur ad singulas personas, ad Patrem uti ad fontem omnis esse, ad Filium uti ad sapientiam ordinatricem, ad Spiritum uti ad Eum, qui ordinata perficit, fovet et absolvit. -

178. **De causa exemplari creationis.**

« Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cuius evidentiam considerandum est quod ad productionem alicuius rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem quod ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra diximus ideas (q. XV, a. 1), id est, formas exemplares in mente divina existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, prouti eius similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium ». Ita S. Thomas p. I, q. XLIV, a. 3.

Eadem iam docuerunt Dionysius, S. Anselmus, S. Augustinus aliique Patres. *Quis audeat dicere*, scribit Augustinus, *Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut ratione sint condita, nec eâdem ratione homo, qua equus. Hoc enim absurdum est existimare: singula ergo condita sunt propriis rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris?.... Quod si hæ rerum creandarum, creatarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidpiam nisi æternum, atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato; non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt,*

quia æternæ sunt, et eiusmodi atque incommutabiles manent: quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquo modo est (1).

Hæc doctrina a Patribus expolita continetur in sacris litteris, ubi e. g. Deus dicitur fecisse omnia in *sapientia*, et ipsa sapientia cum Deo Creatore adfuisse *cuncta componens*, eaque esse *omnium artifex* (2).

179. **De tempore creationis.**

Ad *factum* quod spectat, est dogma fidei: mundum non ab æterno sed in tempore seu, dicam melius, *cum tempore* conditum esse. Id enim expresse docet Ecclesia in concilio Lateranensi IV, ubi dicitur: « Credimus.... Deum.... esse Creatorem omnium.... qui sua omnipotenti virtute simul *ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam ». Idem confirmavit conc. Vaticanum. — Revera legitur Gen. I, 1: *In principio creavit Deus cœlum et terram*, seu « in initio temporis, antequam mundus esset ». Quamvis enim aliæ dentur significationes illius *in principio*, eæ tamen hanc nostram non excludunt, quæ fundamentalis est et omnino retineri debet ex parallelismo biblico (3) et ex unanimi Patrum interpretatione. Verum Patres etiam directe consentiunt, mundum in tempore fuisse factum nullamque creaturam conditori suo coæternam esse posse. Quæ veritas etiam aliquibus rationibus convenientiæ suadetur, nimirum quod ex creatione mundi in tempore facilius cognoscitur *Deum esse*, melius manifestatur Dei potentia, clarius apparet divina bonitas et melius etiam intelligitur divina virtus et libertas (4).

Si vero non de facto, sed de *possibilitate* æternæ creationis agatur, Theologi et Philosophi in varias abeunt sententias. Aliqui cum D. Thoma censent, saltem non posse *evidenter* probari ex sola ratione repugnantiam æternæ creationis et argumenta contraria non esse convincentia (5).

---

(1) Lib. LXXXIII, quæst. 46.

(2) Ps. CIII; Prov. VIII; Sap. VII. De ideis divinis cfr. Mazzella, *De Deo Cr.*, disp. I, a. 7, § 1.

(3) Prov. VIII, 22-28; Ps. LXXXIX, 2; Ioan. XVII, 5; Eph. I, 4.

(4) S. Thomas, *C. G.*, l. I, c. 13; l. II, c. 38; *Sum. th.*, p. I, q. 46, a. 1 ad 6.

(5) S. Thomas, *Sum. th.*, p. I, q. 46, a. 1; Opusc. 23, *De æternitate mundi contra murmurantes.*

180. Data della creazione del mondo.

I dotti pongono la creazione della materia in una età remotissima. La Bibbia su tal punto è muta; quindi circa la data dell'origine del mondo, ella ci lascia liberi di accettare l'opinione scientifica che ci parrà più verisimile. — Dall'esposizione del primo capitolo della Genesi risulta che questo libro non ci fornisce alcun dato preciso su quel *principio,* in cui pone la creazione propriamente detta della materia. La sacra Bibbia non dice mai che l'universo sia stato creato nel tal anno o nella tal epoca av. C. È bensì vero che nei libri storici incontransi date riferentesi all' « èra della creazione del mondo », ma tale denominazione non è esatta, come è facile convincersene considerando il processo tenuto nel formare le cronologie bibliche.

Le cronologie bibliche variano nelle loro cifre, secondo che tali cifre sono desunte da questo o da quel testo antico, ma tutte furono costituite nell'istesso modo. Si presero le età dei patriarchi indicateci nei capitoli V° e XI° della Genesi, si sommarono le une colle altre, tenendo conto soltanto degli anni, in cui non erano vissuti simultaneamente, e se ne formò così una cronologia non interrotta. Perciò tutti questi calcoli hanno per punto di partenza la creazione dell'uomo e non quella del mondo.

Vero è che, per lo addietro, nel computo degli anni non doveasi tener conto dei sei giorni genesiaci, considerati allora come di 24 ore ; ma se vi si fosse posto mente, si avrebbe dovuto notare, che la creazione degli elementi della materia, essendo distinta dall'opera dei sei giorni, come giustamente osserva il P. Petavio, fra le due operazioni divine della *produzione ex nihilo* e della *ordinazione* del mondo, poteva esser trascorso un intervallo più o meno considerevole. Comunque sia, oggimai è ammesso quasi universalmente dagli interpreti, che Mosè non ci dice nulla dello spazio di tempo trascorso fra la creazione primitiva e la produzione della luce nel primo giorno genesiaco. Ignoriamo quindi quale sia la durata, e, stando al testo sacro, ci è impossibile sapere quale sia la data della creazione del mondo : la questione è parimenti insolubile, o si ammettano i giorni epoche, o si sostengano i giorni di 24 ore ; onde su tal punto siamo costretti di rimetterci al giudizio dei dotti.

Ma i calcoli degli stessi dotti sono ben lungi dall' esser certi, nè hanno base abbastanza ferma. Non si posson fare che congetture. Il Poisson, supponendo che la temperatura del globo fosse di tre mila gradi, allorquando cominciò a formarsi la crosta solida, ha verificato che da quel tempo sarebbero scorsi cento otto milioni d'anni ; in numero rotondo, un milione di secoli. Ma se si ammette che la temperatura primitiva non fosse che di 1500 gradi, temperatura più che sufficiente per liquefare tutte le rocce conosciute, il tempo trascorso dal principio dell'assodamento fino a noi non oltrepasserà 20 milioni di anni, cioè quattro volte meno. È senza dubbio ancora una cifra che spaventa l'immaginazione ; ma al postutto è bene ricordare che questi non sono che calcoli approssimativi, basati essi stessi su di una ipotesi, quella cioè dell'incandescenza primitiva del globo. Quel che si può affermare, è che la terra è antichissima; e quando si pensa alla moltitudine di fenomeni di cui fu teatro anche solo dalla prima volta che vi apparve la vita fino ai tempi nostri, a mala pena si resta sorpresi di vedere accumulare i milioni di anni per misurare la sua età. — Vigouroux, *Manuale Biblico,* v. 1°, n. 278.

181. **De modo et ordine creationis.**

Divina revelatio proponit non tantum factum, sed etiam *modum* et *ordinem*, quo mundi opificium perfectum est. Huc enim spectat hexæmeron mosaicum, seu descriptio operum sex dierum, quæ libri Genesis capite primo et secundo habetur.

Porro nostræ partis non est huius enarrationis accuratam instituere expositionem; attamen 1°) quasdam regulas proponimus quæ fines statuant, intra quos fides tuta manet, simulque nos ducant in solutione difficultatum, quae contra verba Moysis ex recentiori scientiæ naturalis progressu congeruntur; 2°) præcipuas interpretationes de mosaico hexæmero indicamus; 3°) quid tenendum sit circa originem viventium generatim statuimus.

182. **Quædam regulæ dirigentes.**

1.ª *Ad creationis historiam a Moyse relatam explicandam recte conferuntur notitiæ, quæ ex scientiis rerum naturalium certo exploratæ habentur.* — Ratio est, quia verum vero contradicere nequit et ideo cognitio, quam de prima rerum origine ex revelatione hausimus, et augeri et clarior fieri potest ex amplificata notitia rerum naturalium. Recurrere autem ad miracula, ut subsidium scientiarum naturalium repudietur, ineptum foret; quia sicut ait S. Thomas ex sententia ipsius Augustini: *In prima constitutione non quæritur miraculum, sed quid natura rerum habeat.* Ideo ipsi Patres, qui hexæmeron explicarunt, notitias quoque physicas suæ ætatis adhibuerunt. Et Augustinus diserte ait: *Hoc indubitanter tenendum est, et quidquid sapientes huius mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerint, ostendamus nostris libris non esse contrarium* (1).

2.ª *Huiusmodi naturales cognitiones ita conferri debent, ut verbum Dei locum normæ semper obtineat.* — Ratio est, quia non cognitio divina ad normam humanæ, sed humana ad normam divinæ cognitionis exigi debet, præsertim quia sæpe contingit falsa deinceps inveniri, quæ antea ex scientiis humanis omnino explorata esse videbantur. Econtra quæ in verbo Dei inspirato continentur, firma veritate constant; in verbo Dei autem continentur non modo quæ directe, sed etiam quæ indirecte et per

(1) *De Gent. ad lit.*, l. I, c. 21.

accidens sacer auctor intendit; uti essent ea, quæ extra scopum principalem de rerum natura dicuntur (1).

3.ª *Verumtamen et illud cavendum, ut non illico reputetur esse sensum S. Scripturæ, qui fortasse non est.* — Quæ porro regula præsertim in hac re attendi debet, quia narratio mosaica de origine rerum est brevissima et citra omnem scopum scientificum, eo solummodo spectans ut Israelitæ instruantur de Deo omnium creatore et ordinatore, proindeque a cultu creaturarum retrahantur, et ad legem Sabbati exemplo ipsius Dei inducantur. Ceterum narratio mosaica, licet nihil falsi continere possit aut quod contradicat veris et certis scientiarum inventis, attamen quæstiones naturales, pene omnes, ne vix quidem attingit, quæ proinde ex integro solvendæ relinquuntur rationali inquisitioni (2). Hinc hoc principio innixi admittere possumus id, quod ipsa ratio ex Dei usitato agendi modo insinuat, et observationes geologicæ et traditiones populorum confirmant, scilicet *mundi constitutionem mundanorumque corporum molitionem, post creatam a Deo materiam, ipsius materiæ viribus commissam fuisse.* Ut vero huic rerum evolutioni tempus sufficiens detur, nil impedit quominus *dies genesiaci accipiantur pro temporis periodis diuturnis et etiam longissimis,* sicut ipse Augustinus et S. Thomas coniectare permittunt. Quod si adversarii contendunt res non fuisse productas eo ordine, quo Moyses describit, bene opponi potest, præter iam adnotata, eos revera assertum non demonstrare aut etiam dies genesiacos intelligi posse ut momenta logica, non ut spatia realia (3).

---

(1) Conc. Vatic., Const. *De fide*, c. 1; cfr. Tract. *De trad.* — Leo XIII in encycl. *Providentissimus*, 1893, damnavit errorem eorum qui supponunt inspirationem coarctari ad res fidei et morum et non extendi ad res quæ spectant ad scientiam naturalem et inde deducunt Moysem quoad istas potuisse errare.

(2) Si scriptor inspiratus quandoque tradit notitias scientiæ naturalis, id non accurate et scientifica diligentia facit, sed sermone generali, vulgari, qui respondet potius rerum apparentiis, quam determinationi scientificæ. — Ratio autem cur Deus ita se gerat, redditur a S. Thoma in *lib. sentent. dist.* 25: « Hanc scientiam (naturalium) homo peccando non perdidit, nec illam, qua carnis necessaria providentur. Et idciro in Scriptura homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animæ, quam peccando amisit ». Cf. *Encycl. Provident.*

(3) Hæ regulæ in doctrina S. Thomæ fundantur, qui ex S. Augustino (I. Gen. ad litt. c. 18 et *Conf.*, l. XII, c. 23 et 24) docet, in huiusmodi quæstionibus duo esse observanda. « Primo quidem, ut veritas Scripturæ inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis

183. **Tres præcipuæ interpretationes de hexæmero mosaico.**

Quæ Scriptura continet de creationis ordine, obscura sunt, utpote obiter et extra scopum dicta; inde plura de hac re Catholicorum systemata, quæ tamen revocantur ad *litterale, allegoricum, concordistarum* seu *de diebus periodis.* Primum verba Moysis sensu obvio interpretatur et dies genesiacos sumit tanquam sex dies 24 horarum: vel iuxta sententiam litteralem *antiquam* vel litteralem *recentem.* Alterum, *diversimode* propugnatum a Patribus et a recentioribus, excludit sex dies significare spatia realia sibi succedentia. Tertium, veluti medium inter præcedentia, *dies* Genesis intelligit ut longa et inderminata tempora.

Systema litterale.

Sententia litteralis antiqua statuit: materia omnium rerum simul creata fuit; ex ea singulæ res eductæ sunt intra spatium sex dierum naturalium. Communior est apud PP., præsertim Basilium Cæsar., Chrysost., Amb., apud veteres scholasticos ac apud paucos recentes, (Mazzella, Bosizio, Laurent), qui addunt facta geologica et palæontologica, recentius observata, diluvio universali explicari *(Diluvianistae).* — *Communiter rejicitur:* nam inexplicata relinquit certa facta geologiæ et palæontologiæ, ut sunt *strata* telluris, *fossilia,* il *calcare a nummuliti,* quorum efformatio, *diuturnas* periodos requirit et nonnisi inepte explicaretur sive per miraculum sive per diluvium.

Sententia litteralis recentior ponit: in 1° v. Gen. traditur totius mundi origo et omnium stratorum formatio; in 2° v. *ruina* seu cataclisma mundi, post multa secula; in sequentibus v. *restauratio,* sex diebus proprie dictis. Admittitur a Buckland, Wiseman, Westermayer — *Relinquitur*, quia, inter alia, de huiusmodi perturbatione et *mira* restauratione nullum indicium datur neque in ipso textu vel contextu.

Systema allegoricum seu idealisticum.

Prima sententia affirmat: totus mundus *uno instanti* creatus; distinctio sex dierum fit a Moyse vel claritatis et ordinis gratia vel relate ad cognitionem Angelorum, qui res simul productas successive cognoverant. A pluribus PP. præsertim Augustino proposita, ab Alb. Magno aliisque retenta, a S. Thoma ut probabilis admissa. — *Nunc non amplius probabilis,* etenim mundus per longa secula efformatus apparet.

Secunda sententia ponit: Moysi revelata fuit creatio sex *visionibus,* (quadri istorico-profetici) quibus Adam a Deo origo mundi ostensa est; ideoque auctor describit ordinem harum visionum, non autem ordinem secundum quem res *factæ* sunt; indoles poetica et non scientifica primi capitis Gen. hoc suadet. Ita moderni nonnulli, ut Michelis, Hummelauer, Reusch, Bougaud... Affinis est sententia Clifford, episcopi Clifton, qui æstimavit dies et opera non ideo distingui, ut dicatur quid

---

sensum Scripturæ esse credebat, id nihilominus asserere præsumat; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi præcludatur. » *Sum. th.*, I, 68, 1.

olim tali die productum sit, sed ut singuli hebdomadæ dies memoria alicuius creationis sanctificentur: dicitur *liturgismus*. — Hodierna systemata idealistica probabilitate non carent et salva fide teneri possunt; mosaicam narrationem in tuto collocant et subtrahunt impugnationibus, cum Moyses nihil dicat de *modo*, quo Deus entia produxit; ceterum, aiunt defensores, ordo logicus non excludit ordinem historicum, potuit scilicet Moyses describere quid fecerit Deus quoad *creationem, distinctionem* et *ornatum* creaturarum. Alii tamen, ut Vigouroux, hoc systema non acceptant, insistentes characteri historico primi capitis Gen. et animadvertentes Scripturam nobis non insinuare, quod locutio Moysis sensu ideali intelligenda sit.

Systema concordistarum.

Generatim statuit sex dies esse periodos indeterminatæ durationis, quia vox *jom*, dies, hanc quoque significationem habet, et consequenter etiam voces *éreb*, vespere et *boqer*, mane, bene sumi possunt pro *fine* ac *initio* operationis ideoque ipsius epochæ. In his periodis acciderunt transformationes mundi et actus Dei creantis. A multis catholicis ut probabilius propugnatur, quales sunt Pianciani, Palmieri, Meignan, Vigouroux; et revera consonat Scripturis, atque sufficienter *conciliat* narrationem mosaicam cum scientiis naturalibus, dummodo, ex una parte, intelligatur Moysen per summa capita vulgarem *summariam descriptionem* dedisse *præcipuarum rerum*, quæ in quolibet die velut *characteristicæ* sunt, ex alia retineatur multa adhuc in geologia et palæontologia incerta, indeterminata et forte insolubilia manere. — Cfr. Tanquerey, Hurter, ed. 12ª, Vigouroux v. l. (1).

Explicatio a Lagrange aliisque criticis recentioribus proposita = Moyses, quæ ad opus sex dierum referuntur, non enarrat iuxta obiectivam veritatem, sed iuxta traditiones populares (exinde huic theoriæ nomen *ab apparentiis hystoricis*); hæ traditiones populares, prout a Moyse exhibentur, excludunt errorem in fide et moribus i. e. errorem quoad substantiam, non autem errorem in rebus accidentalibus, seu in rebus physicis et hystoricis. Ipse igitur dicit mundum esse formatum a Deo intra sex dies, non ea intentione ut affirmet mundum reapse hac ratione confectum, sed quia talis modus creationem describendi ad rem valde utilis est. — Hæc sententia non videtur cohærere cum his quæ de divina inspiratione et veritate Scripturæ tenenda sunt: vere admittit *errorem*, licet non circa substantiam revelationis, in textu absque dubio authentico, quatenus agiografus proponit ut verum id quod revera non est (2).

Hic opportune observabis, a fortiori probari non posse explicationem illam, secundum quam narratio mosaica *mythus* est vel descriptio mere *poëtica*.

---

(1) *Communiter objicitur*: Admitti nequit sive creatio terræ sive vegetatio plantarum ante creationem solis; porro Moyses hoc ponit. — R. Verba Moysis, *fiant luminaria in firmamento cœli*, non significant solem creatum fuisse quarta die, sed *tunc apparuisse*, fugatis vaporibus et atmosphera translucida facta. Sol iam erat et plantæ potuerunt vegetare sub eius influxu, accedente etiam calore terræ proprio.

(2) Lege decretum ex Commissione biblica, 23 Ian. 1905 de narrationibus specie tantum historicis in Libris S. Scripturæ, qui pro historicis habentur.

184. **De origine viventium.**

Deus viventia omnia, vegetalia et animalia, creavit; Ips in omnium viventium, multoque magis hominis, formatione immediate operatus est. Ita communiter catholici, qui ideo *defensores* sunt *stabilitatis specierum. Transformismus absolutus* seu *rigidus* propugnat spontaneam generationem vitæ, secundum omnes suos gradus, ex solis materiæ viribus per transmutationem et absolute excludit virtutem Primæ Causæ, cuius existentiam negat. Error est qui tum fidei tum rationi repugnat. Datur insuper *transformismus mitigatus,* nonnullorum catholicorum, qui transformationem et evolutionem specierum, et, interdum, etiam corporis primi hominis, cum quibusdam limitibus et cautelis, vi legum a Deo conditarum admittit. Porro hic modus dicendi, generatim loquendo, videtur contradicere obvio sensui Scripturæ. « Sane Scriptura non quomodocumque tribuit Deo effectionem viventium, sed *a) iuxta genus suum* (quod certe significat rerum differentiam ideoque multitudinem entium, quæ Deus immediate creavit) *b)* signans terminum *a quo* effectionis eorum, materiam inorganicam et quidem diversam pro diversis speciebus viventium (*Germinet terra — producant aquæ — formavit... de limo terræ*), quæ *c)* divino multiplici imperio in actum sunt deducta *(Fiat, germinet, producant, faciamus).* Atqui hæc obvio sensu repugnant *omnium* transformistarum placitis. — Adde protoparentum corpora, non evolutione inferiorum specierum, sed speciali divina operatione esse facta, ut infra demonstrabimus; attenta ergo analogia rerum et verborum, concedendum est etiam productionem aliarum specierum fuisse immediatam » (1).

Nota. — De Transformismo absoluto sat multa infra dicentur, in scholion de hominis origine quoad corpus, de Transformismo mitigato hæc alia, si vis, a supra citato Manzoni accipias: Ipse specierum evolutionem *a)* coarctat ad species quasdam affines, vel *b)* eam deducit ex speciali interventu divino, qui præternaturali virtute perfectiorem speciem ex inferiori produxit, vel *c)* explicat ex seminali seu radicali quadam virtute, quam materiæ vel primo viventi Deus indidit in ipsa creatione, ut processu temporis, novis extantibus conditionibus, fœcundaretur ad nova viventia. — Iuxta tertiam formam probabilis habetur a Til. Pesch, Ianssens, Knabenbauer, Hummelauer, et propugnatur a Mivart, Gaudry, D. Cochin,

---

(1) Manzoni th. 33. — Præ oculis habere iuvabit assertionem aliorum, v. g. Tanquerey p. 286: « Transformismus mitigatus, licet prima facie videatur obvio Scripturæ sensui oppositus, non evidenter tamen fidei adversatur, sed ut hypothesis probabilis propugnari potest, donec Ecclesia de hac re iudicium protulerit ».

P. Leroy, Zahm. Iuxta secundam formam probabilis habetur a Calmet, Tanquerey; iuxta primam formam a P. Wasmann et P. A. Gemelli. *Improvide* agunt, qui omne transformismi systema impugnant, quasi inde periclitetur fides; si enim usque ad hominis originem non deducatur, et intra limites *poliphylogenesis* teneatur, fidei contrarium dici non potest, siquidem originem viventium *a terra* absolute loquendo exponere licet de origine *mediata* et *virtuali*. Attamen si non opponitur apertis fidei documentis, sensui Scripturæ obvio contradicit (1).

185. De rerum conservatione.

Satis non est, Deum creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conservatione ut ea in esse permaneat. Conservatio autem hæc non est tantum *indirecta*, quatenus removeantur principia corrumpentia, sed *directa* et *positiva*, quatenus esse cuiuslibet creaturæ a Deo ita dependeat, ut nec momentum creatæ res subsistere possent, nisi operatione divinæ virtutis conservarentur

---

(1) Ita multi auctores; attamen ut recte percipiatur sensus et momentum transformismi mitigati, sub hac forma, hæc iuvat subnectere: — In questi ultimi tempi è stata emessa da alcuni naturalisti (Wasmann, Gemelli, Vettstein ecc.) una nuova ipotesi per spiegare l'origine degli esseri viventi oggidì sulla terra, in armonia con i fatti presentati a noi dalla paleontologia. Questa ipotesi è stata chiamata dal P. Gemelli: *polifilogenesi*. Secondo essa gli esseri viventi attualmente sulla terra sono derivati da alcuni tipi fondamentali originarii creati direttamente da Dio. Tale ipotesi respinge il concetto fondamentale, che informa le comuni concezioni della evoluzione universale del cosmos, per il quale la natura avrebbe avuto origine e si sarebbe ulteriormente sviluppata per forza propria, concezione questa eminentemente panteistica. Essa si limita ad essere una spiegazione delle scienze naturali, perciò impropriamente si chiama ipotesi evoluzionista o trasformista. Non si oppone poi al dogma, perchè ammette che siffatti processi siano opera di fattori interni posti da Dio stesso nei tipi fondamentali nell'atto della creazione, conferendo con ciò ad essi una capacità di sviluppo in determinate condizioni (Sant'Agostino). Non si può dire inoltre che la medesima sia contraria alla rivelazione; anche perchè ammette un proprio atto di creazione per spiegare l'origine dell'uomo e perchè assume le parole *specie* e *genere* secondo il concetto tecnico delle scienze naturali, il che non ha niente a che fare con l'espressione scritturale di specie o di genere, e nemmeno secondo la ben determinata nozione dei filosofi. — (Si vegga a questo proposito: Wasmann, *La biologia moderna e la teoria dell'evoluzione*, trad. Gemelli, Firenze 1906; Gemelli, *Il problema dell'origine delle specie*, Firenze 1906; e numerosi articoli nel periodico: *la Scuola Cattolica* del 1906 e *Rivista di Fisica, Matematica e Scienze naturali* del 1906-07-08-09). — È da ricordarsi che questa nuova corrente ha incontrato largo favore tra gli studiosi naturalisti e non è stata una delle ultime cause del presente tramonto del Darwinismo. Si vegga sul tramonto del Darwinismo il numero speciale dell'ottobre della *Revue de Philosophie* di Parigi (pubblicato anche a parte) nel quale i migliori scrittori cattolici di scienze naturali (Briot, Gemelli, Wasmann, De Sinethy, Gerard, Torrend, Maritain) hanno fatto il bilancio dello stato attuale del Darwinismo.

in esse. Itaque illa virtus divina, quæ rem ab initio excitavit e nihilo, eadem debet indesinenter continuari, ne creatura in suum nihilum, unde emersit, relabatur. Hinc conservatio recte definitur *continuata* creatio, eaque huc tandem redit, quod Deus voluntate sua, quæ rerum productiva est, velit rem, quæ non erat, esse perenniter.

Omnia conservari a Deo, est doctrina revelata, quæ aperte asseritur in Scripturis, quando ex. g. aiunt: « *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* » (Sap. II, 26); item cum asserunt, quod Deus est *portans omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr.* I. 3); pariter quando Paulus dicit: « *In ipso vivimus, movemur et sumus* » (Act. XVII, 28); cuius rationem explicat S. Thomas: « quia etiam nostrum vivere et nostrum esse et nostrum moveri *causantur* a Deo » (1). Late describitur a Patribus, qui eam repetunt ex ipsa conditione creaturarum, et exaltant supra ipsam creationem.

186. De divina rerum providentia.

Quidquid Deus condidit, quidquid conservat, hoc ad finem aliquem condidit atque conservat: vult nimirum, ut res a se conditæ finem aliquem semper assequantur. At si hoc vult, media quoque idonea illis suppeditare perpetuo debet. Porro hac notione continetur *divina providentia*, quæ definitur: *rerum in finem ordinatio, quam Dei mens disponit et voluntas eius exequitur.* Huiusmodi ordinis executio, proprio nomine, dicitur *divina gubernatio* et tum providentia, quatenus a gubernatione distinguitur, est *ratio ordinis rerum in finem in Deo existens,* ut a S. Thoma definitur (2). De ea autem duo credi debent: eam generatim existere, et ad res creatas omnes sese extendere. Ita docent Vaticani Patres: « Universa quæ condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius (Heb. IV, 13), ea etiam quæ liberâ creaturarum actione futura sunt (3) ».

---

(1) P. I, 18, 4 ad 1. Cf. Lessius, *De perf. Div.* l. X. c. 3, n. 20, c. 4. — De concursu Dei *immediato* et *physico* ad actiones, etiam liberas creaturarum, opportune agitur in tract. de Gratia.

(2) *Sum. th.*, p. I, q. 22, a. 1.

(3) Const. *De fide*, c. 1. Præiverat Pius IX in damnatione prop. I et II *Syllabi.*

Ita rem esse demonstrant *Ss. Scripturæ* sive eventibus enarratis sive expressius testimoniis, uti est illud Sap. VIII: *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.* In hanc rem *Patres* commentarios insignes ediderunt, e quibus innuisse sufficiat, quæ scribunt Lactantius *de ira Dei*, Ambrosius lib. I *de Offic.*, Augustinus lib. V *de Civ. Dei.* Argumenta quoque *rationis* ad rem probandam a Patribus producuntur, eaque desumpta tum ex natura et perfectionibus Dei, tum ex historia sive ecclesiastica sive profana. Demum advertas, Dei providentiam *circa liberas hominum actiones* nominatim celebrari sive in Scripturis sive a Patribus, ubi Deus exhibetur ut qui in manibus habet cor hominis eiusque gressus et actiones dirigit, ut qui voluntates præparat et dissipat consilia gentium, ut qui iustorum peculiarem curam habet itemque pauperis et humilis. Quæ quidem providentia elucet etiam in permissis iustorum persecutionibus iniquis, ut eorum virtus probata refulgeat, et potissimum in permissione mali moralis. *Melius enim,* inquit Augustinus, *iudicavit* (Deus) *de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere* (1). Et revera si omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo; non enim esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum (2).

CAPUT II.

DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

187. Inter naturas a Deo creatas supremum locum tenet natura angelica. *Angelus* (ἄγγελος), nomen ab officio desumptum, significat *nuntium*, quippe angeli sæpe a Deo mittuntur ad homines; sed angeli conceptus eo redit, ut sit *substantia creata, completa et pure spiritualis.* Dicitur *substantia,* ut indicetur in quo convenit proxime cum homine, remote cum ipso Deo; *creata* ut secernatur a Deo; *completa* ut distinguatur ab anima humana, quæ, etiam cum per mortem a corpore separatur, essentialiter non est nisi pars hominis, utut principalis; *pure spiritualis* ut distinguatur ab homine, qui ex corpore et spiritu componitur. Substantia vero, quæ spiritualis est, eo ipso *intellectualis* esse supponitur.

(1) *Enchir.*, c. 27.
(2) S. Thomas, *Sum. th.*, p. 1, q. 22, a. 2 ad. 1.

Pauca sunt, quæ de Angelis divina revelatio expresse docet. Transmissa inferius quæstione de eorum elevatione et lapsu, hic duo potissimum statui debent; tum Angelos existere, tum naturâ esse hominibus præstantiores omnisque corporis expertes. Hæc duabus thesibus expendimus: cetera scitu utilia scholiis additis innuemus.

Thesis XXVII. — *Angeli vere existunt.*

188. ***Declaratio.*** — Sumuntur hic *Angeli* secundum conceptum nondum plane distinctum, sed tantum generaliorem, quatenus sint naturæ quædam intellectuales a Deo creatæ, præter hanc rerum adspectabilium universitatem. — Porro Angelos vere existere de fide est, ex apertissima Ecclesiæ professione et ex manifesto Scripturarum testimonio. Id enim diserte definitum est in conc. Lateran. IV: « Deus condidit utramque creaturam angelicam et mundanam. »

Quod vero Angelos e nihilo Deus creaverit, sicuti cetera omnia, id posita eorundem existentia, iam continetur in superius demonstratis.

189. ***Demonstratur I.*** *ex sacra Scriptura.*

a) Scriptura multas apparitiones Angelorum commemorat, quales in Veteri Testamento habuerunt Abraham, Agar, Iacob, Balaam, Tobias, Gedeon, Elias, Isaias aliique: quales in Novo Fœdere factæ sunt Zachariæ, B. Mariæ Virgini, Sancto Ioseph, pastoribus ad Christi nativitatem, piis mulieribus ad Christi sepulcrum, Petro: Angelis autem ita apparentibus Scriptura tales actiones attribuit, quæ solum substantiis intelligentibus et completis seu personis competunt. — *b)* Innumera alia enarrantur de Gabriele, de Michaële, de Raphaële et generatim de Angelis, qui Deo adstant, eum laudant, eique obediunt et ab eo in ministerium mittuntur. — Imo *c)* ex Act. Ap. xxiii, 8, novimus, Sadducæos ea quoque de causa in hæreticorum censu ab Hebræis haberi, quia Angelos negabant: *Sadducæi dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.*

190. ***Demonstratur II.*** *ex Traditione.*

Ecclesia, inde ab initio, de existentia Angelorum expressam fidem habuit. Augustinus ait: *Quamvis non videmus apparitiones*

Angelorum...., tamen Angelos esse novimus ex fide, et multis apparuisse legimus (1). Et hac fidei professione contineri, quod Angeli sînt naturæ intellectuales, testatur Ambrosius: *Non est solus* (homo) *rationabilis; scimus enim rationabilia esse et cœlestia opera Dei; Angelos et Archangelos rationabiles confitemur* (2). Hinc fideles venerantur et invocant Angelos ceu Dei ministros beatifica Dei visione fruentes, et ipsa Ecclesia in sacris liturgiis ad id preces solemnes proponit. Imo vetustiores Patres, uti Cyprianus, Tertullianus, Clemens alexandrinus, existentiam Angelorum confirmant ipsorum gentilium consensu. *Dicimus esse substantias quasdam spirituales,* ait Tertullianus in Apologetico; *nec nomen novum est. Sciunt dæmonas Philosophi..... dæmonas sciunt poëtæ... Angelos quoque etiam Plato non negavit* (3). Huiusmodi consensus facile ostendi posset universalis apud gentes, sed is a primitiva revelatione vel a consuetudine cum Iudæis repeti debet, potius quam a ratione, sicuti ipsi Patres, uti Iustinus et Clemens alex., testantur. Existentia enim Angelorum ex sola ratione demonstrari nequit, licet argumentis nonnullis *probabiliter* suadeatur. Inter hæc illud est, quod innuitur ab ipso Concilio Lateran.; quia scilicet ordo videtur exigere, ut dentur substantiæ *spirituales,* sicuti dantur *corporales,* et quæ veluti *communes* ex spiritu et corpore constituuntur (4).

SCHOLIA.

191. *Quando Angeli creati.*

Licet antiqui aliquot Patres, præsertim græci, existimaverint Angelos ante mundum creatos fuisse; communior tamen sententia tenet

(1) Serm. I in Ps. CIII.

(2) Lib. V, *De fide,* c. 2, n. 22.

(3) *Apol.,* c. 22.

(4) Huic consonat argumentum S. Thomæ: « Id quod præcipue in rebus creatis Deus intendit, est bonum, quod consistit in *assimilatione ad Deum.* Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem creaturam producit per intellectum et voluntatem. Unde ad perfectionem universi requiritur quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. Intelligere autem non potest esse actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ; quia omne corpus determinatur ad hic et nunc. Unde necesse est ponere, ad hoc quod universum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. » P. I, q. 50, a. 1; cf. *C. G.,* 1, 2, c. 46.

eos, ante hominem quidem, sed non ante materiam, et potius simul cum ea productos esse. Quidam existimant Angelorum creationem a Moyse innui vocabolo *cæli* in illis verbis : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* vel etiam nomine *lucis* in illo : *Fiat lux.* Quod autem non ante materiam extiterint Angeli, suadetur ex eo, quod secus Deus non absolute *in principio rerum* creavisset cœlum et terram, et insuper ex verbis LATERAN. concilii IV, quod Deus *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam.... angelicam et mundanam, ac* deinde *humanam.* Qua tamen voce *simul* conveniunt theologi, hanc quæstionem non esse definitam (1).

192. *Angelorum numerus.*

Certum est, numerum Angelorum esse pergrandem, ut patet ex Scripturis, ubi Angeli dicuntur *castra* et *exercitus Dei* et numerantur *millia millium* ministrantes Deo et *decies millies centena millia* assistentes ei (2), et ubi ipse Christus ait, *plusquam duodecim legiones Angelorum* præsto sibi esse (3). Quantus autem sit numerus eorum, sciri non potest, quia neque revelatione, neque ratione naturali certum numerum attingere possumus. Attamen sat recepta sententia est apud Scholasticos et etiam apud Patres, multitudinem Angelorum excedere multitudinem hominum, quotquot usque ad finem mundi sunt exstituri. Tanto numero consonat illud : *In multitudine populi dignitas Regis* (Prov. XIV).

Thesis XXVIII. — *Angelorum natura est humanâ præstantior, eaque pure spiritualis.*

193. ***Declaratio.*** — Thesis est de natura Angelorum, quænam sit, et ponit duo, quæ licet non sint fidei dogmata expresse definita, sunt tamen inter fideles certissima : tum scilicet Angelos esse secundum naturam hominibus præstantiores, tum eos esse spiritus puros.

Spiritus vocatur substantia vivens vita intellectiva, quæ ideo, quatenus intellectualis, corpus et materiam prorsus excedit. Ita spiritus est etiam anima humana. Spiritus *purus* est spiritus nulli corpori naturaliter unitus neque ordinatus ad unionem

(1) Cf. S. THOMAS, qui in suo opuscolo VI, al. XXIII, verba concilii explicat de simultaneitate temporis.

(2) Dan. VII, 10 ; cfr. Apoc. V, 11 ; Hebr. XII, 22.

(3) Matth. XXVI, 53.

cum corpore, sed qui per se est natura completa, a materia independens omnino et quoad esse et quoad omnes suas operationes. Angelos esse substantias intellectuales, abunde constat ex dictis; ideoque demonstratio eo directe spectat, ut vindicetur eos naturaliter nulli corpori uniri. Porro inter antiquos Patres non defuerunt, qui Angelos corpore aëreo et subtili præditos æstimarunt, vel dubii hæserunt. Attamen hæsitatio. hæc fuit admodum paucorum, et modo, postquam Conc. Lateran. IV angelicam naturam vocavit *spiritualem* eam distinguendo a *corporali* et ab humana quasi *communi, ex corpore et spiritu constituta,* catholici Theologi censent, oppositam sententiam cum sana doctrina consistere non posse.

194. ***Prima pars.*** — *Angelorum natura est humanâ præstantior.*

I. Ex S. Scriptura. — *a)* Repræsentat semper Angelos ut naturas ab humana diversas, sive cum eos exhibet invisibiles per se, quippe visibiles fieri possunt cum volunt; sive cum eos exhibet immunes a legibus physicis, quibus homo naturaliter est obnoxius, cuiusmodi sunt leges gravitatis, impenetrabilitatis, motus, qui moram longam temporis postulat, ut magnum spatium percurrat (1). Sane hæc et similis ratio diversitatis arguit in Angelis naturam præstantiorem. — Idem *b)* indicat argumentatio Pauli ad Hebræos 1, 4 et seq.; nam cum Paulus velit excellentiam Christi, tanquam filii Dei, super omnes creaturas demonstrare, eum comparat cum Angelis et putat rem demonstrasse ex eo, quod Christus nomine et filiatione divina melior sit Angelis. Oportebat autem assumere nobiliorem naturam ex creatis, ut recta esset conclusio. — Expressius *c)* minor Angelis dicitur homo in psalmo VIII, idque ut excellentia eius ostendatur, quod scilicet paulo minor sit Angelis: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Quæ verba etiam Christo applicantur, sed quia et quatenus homo (Ad Hæbr. II, 7). — Imo *d)* ipsi Angeli mali repræsentantur ut naturâ potiores hominibus, ubi Christus discipulis suis exhibet ut aliquid magnum, quod dederit eis, qui homines sunt, potestatem calcandi omnem virtutem inimici et quod spiritus ipsi subiiciantur eis (2). Quibus

(1) Gen. XXII, 11; Daniel III, 49; IX, 21; XIV, 32 et seq.; Matt. XXII, 30; XXVIII, 2; Luc. I, 11, 28; II, 13, 15, etc.

(2) Luc. X, 20.

verbis conferri potest quod de Angelis pariter malis ait Petrus, scilicet eos esse homine *fortitudine et virtute maiores* (2ª ep., c. II).

II. Ex Traditione. — Idipsum probatur omnino *a)* ex communi sensu fidelium, qui cum credunt Angelos esse, concipiunt naturas aliquas sibi superiores, a quibus sub Deo reguntur. — *b)* Ex omnium Patrum consensu, inter quos Ambrosius (lib. III, *De fide*, c. IV), Augustinus (Tract. *De cantico novo*, c. VII) et Tertullianun (lib. *De Carne Christi*, c. XIV) confirmant, minoratum esse Christum ab Angelis propter animæ et carnis, et non angelicæ naturæ, assumptionem; et imo Augustinus (Tract. 110 in Io.) ex peccato irremissibili Angelorum, excellentiam naturæ illorum supra humanam colligit; et ex professo eam excellentiam declarat et extollit Dionysius (c. IV, *De Div. Nom.*). — *c)* Ex doctrina Theologorum, qui de Angelis disputant tanquam de naturis altioris ordinis præ toto mundo sensibili et hominibus. — Demum *d)* ex ea apud omnes compertissima ratione quod eo perfectior natura quævis dici debet, quo magis est remota a compositione; compositum enim dicit partes, et pars, quatenus pars, est ens incompletum et imperfectum, quod per alterum ei sese communicans et uniens perfectionem accipit. Atqui natura angelica est remota a compositione multo plus quam natura humana, quæ ex anima et corpore resultat adeo, ut anima, etiamsi accipiatur separata a corpore, semper retineat rationem partis, manens ideo ens incompletum exigens uniri cum corpore, ut perficiatur. Oportet igitur quod natura angelica naturaliter excellat humanam naturam et quod *anima intellectiva, quæ unitur corpori sit infima in genere substantiarum intellectualium*, uti haud semel ait S. Thomas (1). Quod autem Angeli sint non modo magis ac homines alieni a compositione, sed imo omnis physicæ compositionis expertes, id demonstratur in altera thesis parte.

195. ***Secunda pars.*** — *Angelorum natura est pure spiritualis.*

I. Ex S. Scriptura. — Et imprimis argumento hoc *negativo*, quod nuspiam indicatur, vel Angelum habere corpus naturaliter sibi unitum, vel eum ordinari ad modum partis ad unionem cum

(1) Ita e. g. *C. G.*, l. II, c. 91, ubi et illud occurrit principium, quod *formæ, quæ sunt in materiis*, et adde etiam, quæ postulant esse in materiis, *sunt actus imperfecti, quia non habent esse completum.*

corpore. Neque enim mentio unquam occurrit sive corporis alicuius Angeli sive animæ Angelorum, prouti perpetua est mentio humani corporis et animæ humanæ (1). Stante hoc silentio sacrarum Scripturarum, et posito quod idem non suppleatur ab altero fonte revelationis, nulla est ratio cur Angelos concipiamus corporatos. — At accedit argumentum quoque *affirmans*, quod est ipsa appellatio *spiritus*, qua sæpe Angeli vocantur in Scripturis (2). Et quamvis nomen *spiritus*, tribuatur etiam rebus corporeis, ut vento et aëri, tamen quando tribuitur rei intelligenti, necessario significat rem incorpoream, uti cum dicitur: *Spiritus est Deus* (Io. IV) aut: *Caro concupiscit adversus spiritum* (Gal. v). Neque quis dicat, vocem *spiritum* in Angelis indicare principium intellectuale incorporeum, quin excludat partem materialem. Ea enim appellatio Angelis est facta *simpliciter*, proindeque non partem essentiæ, sed integram eorum essentiam indicat. Essentia autem resultans ex spiritu et corpore neque appellatur simpliciter spiritus, neque appellari potest. Ita homo non dicitur simpliciter spiritus, licet spiritu constet. Spiritus quidem dicitur anima humana, attamen ita ut significetur, eam esse partem naturæ humanæ; dicitur enim *spiritus hominis, spiritus noster, spiritus qui in homine est, spiritus adversus quem concupiscit caro.* Contra Angeli appellantur simpliciter *spiritus*, nulla habitudine significata ad aliud, cuius sint et in quo sint tanquam pars naturæ. Ergo in Angelo nulla est pars, quæ non sit spiritus, et eius natura absolvitur et completur spiritualitate.

II. Ex Patribus. — Cum hac Scripturarum doctrina Patrum consensus repugnare nequit. Eorum testimonia, serie sane longa, videri possunt apud Petavium (3). Sententiis *negantibus* Angeli dicuntur *virtutes, seu naturæ, seu creaturæ incorporeæ* (Ignatius M., Nyssenus, Nazianzenus); *materiæ expertes ἄ-λοι* (Epiphanius, Damascenus); *penitus incorporei* (Procopius); *sine ulla mixtione* (Theodoretus); *naturâ invisibiles* (Ioannes hieros.); qui *tangi non possunt formaque carent* (Nissenus), qui *neque corpora sunt, neque corpori coniuncti* (Ioannes Philoponus). Tum *affirmantibus* propositionibus appellantur *puri spiritus* (ita Eusebius), *solum spiritus* (Gregorius M.) *νόοι* seu *mentes*, ac *sola mente intelligibiles* (Dionisius, Gregorius

(1) Apparitiones Angelorum, quæ sæpissime memorantur in Scripturis, non postulant nisi corpus aliquod libere assumptum.

(2) Ad Hebræos, I, 14; Apoc. I, 4; Luc, X, 20 et alibi.

(3) Lib. I, c. 3.

naz.). Porro hisce et similibus dicendi formulis Patres evidentissime significant illum spiritualitatis gradum, qui commercium omne cum omni corpore excludit; et quidem hanc veritatem proponunt non veluti dogma philosophicum, sed loquentes ex sententia revelationis, explanantes Scripturas, tradentes res fidei et ad verbum Dei provocantes.

Attamen fatemur, Patres nonnullos nobis objici, qui in contrariam sententiam pendere videntur, inter quos a Petavio, fortasse severiore, recensentur Iustinus, Clemens alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius ipseque Augustinus. Verum ex his Patribus multi loquuntur non de propriis Angelorum corporibus, sed de iis, quæ in apparitionibus assumunt. Alii asserunt Angelos corporeos non absolute, sed comparative ad Deum, sumendo videlicet vocem *corpus et corporeum* non eo sensu, quo communiter usurpatur, sed ad exprimendum quidquid est quocumque modo circumscriptum et limitatum, quo sane solus Deus est incorporeus, quippe solus est immensus et solus expers omnis etiam metaphysicæ compositionis. Hunc sensum explicat Damascenus: *Incorporeus* (Angelus) *immaterialis dicitur quantum ad nos, nam omne ad Deum collatum, qui solus incorporalis est, crassum et materiale reperitur (De fide,* l. II, c. 3). Aliqui accipiunt vocem *corpus* pro reali substantia et volunt Angelos esse veras et reales substantias, prout etiam Apostolus dicit divinitatem in Christo habitare *corporaliter*, idest *vere, realiter* (1). Demum alii solum dubie, non assertive loquuntur, et quidem secundum sententiam, quam hauserunt non ex revelatione, sed ex Platonis philosophia.

SCHOLIA.

196. *Quomodo Angeli versentur in loco.*

Certum est, 1° Angelos *esse in loco* seu alicui loco substantialiter præsentes ab eoque indistantes. Sæpe enim Scriptura vel in cœlo vel in inferno, vel in terra aut in hoc aëre eos esse dicit (2). Ratio autem ostendit, nullam in hoc esse repugnantiam, quia Deus ipse est in omnibus rebus et anima quoque separata substantialiter est præsens locis corporalibus, uti anima Christi in triduo fuit in inferis terræ locis: imo ratio intelligit, Angelos esse debere in aliqua certa parte huius universi,

(1) Cfr. Aug. apud Petav., l. I, c. 2, n. 14.

(2) Marc. XIII, 32; II Petr., II, 4; Eph. II, 2.

intra quod creati sunt ut præcipuæ eius partes. Ad intelligendum autem *quomodo* Angeli sint in loco, observamus cum S. Thoma, quod esse in loco diversimode convenit corpori et Angelo et Deo. Nam corpus est in loco *circumscriptive,* quia commensuratur loco ita, ut sit totum in toto loco et pars in parte loci. Angelus est in loco non circumscriptive, quia non commensuratur loco, sed in eo est totus in toto et totus in qualibet parte illius, tamen in loco est *definitive,* quia ita est in uno loco, ut non in alio. Deus denique neque circumscriptive, neque definitive in ullo loco est, quia est ubique, sed dicitur esse in loco *inadæquate et cum excessu* (1).

Hæc porro constant apud omnes; at si ulterius quæratur, *quo* seu *per quid* substantia Angeli sit in loco, alii aliter respondent Theologi. Verum S. Thomas docet, Angelum esse in loco per *applicationem suæ virtutis.* Ratio petitur ex analogia cum corpore. Corpus est in loco per contactum dimensivæ quantitatis, ergo etiam Angelus est in loco per aliquam applicationem seu contactum. Duplex autem contactus distingui potest: *quantitatis* et *virtutis;* primus esse nequit in angelis, ergo secundus. Angelus itaque, secundum quod suam virtutem applicat ad aliquem locum qualitercumque h. e. secundum quod vult per suam virtutem alicubi operari, sic est in loco, et ulterius in loco maiore vel minore (2).

Certum est, 2° Angelos *moveri posse de loco in locum.* In Scripturis enim dicuntur præcedere, abire, deambulare, currere, mitti, ingredi, ascendere, descendere, etc. (3). Scribit autem Tertullianus: *Omnis spiritus ales est, h. e. Angeli et dæmones: igitur momento ubique sunt,* utique per velocissimum transitum (4). S. Ambrosius addit etiam rationem, nempe Angelum ideo posse locum acquirere et deserere, quia non est ubique, sed habet definitum locum, quin ei naturali necessitate adhæreat (5). Ut explicet *quomodo* fiat hic motus Angelorum, S. Thomas repetit, eum non commensurari loco; ideoque cum dicimus, Angelum moveri, nihil aliud significamus quam eum fieri absentem et distantem ab uno loco, cui aderat, ut fiat præsens et indistans alteri loco, a quo aberat. Talis vero motus fit per diversos contactus virtutis ad diversa loca successive, quin necesse sit tales contactus esse continuos. Nam potest Angelus dimittere successive locum divisibilem, in quo prius erat, et sic motus erit continuus, et potest etiam totum locum simul dimittere et toti loco alteri simul se applicare, et sic motus eius non erit continuus; in quo motu

(1) S. Thomas, p. I, q. 52, a. 2.

(2) S. Thomas, p. I, q. 52. a. 1 et 2; cfr. Toletus in h. l.

(3) Exod. XIV, 19; Dan. XIV, 35; Zach, II, 4; Luc. I, 27, 28; II, 15; Matt. XXVIII, 2; Apoc. XII, 8, etc.

(4) *In Apol.,* c. 22.

(5) *De Spiritu Sancto,* l. I, c. 11.

non continuo Angelus potest ab uno loco ad alterum transire, etiam non pertransito medio (1).

Demum 3° quæritur, utrum Angelus possit simul *esse in pluribus locis*. Angelicus Doctor respondet, Angelum esse *in uno loco particulari definitive*. Attamen non requiritur locum istum esse continuum, sed esse possunt spatii partes disiunctæ. Hinc non repugnat, communiter dici, Angelos præsentes esse posse in pluribus locis. In tali assertione diversæ partes spatii non continuæ, ut diversa loca designantur, quamvis sint relate ad Angelum unus locus.

197. *De cognitione angelica.*

Ut ea qualis sit, clare explicemus, satis erit proponere ex S. Thoma, præcipua doctrinæ capita de angelicæ cognitionis facultate, medio, modo et obiecto.

Facultas cognoscendi.

Non est nisi intellectus, sensitiva cognitione omnino exclusa, idque sequitur ex illius natura *pure* spirituali, unde Angeli *Intelligentiæ* dicuntur. Intellectio seu actus intelligendi in Angelis realiter distinguitur ab eorum substantia; quia secus Angelus esset ipse suus actus seu actus purus nulla potentialitate admixtus, id quod tantum de Deo dici debet. Item intellectus in Angelis realiter distinguitur ab eorum substantia. Nam ubi distinguuntur actus, etiam potentiæ eorundem eodem modo distinguuntur; atqui existere et operari in creaturis sunt actus realiter inter se distincti; ergo in creaturis realiter inter se distinguuntur etiam eorum principia, quæ sunt substantia et vis operativa.

Medium cognitionis.

Medium cognitionis illud dicimus, quo intellectus quicumque creatus, utpote in potentia ad intelligendum, indiget ut per illud determinetur ad actum intelligendi et ad intelligendum hoc potius, quam illud. In homine medium hoc est *species intelligibilis*, quæ dicitur *species impressa*. Requiriturne ea etiam in Angelo? Concedit S. Thomas, quod Angelus intelligat seipsum per suam *essentiam*, quæ speciei intelligibilis munere fungitur: sed ad intelligendum obiecta a se distincta requirit etiam in Angelo species intelligibiles superadditas; ponit autem, eas esse universales et quidem universaliores ac quæ in nobis sunt et ideo etiam pauciores, at simul clarius et distinctius repræsentantes singularia sub se contenta. Quo enim virtus perfectior est, eo est plenior simulque simplicior usque ad Deum, in quo tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in uno. Dum vero homo has species universales a rebus materialibus abstrahit, eas e contra Angeli a Deo acceperunt simul cum intellectuali natura infusas, unde in

(1) *Sum. th.*, p. I, q. 53, a. 1 et 2.

Ezechiele Angelus, qui cecidit, dicitur plenus sapientia et perfectus in viis suis a die conditionis suæ (1).

Modus cognitionis.

De modo cognitionis angelicæ adnotasse sufficiat, quod Angeli contemplationem veritatis statim complete absque *discursu* naturaliter habent, unde non rationales sed intellectuales dicuntur. Advertas autem, ad verum et formalem discursum non pertinere quod aliquid intelligatur in alio, nec quod unum post aliud, sed requiri quod unum ex alio inferatur. Primum datur etiam in Deo, qui in seipso omnia videt; secundum non quidem in Deo, sed etiam in Angelis occurrit; tertium non in Deo, non in Angelis, sed tantum in hominibus fit. Ex qua vero ratione Angelus non cognoscit discurrendo, ex eadem neque cognoscit *componendo* et *dividendo,* sicut homo facit per iudicium affirmans aut negans. Ratio est, quia statim intelligit totam quidditatem subiecti, et in hac apprehensione iam habet notitiam de omnibus, quæ ei attribui, vel removeri ab eo debent.

Obiectum cognitionis.

Generatim. Obiectum cognitionis angelicæ, quod aiunt *adæquatum materiale,* est *ens* simpliciter, qua late patet, sicut est cuiuslibet intellectus. Obiectum autem *adæquatum formale,* quod scilicet ipsi Angelorum naturæ proportionatur, sunt substantiæ immateriales creatæ, mediæ inter Deum et res materiales. Quam doctrinam, eo supposito principio quod cognitio fit secundum modum et naturam cognoscentis, ita optime illustrat SUAREZ dicens: « Tres gradus intellectuum, supremum, infimum et medium ponit (S. Tomas), i. e. divinum, humanum et angelicum, eosque ex obiectis maxime proportionatis et motivis singulorum distinguit. Nam intellectus divinus a sola sua essentia, quæ est suum esse subsistens, quasi connaturaliter movetur ad intelligendum, et per illam solam omnia cognoscit. Humano vero intellectui connaturale est moveri ad cognoscendum a rebus in materia existentibus, licet abstractiori et immateriali modo illas cognoscat, quam in se sint; et per illas ad immaterialia ascendit. Angelicus vero intellectus per se, primo intelligit naturas immateriales creatas, quæ sunt mediæ, inter Deum et res materiales, et per illas ad Deum ascendit; materialia vero obiecta quasi ex abundantia virtutis suæ altiori modo, quam homo cognoscit » (2).

Speciatim. Nunc quoad obiectum cognitionis angelicæ in specie, quilibet Angelus seipsum per essentiam suam proindeque semper actualiter intelligit; intelligit alios Angelos per infusas eorum species intelligibiles, et ex angelicis substantiis assurgendo naturali virtute cognoscit Deum, in quantum illæ intellectuales essentiæ sunt ipsius Dei

(1) Ezec. XXVIII, 12, 15.

(2) *De Ang.*, l. II, c. 2, n. 23; cfr. S. THOMAS, p. 1, q. 12, a. 4.

perfectiores similitudines, non tamen ipsam essentiam Dei videt. Sicut vero homo universalia et immaterialia intellectu, singularia et corporalia sensu cognoscit: ita Angelus per unam intellellectivam virtutem utraque cognoscit.

Limites. Verum etiam cognitio angelica iis limitibus continetur, ut naturali vi non possit certo attingere *secreta cordium,* sive ea sint cogitationes mentis sive affectiones voluntatis. Id Scriptura et Patres abunde testantur, quum, soli Deo hanc cognitionem vindicant: *Tu solus nosti corda filiorum hominum* (1). Rei autem ratio videtur esse ea creaturæ rationalis independentia, quâ est domina sui actus, soli Deo subiecta et in eum solum, tanquam in finem, ordinata (2). Si vero Angelus non potest cognoscere cogitationes alterius creaturæ intelligentis ex eius voluntate dependentes, multo minus potest, absque revelatione, cognoscere *mysteria gratiæ,* quæ ex pura Dei voluntate dependent (3). Ex eadem ratione sequitur, Angelos nec posse attingere *futura libera,* quæ pendent a determinatione voluntatis sive Dei, sive alterius entis intelligentis. Attamen possunt sive futura libera sive cogitationes liberas cognoscere aliquando, per coniecturam plus minusve probabilem et veluti arguendo ex quibusdam visis signis et effectibus.

Satis de cognitione Angelorum. Remaneret agendum de eorum *voluntate;* sed quæ dicenda essent, nempe Angelos habere voluntatem eamque esse liberam, qua potuerunt aliquando peccare, nimis evidenter sequuntur ex ipsa Angelorum natura intellectiva. Hinc potius:

198. *De locutione Angelorum.*

Loqui ad alterum nihil aliud est, quam referre aut manifestare alteri suum actum internum. Hinc Angeli loquuntur Deo, vel consulendo divinam voluntatem vel eius excellentiam admirando; loquuntur invicem quatenus unus cogitationes ac desideria sua alteri manifestat. Ita Angelorum *lingua* est virtus manifestativa mentis, *auditus* est intellectus et *auditio* intellectio, qua Angelus percipit actus alterius ad se directos. Sic cum Angeli dicuntur *clamare ad invicem* (Is. VI, Apoc. VII), significatur ardor affectus, quo volunt rem manifestare. Si de *modo* quæratur, S. THOMAS docet unum Angelum loqui ad alium per solam liberam ordinationem sui conceptus ad hoc, ut illi innotescat (4). Unde fit, ut unus possit suum conceptum alteri manifestare, quin alii illum percipiant, licet simul præsentes sint.

---

(1) II paral. VI, 30; III Reg. VIII, 39; Ierem. XVII, 9.
(2) S. THOMAS *Sum. th.,* p. I, q. 57, a. 4.
(3) Ibid., a. 5.
(4) Ibid., q. 107, a. 2.

199. *De potentia Angelorum ad actus externos.*

Angeli potentiâ externa pollent maxima. Ex iis, quæ vel Scriptura manifestat vel Doctorum consensus confirmat, hæc tuto asseri possunt, nimirum: Angeli possunt movere corpora et etiam alios spiritus; possunt quoque sibi assumere corpora vel ex aëre et vaporibus formata, vel etiam realia, non tamen ea possunt formaliter vivificare, sed tantum gerere ut motores. Possunt apparere, sive vere in his sibi adaptatis corporibus, vel tantum speciebus in phantasiam immissis. Possunt in hominis phantasiam eiusque corporales humores et organa agere et ita indirecte movere intellectum et inclinare voluntatem, quin eam tamen necessitent. Possunt, applicando activa passivis, quædam mira efficere; patrare vero miracula proprie dicta vel quidpiam efficere, quo mutetur ordo vel lex universi, naturaliter non possunt: imo nec quæ de se possunt, ea omnia facere permittuntur (1).

CAPUT III.

DE HUMANA NATURA.

200. Humana natura, veluti media inter corpoream et spiritualem, ex anima spirituali et corpore constituitur et facultatibus sive organicis sive inorganicis, prouti respondent utrique elemento, instruitur. Quæ maxime nosci debent de corpore sensibili, de anima spirituali et immortali, de intellectu rationali, de voluntate libera, ea satis perspecta et probata supponimus ex philosophicis disciplinis. Ex pluribus tamen, quæ dicenda forent duo prætermitti non debent, quæ rem theologicam proprius spectant.

Primum est de *naturæ humanæ constitutivis*, quænam sint et quomodo simul uniantur ad formandum hominem. In hac quæstione vetus occurrit sententia platonica, Manichæorum, Apollinaristarum de triplici anima in homine: vegetativa, sensitiva et intellectuali. Hic error, licet post definitiones conciliorum Constan. IV et Viennensis pene obsoleverit; attamen recens sub varia forma propositus fuit, veluti si ageretur de re mere philosophica. Alii antiquatam sententiam, quæ *trichotomia* vocari solet, ex integro restaurarunt; alii distinxerunt in anima (ψυχήν) vegetativæ simul et sensitivæ vitæ principium, et spiritum (πνεῦμα), qui sit principium vitæ rationalis. Inter hos accensetur Antonius Günther. Contra, unitatem animæ humanæ tuebimur et quidem

(1) Ita Wirceburg., *De Angelis*, a n. 34 ad 53.

ita, ut simul statuamus substantialem compositi humani unitatem. Hinc apposita propositione demonstrabimus, naturam humanam resultare compositione substantiali duplicis tantum elementi, corporis nempe et animæ rationalis, quæ sit immediata eiusdem corporis forma (1).

Alterum disputandum est *de origine hominis*, sive secundum corpus, sive secundum animam. Quid catholice sentiendum sit in hac duplici quæstione aperiemus duobus distinctis scholiis. Primum erit contra *transformistas*, qui formationem hominis immediatæ Dei actioni subtrahunt eamque ex quadam naturali et successiva evolutione explicant; alterum scholion erit contra veteres et novos *traducianos*, qui animam humanam ex parentibus generatione derivant.

Thesis XXIX. — *Homo corpore et anima ita absolvitur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, atque immediata corporis forma.*

201. ***Declaratio.*** — Thesis effertur verbis ipsis, quibus Pius IX, inhærens definitionibus concilii Viennensis et Lateranensis V, hanc veritatem contra güntherianos errores asseruit, dicens: « Noscimus iisdem libris (A. Güntherii) lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita ab-

---

1) Huc recidunt duæ propositiones Decreto *P. O.* damnatæ, quarum altera realem animæ humanæ divisibilitatem asserit in duas animas *sensitivam* et *intellectivam*, altera denegat ipsam animam esse *formam substantialem* corporis.

Etenim pr. 22ª ita sonat: « Non est cogitatu impossibile divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale: maneret nempe in ipso, tanquam basis puri animalis, principium animale quod antea in eo erat veluti appendix. »

Pr. 24ª hæc docet: « Forma substantialis corporis est potius effectus animæ, atque interior terminus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima. Unio animæ et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subiectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac eius essentiam intuitum fuerit. » Scilicet intellige humani compositi unionem, secundum duplicem animam, etiam duplici perceptione fieri, tum *sensitiva*, qua anima corpus sentit, tum *intellectiva*, qua percipit hanc ipsam sensationem, quæ dicitur fundamentalis (sentimento fondamentale). Ex qua porro doctrina sequitur unionem esse non substantialem sed *accidentalem*, quia in aliqua actione factam; non physicam sed *intentionalem*, prouti inter percipientem et rem perceptam.

solvitur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, atque immediata corporis forma » (1).

Iamvero ut sensus propositæ veritatis intelligatur, revocandum est ex doctrina scholastica, *materiam* esse subiectum, ex quo aliquid fit, *formam* vero esse realitatem, qua id, quod fit, actuatur et perficitur. Unde patet primo, quamlibet essentiam compositam semper ex concursu et unione materiæ et formæ constitui: patet secundo *materiam* per se esse aliquid imperfectum et in potentia ad recipiendum in se quamlibet perfectionem aut proprietatem; *formam* vero esse principium determinans et perficiens ipsam materiam ad certum esse alicuius speciei, aut ad certam perfectionem. Est autem forma *substantialis*, quæ materiam determinat et constituit in esse substantiali, est forma *accidentalis*, quæ materiam iam in esse substantiali constitutam ulterius perficit, ad esse accidentale (2). Iuxta hunc conceptum pars materialis hominis per animam, eamque rationalem, determinatur et constituitur in esse corporis humani, quod ideo ab ea et motum et vitam omnem et sensum accipit. Ita anima rationalis in homine intelligitur esse vera corporis forma substantialis. Dicitur *vera*, quia est forma sensu proprio, non metaphorico; dicitur forma *corporis*, quia anima suam formalem causalitatem exercet non modo relate ad hominem (compositum), sed etiam relate ad subiectum. In thesi dicitur etiam

---

(1) *In litt. apost.* ad Card. Geissel, archiep. colon. 1857. — Conc. Viennense sub Clemente V post alia, quæ ad eandem rem pertinent, concludit definiens: « quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam hæreticus est censendus. » Decretum hoc confirmatur in Conc. Lateranensi V quod nimirum anima « vere, per se et essentialiter humani corporis forma existat. » S. P. Pius IX non modo contra errores güntherianos an. 1857, sed etiam contra errores Baltzer, e schola Güntherii, in *litt. ap.* ad ep. Wratislaviensem an. 1860 affirmat, « hanc sententiam, quæ unum in homine ponit vitæ principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiæ dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari. »

(2) « Sicut omne, quod est in potentia, potest dici materia; ita omne, a quo habet aliquid esse, quodcumque esse sit illud, sive substantiale sive accidentale, potest dici forma. Et quia forma facit esse actu, ideo dicitur quod forma est actus; quod autem facit esse actu substantiale, dicitur forma substantialis, et quod facit esse actu accidentale dicitur forma accidentalis ». S. Thomas opusc. *De princip. naturæ.*

anima esse corporis forma *per se*, et *immediata*, ut plenius exprimatur, animam corpori uniri non per accidens, sed natura sua; non per aliquam aliam animam mediam, nec per aliquem animæ ipsius influxum aut operationem quamcumque in corpus et vicissim (1), sed per suam essentiam, nullo mediante.

Duo asseruntur. — Hinc intelligimus duo contineri in thesi, nimirum: 1) unam esse animam in homine, non duplicem aut triplicem, eamque esse animam ipsam rationalem, qua homo sicut intelligit, ita et sentit et vivit et movetur; 2) hanc animam uniri cum corpore, tamquam formam substantialem ipsius. Porro hæc duo statuuntur citatis Ecclesiæ definitionibus, proindeque ea generatim accepta ad *fidem* spectant.

Attamen sedulo advertas, quoad primum nullam adesse controversiam inter theologos; sed circa secundum quæstionem fieri, *quo sensu* dicatur anima *substantialis forma* corporis. Scilicet, conveniunt omnes, vel certo ex citatis decretis convenire debent, ideo animam esse *formam substantialem corporis*, quia ei communicat *esse substantiale*; sed alii aliter intelligunt esse hoc substantiale; nam qui recentioribus placitis adhærent, illud accipiunt solum pro *esse viventis* ita, ut corpus ab anima recipiat tantum sensum, vitam et operationem vitalem; contra, qui doctrinam S. Thomæ et DD. Scholasticorum sequuntur, illud esse substantiale intelligunt etiam pro *esse corporis* seu *substantiæ corporeæ* ita, ut corpus ab anima accipiat non modo quod sit *humanum* et *vivens*, sed etiam quod sit *corpus, substantia* et *ens*. Aliis verbis, iuxta S. Thomam anima rationalis immediate unitur non corpori iam constituto, sed *materiæ primæ;* iuxta recentiores anima unitur *corpori organico* iam per suas vires physicas constituto. Hi contenti sunt excludere aliam animam viventem, præter rationalem. S. Thomas excludit aliam etiam quamcumque formam, etiamsi aliæ formæ dicerentur subordinatæ animæ rationali. — Ut certo definita secernamus ab iis, quæ in quæstionem vocantur, thesim defendimus saltem eo sensu, quo a nemine catholico negari potest.

202. ***Demonstratio.*** — Doctrina est revelata, hominem componi ex duplici tantum elemento, ex corpore nempe et anima eaque rationali ita, ut ex eorum unione unus constituatur homo, unitate quidem substantiali tum personæ tum naturæ. At-

(1) Cfr. supracitata pr. 24. ex proscriptis Decreto *P. O.*

qui hæc doctrina est quæ in thesi proponitur, nimirum hominem corpore et anima ita absolvi, ut anima eaque rationalis sit vera, suapte naturâ et nullo alio mediante, corporis forma et quidem substantialis. Ergo hæc doctrina revelata est. — In propositione *maiore* duo asseruntur, eaque distincte probamus ex duplici revelationis fonte.

1.ª ***prop. Homo constat tantum ex corpore et anima rationali.***

I. Ex S. Scriptura. — Habetur *a)* ubi enarratur de formatione primi hominis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ et inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (Gen. II, 7). Ibi nonnisi illa duo elementa, limus terræ et spiraculum vitæ, seu anima vivens, formant hominem. Illud autem spiraculum vitæ, seu anima vivens, est anima ipsa rationalis. Nam homo in hanc animam viventem factus, nullo alio elemento commemorato, est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei, est homo qui præest et dominatur cunctis animantibus, prouti statim post illa verba asseritur. — Idem apparet *b)* ex resolutione hominis, quæ describitur apud Ecclesiastem illis verbis: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (1). Adhuc duo solum elementa hominis memorantur, pulvis et spiritus; spiritus autem, qui ad Deum redit, est immortalis ac proinde intelligentia præditus. Huc referri possunt alia loca (2).

II. Ex Patribus. — Iam *a) ante exortam hæresim Apollinaris*, Clemens alex. ita ad rem nostram explicat supracitata verba Geneseos: *Merito ex terra corpus dicit formari Moyses, animum autem* ratione præditum *desuper inspiratum fuisse in faciem* (Strom. l. 5). Hinc quam animam Deus inspiravit ad corpus vivificandum vita vegetativa et sensitiva, eandem animam Clemens dicit esse rationalem; et subdit, *ingressum animæ* eiusdem *in protoplastum* aliud non esse, quam *accessionem sensuum* ita, ut eadem anima, quæ per se intelligit, per corpus etiam sentiat. — Verum *b) post exortam Apollinaris hæresim*, quæ statuebat in Christo esse quidem animam sensitivam sed non rationalem,

(1) Eccl. XII, 7.

(2) Matth. X, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* — XXVII, 50; Luc. VIII, 55.

eius vices supplente divinitate, clarius Patres *dichotomiam* tuentur. Sufficiat audivisse Gennadium, qui scribit: *Neque duas animas credimus esse in uno homine... unam animalem, qua animatur corpus et quæ immixta sit sanguini, et alteram spiritualem : sed dicimus, unam eamdemque esse animam in homine, quæ et corpus sua societate vivificat et semetipsam sua ratione disponit* (1). Quod si Patres, sicut et Scripturæ, aliquando *animam* et *spiritum* in homine distinguunt, id facile explicatur. Nam nomine spiritus intelligi debet non aliqua substantia distincta ab anima, sed vel ipsius animæ facultas, quæ est mens, vel sæpissime donum supernaturale animæ infusum (2).

2.ª ***prop. Ex corpore et anima constituitur homo unus, unitate personae et naturae.***

Vel ex eo apparet, quod non modo ex Scripturis et Traditione, verum etiam ex communi usu loquendi, neque corpus solum vocatur homo, neque anima sola, sed homo dicitur id, quod ex anima et corpore conflatur. Ita in Genesi, vocatur *homo* id quod de limo terræ et de spiraculo vitæ formatur. Expressius in symbolo Athanasiano dicitur: *anima rationalis et caro* unus est homo. Cui sententiæ, veluti explicatio, consonant illa S. Vincentii Lirinensis: *In homine aliud caro, aliud anima: sed unus* idemque homo *anima et caro* (3). Hinc nemo quamtumvis rudis, cadaver aut animam a corpore separatam hominem appellat, nisi forte secundum aliquam accomodationem. Hanc autem hominis unitatem facili animadversione intelligimus non esse accidentalem, uti in exercitu, in quo singuli milites suam distinctam et completam existentiam retinent, sed eam esse *substantialem*, quatenus anima perficit corpus ad aliquod *unum substantiale* simul efformandum. Cum vero substantia dupliciter dicatur, et pro essentia seu *natura*, et pro supposito seu *hypostasi*, utroque sensu unitas compositi humani dicitur substantialis, i. e. ex unione animæ cum corpore fit una persona et una natura humana (4).

Fit una persona. — Revera uni eidemque subiecto tribuuntur operationes tum animæ solius tum etiam corporis; primum enim subiectum attributionis est suppositum seu persona, iuxta

(1) *De Eccl. dogmatibus*, c. 15.
(2) I ad Thess., V, 23; cfr. S. Thomas in hanc ep. II, c. V, lect. 2.
(3) *Com.* I, 13.
(4) S. Thomas, p. II, q. 2, a. 6 ad 3.

illud: *actiones sunt suppositorum.* Et revera sive ex Scripturis sive ex usu communi loquendi, unus idemque est ille, qui secundum corpus dicitur nasci, nutriri, mori, resurgere, videre, audire, ambulare, etc., et ille, qui secundum animam rationalem solam dicitur intelligere, credere, Deum amare et similia. Porro eodem modo probatur unitas Personæ in Christo.

Fit una natura. — Hoc apparet, si inspiciamus operationes vitæ vegetativæ et sensitivæ. Nam hæ neque a corpore solo fiunt, neque solum ab anima, sed ab utroque simul. Nisi res evidens esset per se, ea *confirmari* posset ex verbis Geneseos et ex eorundem super allata interpretatione Clementis, quibus dicitur, protoplastum tum factum esse in hominem viventem, cum ei accessit spiraculum vitæ, et ipsi spiraculo seu animæ rationali tum accessisse sensuum operationem, cum ea in protoplastum ingressa est. Iamvero hoc præsupposito, ubi una est operatio, ibi est unum primum principium operationis ipsius; et ubi est unum primum operationis principium, ibi est una natura, cum non aliud ea sit quam essentia ipsa accepta ut primum operandi principium. Atqui operatio tum vegetativa tum sensitiva in homine una est. Ergo unum est primum eiusdem operationis principium; et quoniam in homine hoc constat corpore et anima rationali, hinc ex corpore et anima rationali fit in homine unum primum operandi principium, seu una natura. Porro ita unam esse humanam naturam, licet compositam, *Patres expresse* etiam et passim docent. Clarius inter alios Cyrillus alex. (Dial. « Quod unus sit Christus ») ait: *Nonne unum dicimus hominem, atque* unam ipsius naturam, *etsi uniformis et simplex non sit?* Huius autem humanæ naturæ communis est apud Patres et philosophos definitio, qua homo dicitur *animal rationale.*

3^a. ***prop. Anima haec rationalis est vera, per se, immediata corporis forma.***

Probatur scilicet, quod anima, quæ, *iuxta revelationem*, constituit simul cum corpore hominem unum in persona et in natura, recte dicitur *a) vera forma* corporis in homine. Iuxta enim theologiam scholasticam, unde illam vocem Ecclesia sumpsit, id, quod in aliqua natura composita constituenda se habet ad alia elementa ut pars determinans, quatenus eis communicat determinatum esse, et speciem totius compositi definit, id *vere* dicitur *forma* eorum, quæ ei subiiciuntur tanquam materia. Atqui ad naturam humanam constituendam corpus et spiritus

concurrunt; spiritus autem est id, quod determinat corpus ad certum esse, quatenus vitam, motum, sensum ei communicat, et speciem hominis, prouti est *animal rationale*, definit. Ergo spiritus, seu anima rationalis, *vera* est *forma* corporis in homine. — Et quidem forma est *substantialis*, quia communicat corpori vitam, qua nihil intimius et magis substantiale viventibus et præsertim quia terminus resultans ex unione animæ cum corpore est *substantialiter unus*. — Insuper *b)* est forma corporis *per se*, seu *natura sua*, non autem ob aliquam culpam, ut volebant platonici, aut ob aliquam aliam extrinsecam rationem quamcumque. Naturalis enim destinatio spiritus humani ad informandum corpus apparet ex ipso nomine *animæ*, quod relative dicitur ad corpus ab ea vivificandum. — Demum *c)* anima est forma corporis *immediata*, seu *nulla alia anima mediante*, quia ex dictis una est anima hominis, eaque rationalis, nec proinde potest alia anima pure sensitiva aut vegetativa esse veluti media inter corpus et spiritum; item est forma corporis *non mediante aliqua sua actione* aut quolibet alio; quia secus nec forma vere *substantialis* esset, nec compositum resultans vere esset *substantialiter unum*. — Unde tandem elucet doctrinam in thesi propositam esse revelatam.

COROLLARIUM.

Anima in homine ita est corporis forma, ut ei communicet etiam esse corporis.

203. Anima est in homine *corporis forma substantialis*. Atqui si anima non communicaret corpori ipsum esse corporis, non esset eius forma substantialis. Ergo. *Maior* constat ex definitionibus Ecclesiæ, eamque ut veritatem revelatam modo demonstravimus. *Minor* est doctrina, quæ ex philosophia scholastica et nominatim ex principiis S. Thomæ ut certa probatur. Revera:

1.° « Forma substantialis, ait Angelicus, dat *esse simpliciter* (seu primum esse).... Si igitur ita esset quod præter animam intellectivam præexisteret quæcumque alia forma substantialis in materia, per quam subiectum animæ esset *ens actu*, sequeretur quod anima non daret esse simpliciter, et per consequens quod non esset forma substantialis (1) ».

2.° Probavimus superius, animam in homine esse formam substantialem, quia corpori communicat vitam. Atqui nequit anima corpori

(1) *Sum. th.*, p. I, q. 76, a. 4.

communicare vitam, quin communicet ipsum primum esse ac proinde ipsum esse corporis. Ergo. *Minor* probatur ex eo, quod esse viventium est vivere, iuxta illud aristotelicum: *vivere viventibus est esse.* Ergo si anima dat corpori vivere, dat ei ipsum viventis esse seu eius essentiam, quæ in quolibet ente est id, quod primum concipitur. Ad cuius rei evidentiam observandum est quod, quando dicitur corpus nostrum esse *substantiam corpoream, vivam, sentientem, humanam,* non exprimuntur diversæ res, sed una eademque res exprimitur sub conceptibus magis magisque determinatis. Atqui una res per unum idemque principium constituitur. Ergo si anima dat corpori *esse* humani, hoc ipso eadem dat ei *esse* sentientis, viventis, et corporis (1).

3.° Item probavimus, animam in homine esse formam subtantialem, quia humani compositi substantialem unitatem producit. Atqui si anima adveniret corpori iam completo in ratione substantiæ, unitas hominis foret tantum accidentalis. Ergo etiam anima esset forma accidentalis. Ratio *minoris* est ea S. Thomæ: « quidquid post primam formam substantialem advenit rei, accidentaliter advenit », seu quidquid advenit rei iam completæ in ratione substantiæ, accidens est; proindeque accidentalis est unio inde resultans (2).

4.° In Conc. Viennensi et in aliis Ecclesiæ decretis vox illa *forma,* et forma, prouti in eisdem certe indicatur, *substantialis,* intelligi debet, sicut per ea tempora in scholis intelligebatur. Atqui iuxta scholas illius temporis, ipsis Scotistis consentientibus (3), forma in composito id intelligebatur et intelligitur, *quod dat esse;* et forma substantialis illa, *quæ dat esse simpliciter* seu *primum esse,* quod nullum aliud supponit. Ergo decreta, quod anima est substantialis forma corporis, intelligi deberent sensu, quod det ei etiam *primum esse substantiæ corporeæ.* Hæc sane gravissima est adversus recentiores difficultas, quam adnotasse sufficiat. Potius recolimus doctrinam, quam tuemur, communissimam esse in scholis et fretam potissimum auctoritate S. Thomæ, qui eam ita clarissime expressit: « In hoc homine

(1) S. Thomas, p. I, q. 76, a. 3 ad 4.

(2) *C. G.,* lib. II, c. 58. Ibidem S. Doctor scribit: « Ab eodem aliquid habet esse et unitatem. Unum enim consequitur ad ens. Cum igitur a forma unaquæque res habeat esse, a forma etiam habebit unitatem. Si igitur ponantur in homine plures animæ sicut diversæ formæ, homo non erit unum ens, sed plura: nec ad unitatem hominis ordo formarum sufficiet, quia esse unum secundum ordinem, non est esse unum simpliciter, cum unitas ordinis sit minima unitatum ».

(3) Scotus quidem præter animam rationalem posuit in homine formam corporeitatis, sed ut salvaret definitionem formæ substantialis, aiebat corpus, posita sola ea forma, esse incompletum in genere substantiæ et quoad speciem, ideoque in esse ipso substantiæ compleri ab anima.

non est alia forma substantialis, quam anima rationalis; et per eam homo non solum est *homo,* sed *animal,* et *vivum,* et *corpus,* et *substantia,* et *ens* » (1).

SCHOLION I.

De hominis origine quoad corpus.

204. Loquimur de prima (2) hominis origine *quod corpus.* Hinc quæ dicemus non eos tantum spectant, qui cum magnâ transformistarum parte, sensum cum intellectu confundentes, nedum corpus, sed totum hominem per transformationem specierum originem habuisse dicunt, verum etiam, imo directius, eos qui, concesso dogmate de creatione animæ et de mediata creatione hominis, quæ clare affirmatur in Scriptura, (Gen. I, 27), humani corporis originem iuxta transformisticas theorias explicari posse autumant, salva omnino fide (3). — In quam rem duo præstabimus, videlicet primo, prout theologos decet, loco quid secundum fidem et sanam theologiam tenendum sit statuemus, dein vero evolutionismi seu transformismi theoriam, quatenus ad humani corporis originem explicandam *extenditur et applicatur,* exponemus, atque potissima quæque ac certissima confutationis capita ex ipso rationis et scientiæ penu deprompta subiicemus, quæ, utpote in re nostris hisce temporibus vulgatissima, facile usuvenire poterunt.

205. I. **Quid tenendum sit de prima hominis origine quoad corpus, iuxta fidem et sanam theologiam.**

Teneri debet primos parentes, non modo quoad animam, verum etiam quoad corpus, conditos fuisse ab ipso Deo, non per simplicem concursum, sed per actionem directam et immediatam, licet non creativam. — Conc. Later. IV *Firmiter* hæc habet: « Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ». Aliqui catholici doctores

(1) *De Sp. Creat.,* a. 3; cfr. *Sum. th.,* I, 76, 6; *C. G.,* l. IV, c. 81.

(2) Cfr. Pesch, *Philosophie der Natur,* vol. II, n. 585. Egregium sane opus: apparuit Friburgi Br. 1884 germanicâ linguâ, sed rerum ipsa substantia prostat etiam in alio opere quod idem Auctor latine scripsit: *Institutiones philosophiæ naturalis secundum principia S. Thomæ Aquinatis, ad usum scholasticum accomodatæ,* Friburgi, 1880.

(3) Ita Mivart (Lessons from nature; Genesis of species) paucique alii transformistæ mitigati, qui tenent corpus alicuius bruti, sub actione legum a Deo conditarum, gradatim evolutum esse, donec aptum fuerit ad recipiendam animam rationalem directe a Deo creatam.

assertam doctrinam *catholicam* dicunt, alii *ad fidem spectare;* certe ipsa communis est et practice tenenda sententia, quæ probatur:

I.° Ex S. Scriptura. — In Gen. I, 26 et seq. dicitur: *Et ait Deus: faciamus hominem... Et creavit Deus hominem... masculum et feminam creavit eos.* Quæ quidem *explicantur* per ea, quæ sequuntur II, 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* et inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ... 18. *Dixit quoque Dominus: non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi...* 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, quumque obdormisset, tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem et adduxit eam ad Adam.*

Porro his verbis obvio sensu *a)* indicatur nova aliqua et immediata operatio circa Adam et quidem circa eius corpus, animam atque utriusque unionem. Et revera nulla species inferior aut corpus aliquod iam vivum, puta simiæ, nominatur aut innuitur, dum econtra manifeste et constanter corpus Adæ dicitur esse de terra, de limo terræ. Textus hebraicus idem sonat ac: « Deus formavit hominem pulverem de terra, seu dedit pulveri formam hominis » et nomen ipsum *Adam,* ab *Adamah-terra,* originem eius indicat. Verba denique « inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ » intelliguntur de actione immediata; ergo etiam alia in priori versiculo, vi parallelismi.

Item *b)* describitur formatio corporis Evæ, *post* Adam atque singula immediate tribuuntur Deo, qui et immisit somnum in Adam et sumpsit eius costam, quam ædificavit in Evam et ait: *Vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* (Gen. II, 23). — Hominem de pulvere formatum esse, deducitur tum ex eo quod ipse directe et immediate in terram per mortem revertitur, iuxta illud: *pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen. III, 19), tum etiam ex parallelismo (1).

II. Ex Patribus. — Non modo ipsi allegatas Scripturas litteraliter intelligunt, verum etiam diserte distinguunt creationem materiæ, formationem humani corporis, et inspirationem animæ; et formationem ipsam amplificant et extollunt, eamque adeo solius Dei propriam dicunt, ut omne angelorum ministerium plures excludant. Neque a cæteris Patribus reapse dissentit S. Augustinus, cuius *rationes seminales* pro *potentia obedientiali* esse sumendas, et ex eiusmet constat expressâ sententiâ (cap. 16, lib. 9 de Gen. ad litter.) et a S. Thoma aperte docetur (p. I, 91, art. 2 ad 4).

Accedit *doctorum consensus,* uno forte excepto Caietano, cuius *metaphoricam* interpretationem de formatione mulieris confutat Sua-

(1) Ps. CII, 14; Iob. X, 8, 9; XXXII, 4; Eccli. VII, 1; Sap. X, 1. Item quoad formationem Evæ: Matth. XIX. 4; I Cor. XI, 8, 9, 12.

REZ (De oper. Sex dier. lib. 3, c. 2. — et cfr. S. Thom. p. I, 92) (1). Ergo *sine temeritate* reïici nequit communis Patrum et exegetarum interpretatio.

Ratio autem, etsi non videat absolutam impossibilitatem, quod Deus corpus hominis formaverit atque aptaverit ex corpore bruti, potiusquam e limo terræ, attamen nullum argumentum habet, neque ex evolutionismo neque ex revelatione, ita intelligendi illum immediatum interventum Dei, quem clare adinvenit in Scriptura, imo contraria argumenta habet, ut vidimus. Firmum igitur manet, quod Deus de limo terræ, h. e. ex necessariis elementis corporeis, immediate, tanquam causa principalis, atque in instanti Adæ corpus organizavit et animam creavit. Similiter Evæ corpus ex costa Adæ : et hoc aliud, dum confirmat quod de Adam enarratur, plures habet convenientias, a Patribus sæpe declaratas.

206. *Parergon.* — Pertinent ad expositæ doctrinæ complementum quæstiones de *unitate* generis humani et de eiusdem *antiquitate*. Sed hic ea solum attingimus quæ ad fidem et theologiam pertinent: quæ enim humanæ scientiæ sunt, in ipsa confutatione transformismi aptiori locò dicenda venient.

Unitas generis humani.

Quantum ad unitatem primæ humanæ originis spectat, ea ex fontibus revelationis omnino asserenda est, idque contra PRÆADAMITAS et COADAMITAS. Iuxta illos, duce Isaac de la Peyrère (1655) calviniano, at postea ad catholicismum converso, aliqui homines exstiterunt ante Adamum, qui est pater Iudæorum, non autem Gentilium ; iuxta hos, plures simul humanæ familiæ fuerunt Adamo coævæ, ita ut Adam non est pater omnium hominum.

Constat: 1. Ex TRIDENTINO, quod (Sess. V, decr. de Pecc. orig.) eam evidenter supponit, propter intimum scilicet nexum cum dogmate de humanæ naturæ elevatione, lapsu et reparatione per Christum.

2. Ex SCRIPTURA, et quidem *a)* ex Veteri Testamento. Dicitur enim : *Et homo non erat, qui operaretur terram* (Gen. II, 5). *Non est bonum esse hominem solum* (ib. 18); nam *Adæ... non inveniebatur adiutor similis eius* (ib. 20). Denique: *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium* (Gen. III, 20) (2). *b)* Ex N. T. Act. XVII, 26: *fecitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ* (3).

---

(1) Cfr. MAZZELLA, *De Deo creante*, disp. III, a. 1, § 2.
(2) Cfr. Gen. V, coll. X, 32; Sap. X, 1.
(3) Cfr. Matth. XIX, 4; ad Rom. V, 12; I Cor. XV, 22, 45 seq.

Idipsum tradunt et confirmant Patres: Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, aliique (1).

Nota ad difficultates præcavendas.

1.° In c. I et II Genes. de eodem homine sermo est, ut apparet ex contextu : in II tamen exponitur *speciali* modo creatio protoparentum. — 2.° S. Augustinus iam animadverterat, legitimum fuisse, in initio sororem in matrimonium ducere; hoc non opponitur iuri naturali primario et, necessitate compellente, licitum fuit. (*De Civit. Dei,* l. XV, c. 16 . — 3.° Cain bene poterat timere ex tristi *prævisione,* quod quidam ex suis nepotibus vitæ ipsius insidiaturi essent; filii Adam multo plures fuerunt quam tres, de quibus Scriptura distincte loquitur; ante mortem Cain, iam plures familiæ erant; civitas, *ir,* quam Cain ædificavit, collectio erat *quarundam* domorum. — Iuxta communem doctrinam, *filii Dei,* de quibus in *Gen.* VI, 2, sunt filii Seth, Deo fideles, *filiæ hominum* sunt filiæ de familia Cain. — 4.° Rationes *Poligenistarum,* qui contra nos adducunt magnam multiplicationem hominum, dispersionem in dissitis regionibus, varietatem stirpium, solves animadvertens : Si quodlibet par coniugum sex filios gigneret, post 450 annos adessent plus quam 200 milliones hominum. Ergo post tot millia annorum certe sine ullo miraculo nunc possunt adesse 1.500 milliones *(ita Güttler).* Ante Christum ubique viguit *poligamia.* Plures causæ fuerunt dispersionis hominum: *una* a Moyse indicatur in confusione linguarum. Asia ab America angusto freto Bering dividitur; potuerunt ergo filii Sem in Americam se conferre. De facto consuetudines, ritus religiosi nonnulli, qui in Asia floruerunt, apud Mexicanos aliosque Indos reperti sunt, ut requies sabbati, iubilæi celebratio et apud quosdam circumcisio. Varietas stirpium accidentalis est ac speciem non attingit; constat in omnibus hominibus eandem inveniri structuram anatomicam, easdem generationis leges, imo matrimonia inter individua variarum gentium contracta esse indefinite fecunda. Præcipuæ causæ efformationis stirpium assignantur *calor* et *humiditas regionum, cibi, labores, regimen* etc., quæ omnia multum ab initio influere debuerunt in humanitatem, utpote impressionibus externis magis expositam. — 5.° Difficultas quoque ex diversitate linguarum, nunc præsertim levis apparet et factum ipsum, quod omnes et soli homines loquendi facultate polleant, haud leve argumentum est eos ex communi parente oriri. (Cf. De Quatrefages, *Unité de l'Espèce humaine;* Vigouroux, *Man. Bibl.;* Pesch, n. 158).

Antiquitas generis humani.

S. Scriptura integram chronologiam, quæ usque ad Adami creationem pertingat, nullibi ex professo exhibet; sed et quæ sparsim tradit non parum difficultatis præseferunt, maxime si discrepantias attendas inter textum Hebraicum et versionem LXX Interpretum ac Samaritanam; versio autem Vulgata textum sequitur Hebraicum (2).

---

(1) Cfr. Mazzella, op. cit., disput. III, art. 2.

(2) **Dices,** quæstionem eatenus solutam dici posse, quatenus Ecclesia Tridentino Decreto chronologiam Vulgatæ versionis seu Textus Hebraici (v. infra) approbavit. Sed contra est, quod ipsa Ecclesia Latina in Martyrologio, partim LXX, partim alios Textus prosequens, a creatione Adami ad Christum annos numerat 5119. Ac-

— Maiores etiam et longe numerosiores discrepantiæ occurrunt apud Patres et Scriptores ecclesiasticos. Centum et quinquaginta diversas supputationes numerat cl. MEIGNAN, quarum nulla reprobata dici potest: imo plusquam bis centum differentes indicationes temporis ab Adamo ad Christum collegit DES VIGNOLES, quarum minima annos numerat 3483, maxima 6984 (1).

Verum omnibus præfatis computationibus aliquod commune fundamentum in ipsis Scripturis Sacris quæsitum est. Nam, minoribus quibusdam difficultatibus posthabitis, sequentes annorum numeri ex libris inspiratis colligi posse visi sunt.

Ab Adam ad diluvium Noëticum:

iuxta Vulgatam et textum Hebraicum 1656
iuxta textum Samaritanum 1306
iuxta Versionem LXX interpretum 2242

A diluvio Noëtico ad nativitatem Abrahæ:

iuxta Vulgatam . . . . . 292 aut 293
iuxta textum Samaritanum 942
iuxta Versionem LXX interpretum 1183

Ab Abraham ad nativitatem Christi:

cum discrimine vix aliquot decenniorum . . . . . 2190 (2).

Ex dictis sequitur neque in S. Scriptura neque in Traditione contineri chronologiam generis humani saltem *omnino definitam.*

Hinc rursus, certo licet quamlibet ex receptis passim in Ecclesia chronologiis sequi (3).

207. II. **Theoria Transformismi de hominis origine.**

Theoriam Transformismi, seu Evolutionismi, veteribus materialistis haud ignotam, iterum excitavit gallus LAMARCK (1741-1829), excoluit atque adornavit anglus DARWIN (1809-1881), exaggeravit germanus HÆCKEL (4).

a) — Ipsa theoriæ *substantia,* prouti hic sumitur, in eo consistit

---

cedunt differentes nec reprobatæ computandi rationes apud Græcos; aliam enim adhibent Antiocheni (5493), aliam Alexandrini (5501), aliam etiam Constantinopolitani et Moscovitæ (5509).

(1) CATERINI, *Dell'origine dell'uomo secondo il trasformismo,* 1884; part. III, c. 2.

(2) Cfr. MAZZELLA, op. cit., disput. III, art. 4, § 1; CATERINI, op. cit., part. III, cap. 2, pag. 353.

(3) Palæologi non agnoscunt hominem *tertiarium,* nec apud eos certo constat de *quaternario.* Si concedatur hominem extitisse secunda epoca glaciali, ætas eius potest contineri intra 8000 a. Ch. et conciliari potest cum chronologia Scripturæ. Cf. VIGOUROUX, *Man. Bibl.*

(4) PESCH, op. cit., vol. II, n. 568 seq., 609 seq.; CATERINI, op. cit. part. I. c. 1, art. 1, 2, 3; cap. 3. art. 2.

quod homo saltem quoad corpus, originem primam et *immediatam* habuerit non a directa quadam actione Dei, sed a quodam inferiore animali per successivam eamque progressivam specierum transformationem.

b) — *Prima ratio* est anatomico-physiologica et sumitur ab omnimoda similitudine inter corpus humanum et corpora brutorum (unitas conformationis et dispositionis, vulgo *unità di piano*) (1). *Altera ratio* embryogenica est; petitur enim ab evolutione fœtus humani (ontogenia), utpote quæ suis diversis stadiis longissimas epochas transformationis de specie in speciem (phylogenia) compendio repetat. Et hæc est *fundamentalis illa lex biogenetica*, cuius gratia ipse sibi gratulatur HÆCKEL, quasi novum fundamentum Darwinismo ipse subiecerit et veras causas efficientes aperuerit, a quibus omnium individuorum evolutio pendeat (2). *Tertiam* denique *rationem* ducunt transformistæ ex quarundam partium præsentia in corpore humano, quæ cum omnino inutiles appareant et habendæ sint ut reliquiæ vel rudimenta organorum olim extantium, nonnisi admissâ derivatione per transformationem specierum, deberent posse explicari.

c) — Plura *media* transformationis assignantur. LAMARCK quidem, nec non HÆCKEL, a generatione, uti aiunt, *spontanea* seu *heterogenea* viventium e brutâ ipsa materiâ incipiunt, atque hinc primum vitæ initium in rerum natura explicare contendunt. Ab hoc tamen capite abstinet DARWIN (3), qui de primo vitæ initio nihil se scire fatetur. Ad successivam autem evolutionem explicandam, docet LAMARCK, novis ob adiunctorum modificationem exortis indigentiis et iisnet respondentibus conatibus, nova organa produci, quorum evolutio et virtus activa semper exercitium seu usum adæquet: quod autem semel acquisitum fuit in aliquo organismo, id per generationem transmitti et conservari: nam vita ipsa ad augmentum corporum viventium semper tendit.

Huiusmodi evolutionis media non reiecit DARWIN, plura autem

---

(1) DARWIN, *Delle origini della specie per elezione naturale*, c. 14, 3, cit. op. ex anglica lingua transtulit *Canestrini* (1875), alter ex italicis transformismi præcipuis fautoribus, una cum *Morselli, Moleschot, Lessona, Mantegazza, Maggi* aliisque. — Primam hanc transformistarum rationem optime exponit G. B. BIANCONI in suo opere *La teoria Darwiniana e la creazione detta indipendente* (1875) pag. 3 seq.

(2) *Generelle Morphologie* (1866), vol. II: *Natürliche Schöpfungsgeschichte* (1868) seu *Historia creationis naturalis*, gallicâ linguâ edita; Parisiis, 1874. — *Anthropogenie* (1877, 3ª editio); his in operibus HÆCKEL argumentum embriogenicum qua late patet explicat in favorem transformismi. At eiusdem argumenti germina iam inveniuntur penes ipsum DARWIN, *Dell' origine delle specie*, c. 13, 10; 14, 2. — *L' origine dell' uomo* (ital. per M. LESSONA, 1871), p. I. c. 1.

(3) LAMARCK, *Philosophie zoologique* (1809). DARWIN, *Dell' origine delle specie*, c. 5. HÆCKEL, *Genereile Morphologie*, lib. II et V.

superaddidit: videlicet, *electionem naturalem, pugnam pro exsistentia et aptiorum supraviventiam:* item *electionem sexualem,* iunctis legibus *correlationis, hæreditatis, divergentiæ,* et *permanentiæ* (1).

Quæ tamen omnia, cum transformationem specierum nonnisi gradatim et sub influxu exteriorum agentium peractam exhibeant, insufficientia quibusdam visa sunt. Qui, retenta origine omnium specierum a paucis formis primitivis, novas species ab inferioribus *subito* et veluti per saltum quandoque apparuisse dicunt, idque non quidem sine influxu externorum agentium, sed maxime ob ignotas quasdam vices ipsis individuis alicuius speciei inhærentes (2).

d) — *Supposita* denique transformismi, prouti ad hominem usque extenditur, duo sunt, videlicet: *variabilitas specierum* et enormis, imo *indefinita hominis antiquitas.*

208. Confutatio Transformismi.

1° *Rationes Transformismi nihil probant.* — Nihil probat *prima ratio;* nec enim tanta est similitudo sive anatomica sive physiologica inter hominem et brutum, quantam transformistæ dicunt; quæ autem reapse similitudo interest, non per originariam quandam unitatem typicam conformationis *scientifice* explicatur, sed tum per utriusque convenientiam in unum *genus,* tum per diversam applicationem earundem semper legum mechanicarum iuxta diversorum casuum exigentias (3).

Nec magis valet ratio *embryogenica.* — In primis enim gratis asseritur, evolutionem humani embryonis brevem esse repetitionem longissimæ evolutionis specierum, unde homo fuerit tandem exortus. Ipse Hæckel, qui arborem genealogicam hominis, suo scilicet modo, iam præparaverat, tot lacunas et contrarietates comperuit, ut ad quasdam embryonalis evolutionis *falsificationes* seu *innovationes* recurrere coactus fuerit, quas quidem ipsa natura adeo frequenter faciat, ut ipsa *Ontogenia* ex quadam *Palingenesi* et *Cenogenesi* constare dicenda sit (4).

---

(1) Darwin, *Dell' origine delle specie,* et ibi theoriam generalem, quam A expressius applicat ad explicandam originem hominis in alio opere: *L' origine dell' uomo.*

(2) Pesch, op. cit., n. 607, 608.

(3) Cfr. G. G. Bianconi, Op. cit. per totum: totum enim opus est in confutatione huius primæ rationis, ex qua parte ab anatomica similitudine sumitur. Cfr. etiam aliud opus eiusdem A. *L' uomo-scimmia.* Cfr. etiam Caterini, Op. cit. Part. I, cap. V, art. I et II; Lecomte, Op. cit. Part. 3, Sect. 2, c. 1.

(4) Hac sane ratione, scribit Prof. Semper (*der Häckelismus in der Zoologie,* 1876, p. 35), quidquid iam demonstrare licebit; contraria quoque iis, quæ per huiusmodi *falsificationes* sese demonstrasse credit Hæckel. Sed et C. Vogt, nostræ ætatis naturalista et testis spiritualismi suspicioni haud obnoxius, dicit, genealogicas constructiones Häckelii non magis veridicas esse, quam ridiculas illas genealogicas medioævales ad heroes usque troianos pertigentes.

— Deinde non minus gratuito, imo omnino falso asseritur, humanum embryonem veras subire *metamorphoses de una animali forma ad aliam* verasque vigere *identitates* inter eiusdem diversas formas successivas et formas finales inferioris ordinis animalium. Re enim vera non agitur, nec agi potest, nisi de *graduali evolutione* embryonis et de successivis quibusdam *analogiis,* veteribus Aristotelicis haud ignotis. Porro quod organismus animalis, qui pro præsenti naturali œconomia non repente perfectus producitur, sed gradatim, causis secundis concurrentibus, ab initio nonnisi *generaliores* præseferat animalitatis caracteres et specialibus successive ornetur; id, cum facile intelligitur, tum ad prædictas similitudines et analogias explicandas sufficit. Econtra qui veras illas metamorphoses et identitates admittit, is supponit in germine humano *indifferentiam* ad quodlibet animal producendum; id autem cum perpetuâ experientiâ omnino pugnat. Cuius sane experientiæ nulla sufficiens explicatio, nisi ponatur in ipso germine aliquod differentiæ specificæ principium. — Verum nec tanta similitudo admittenda est, quantum transformistæ iactant, et hoc bene constat ex *falsificationibus*, quas in pictis tabulis Häckelianis viri naturalium scientiarum peritissimi deprehenderunt (1).

Nec denique quidquam probat ratio *ex rudimentis.* — Nam, primo quidem loco, Darwin *sibi ipse contradicit.* Revera asserta reductio organorum ad quædam *rudimenta* profecto est quædam *transformatio;* omnium autem transformationum manifesta, iuxta Darwin (2), explicatio invenitur in theoria selectionis naturalis. Atqui huiusmodi selectio nonnisi utilia quæque conservanda seligit (3): econtra partes illæ rudimentales *inutiles* dicuntur. Hinc ipse Darwin, de tam infirma explicatione sese veluti excusans, ad *non usum* recurrit. Mox hoc etiam medium ineptum ipse fatetur, et ad *unam* tandem confugit *suppositionem* cuiusdam progenitoris, qui easdem partes in plenæ evolutionis statu obtinuerit (4). Atqui hoc est argumentum fundare in illo ipso, ad quod demonstrandum fuerat inventum. — Verum, secundo loco, *falso supponitur partium,* de quibus agimus, *inutilitas.* Nam nonnullis quidem in casibus de eorum utilitate omnino constat (5). Quod si eorum officium non semper innotescit, non *ideo* absolute negandum: tametsi aliquid certo utilitatis in eo est, quod partes illæ

---

(1) Cfr. Pesch, Op. et Vol. cit pag. 202 seqq. — Häckel, l'apostolo del *monismo,* in seguito alla denuncia e diffida del dott. zoologo Brass e dei prof. direttori del *Keplerbund,* ha confessato di aver falsificato figure di embrioni secondo il bisogno delle sue ipotesi. Egli si è ritirato da poco (1909) a non troppo onorevole riposo.

(2) *L' origine dell' uomo,* P. I, c. 4.

(3) Darwin, *Dell' origine delle specie per elezione naturale,* Cap. 4.

(4) Op. cit. P. 1, c. 1.

(5) Bianconi, Op. cit. Parte seconda, *III. Parti inutili.*

fundamentali organismi structuræ et harmoniæ respondent. — Tandem, huiusmodi partes nonnisi per abusum *rudimentales* dicuntur. Curnam tum in historia tum in palæontologia ipsæ semper in eodem statu inveniuntur? In inferioribus animalibus inveniuntur utique evolutæ: sed hoc non probat, in corpore humano non haberi nisi illarum earundem partium *reliquias seu residua,* sed tantum haberi partes homologas, easque in eo perfectionis gradu, qui cetero humano organismo conveniant (1).

2° *Media seu* causæ *transformationis aut absurda aut arbitraria sunt.*

Absurda media sunt *generatio spontanea* et *conatus ob exigentias.* — Primum quidem certissimam ipsam vitæ notionem funditus subvertit, effectum ponit causâ sine ulla proportione maiorem et, quin vel unius facti suffragio iuvetur, perpetuâ experientiâ contradicitur: maxime post observationes postremis hisce temporibus factas. Hinc ab ipsis maximis quibusque naturalistis huiusmodi theoria reiicitur, quamvis ultro fateantur, inter generationem spontaneam et creationem medium non dari (2). - Nec minus absurdum est medium alterum: aliud est enim quod exercitium *perficiat* organa et prorsus aliud, quod ipsamet producat vel omnino transformet: quod fere perinde est ac dicere, causam ab effectu produci. Quid autem tandem, quod nulla huiusmodi transformatio seu productio nunc locum habet? Inducunt legem *permanentiæ;* sed quid rursum, quod nullum eiusdem transformationis seu productionis vestigium palæontologia revelavit? Sed quænam utilitas, quinam usus organorum, ipsa lentissima productione seu transformatione durante? (3).

Arbitrarium medium est electio seu *selectio naturalis,* cui alia veluti instrumentaliter subserviunt. Porro fundamentalis ratiocinatio ipsius Darwin hæc est: Si tantum potest in animalibus selectio artificialis, quid non efficiet naturalis?

Iamvero 1° ipsa selectio naturalis non demonstratur, sed supponitur, ac præterea modificationes per selectionem artificialem inductæ ad ipsam speciem nunquam pertingunt (4); 2° ipsius selectionis *instrumenta* quæ tanquam media transformationis specierum adducuntur, vel ad externa adiuncta pertinent, vel ad ignotas easque intimas organismi causas. Atqui externa adiuncta certe habent rationem *conditionis* pro viventium existentia, non *causæ* (5). Item quotidianâ expe-

---

(1) Caterini, Op. cit. Part. 1, cap. V, a. 4.

(2) Liberatore, *Del composto umano*, cap. III, a. 7.

(3) G. G. Bianconi, Op. cit. Parte terza, *I. Transizioni.*

(4) Caterini, Op. cit. Part. I, c. I, art. III; c. IV, art. I.

(5) Cfr. Stoppani, *Note di Geologia,* II n. 1077 seqq. et ibi plura de ordine et habitudine inter revolutiones orbis et evolutionem vitæ.

rientiâ constat, influxum externorum agentium nunquam ad species ipsas pertingere. Causæ autem internæ arbitrarie ponuntur, eo ipso quod ignotæ dicuntur. Insuper ponitur per hoc in organismis intrinseca tendentia ad propriam destructionem, nisi falso supponatur, nullam esse substantialem inter diversas species differentiam. Iamque ex dictis patet omnia prædicta media, ad propositum transformismi finem, omnino *insufficientia* esse censenda: quod et ipse Darwin agnovit (1).

3° *Supposita transformismi vel gratuita sunt, vel falsa.*

Gratuita est assertio de enormi, imo indefinita hominis antiquitate (2). Falsum est alterum suppositum de *variabilitate speciei.* Revera intra limites cuiusvis speciei pene innumeras videmus *varietates;* semper tamen unaquæque species suam quandam *faciem* retinet, qua a cæteris haud dubie discernitur. Accedit constans factum fecunditatis inter individua eiusdem speciei, infecunditatis autem vel hybridismi inter individua speciei diversæ. Accedit perpetuus veluti naturæ conatus ad puritatem, uti dicunt, typi, vel per simplices variationes amissam, recuperandam. Accedunt facta omnia, quæ ipsam theoriæ substantiam evertunt, de quibus infra. Hinc maximi scientiarum cultores *stabilitatem* specierum pro certissima observationis et experientiæ veritate habuerunt (3). Species autem humana una eademque semper fuit, ac differentiæ et *varietates* bene explicantur, ut supra iam sufficienter innuimus.

4° *Transformismus tum certis principiis, tum factis contradicit.*

Transformistæ contradicunt principio *causalitatis,* quia nullam assignant causam, nullum medium transformationis, quod non aut arbitrarium aut absurdum appareat. Item destruunt spiritualitatem animæ humanæ eiusque essentialem differentiam ab anima brutorum, a qua illam derivatam dicunt.

Observa prædictas veritates ab illis etiam offendi qui, salvâ origine animæ per creationem, de humano tantum corpore evolutionismum admitti posse putant. Nam vi principii causalitatis vis generativa, utut ordinem vegetativum et sensitivum nunquam excedens, non posset inducere in materiam ultimam illam dispositionem, *quæ neces-*

---

(1) *L' origine dell' uomo*, P. I, c. IV, ubi nimium se naturali selectioni tribuisse fatetur, sed inde excusationem petit, quod dogma creationis evertendum sibi proposuerit, inque eum finem vel exaggerando adlaboraverit.

(2 Cfr. Lyell, *L' ancienneté de l' homme,* passim. Cfr. Mazzella, Op. cit. Disp. III, art. IX, § 2. Caterini, Op. cit. cap. II, art. 1-5 cum divite apud utrumque citatorum atque allegatorum copiâ. Cfr. etiam Stoppani, Op. cit. XV, XVI, XVII, et ibi plura et præclara; et Vigouroux, *Man. Bibl.* n. 313.

(3) Bianconi, Op. cit. Part. 3ª, *II. Variazioni;* Caterini, Op. cit. Part. I, III, a. III: Pesch, Op. cit. vol. cit. n. 603 seqq.

sitat ad unionem, nisi ageret, ut instrumentum quoddam rationalis animæ (1).

Transformismus facta contra se habet. Ante omnia nullum exemplum præsto est *actualis* transformationis speciei cuiuscumque in aliam : quod ipsi transformistarum principes inviti agnoscere coguntur. Quod si hoc explicant per legem *permanentiæ,* respondetur, hanc legem probare contra ipsos stabilitatem specierum. Si vero dicunt transformationes nonnisi paulatim et per longas ætates perfici, opponitur historiam et archæologiam semper easdem species nobis repræsentare. Similiter, nullum vestigium evolutionis, h. e. nulla forma media in ulla *remotissima* mundi ætate nobis exhibetur in geologia et palæontologia (2).

At *positiva* facta attendenda sunt. — Atque in primis sunt facta quædam generaliora, in ipsa prima viventium successiva apparitione. Contra enim ac evolutionismus exigeret, constat, plures numero formas simul, subito et improviso apparuisse ; easque non in ordine perfectionis organice minimas : nec apparitionem ipsam, præterquam in maximis viventium divisionibus, fuisse progressivam sed veluti saltuariam (3).

Deinde sunt facta specialia, ut progressiva degradatio et imminutio plurium formarum, aut existentia omnino separata et, ut ita dicam, a se : multarum etiam extinctio absoluta aut econtra persistentia in uno eodemque nunquam mutato typo, et alia plura nimis, quam ut heic vel innui possint (4). Sunt denique facta nonnulla specialissima, quæ ipsum directe hominem spectant, ut demonstrent, eum nunquam fuisse feris similior aut propinquior, ac nunc est. Huc pertinent inventa in cavernis ossa et calvæ hominum primitivorum, typis hodiernis plane conformia. Huc detectæ stationes lacustres, et triplicis monu-

---

(1) S. Thom. Qq. Disp. q. III, de potentia a. IX ad 5um ; Sum. Theol. I, 118, 1 ad 3um, et ibi Caietan. ad tertiam rationem d. Th.

(2) Cf. Barrande, qui amplissimam et diligentissimam enarrationem in æram palæozoicam edidit in suo *Systemate Siluriano Bohemiæ centralis.* — Species fossiles, aliqua ratione intermediæ, quæ in stratis geologicis inveniuntur, non sunt variationes specificæ *transitoriæ,* sed formæ bene determinatæ ac perfectæ, cum definitis characteribus, atque sæpe illis speciebus *coævæ,* a quibus ut derivatæ præsumuntur.

(3) Stoppani, Op. cit. par. cit. n. 165 seqq. ; et cfr. ibid. in fine prospectum ex Dana evolutionem uniuscuiusque formæ organicæ per ætates geologicas schematice repræsentantem : Barrande, cum passim, tum in Extr. *Crustaces et poissons divers* (1872) et ibi eiusmodi prospectus, sed numericus.

(4) Conferatur omnino Stoppani, Op. cit. loco cit. n 1069 seqq. et multo plura apud Barrande, II. cc. passim ; et Cfr. Lecomte, Op. cit. Deux.e part. VII seqq. et Pesch, Op. cit. vol. cit. n. 629 seqq.

menta ætatis, *petræ, ærîs* et *ferri;* quæ ad satis bene comparatam hominum societatem pertinuisse apparent (1).

Post ea quæ hucusque dicta sunt, haud certe iniusta videbitur celeberrimi AGASSIZ sententia, totam Darwinianam theoriam non legitimam præseferre evolutionem ex datis hodiernæ scientiæ, sed conceptionem quandam *a priori* (2).

SCHOLION II.

De origine animæ humanæ.

209. Sententiæ diversæ.

Missa sententia pantheistica, tres aliæ commemorandæ veniunt in hac quæstione. Alia est *præexistentianismus,* quæ ponit animas, per se, esse spiritus incorporatos et ab initio omnes extitisse; non uniri naturaliter corporibus, sed per accidens propter peccata prius commissa. Quæ sententia iam exclusa dogmate, quod anima unitur corpori *per se,* seu *naturâ sua,* etiam directe ab Ecclesia tanquam hæresis reprobatur in synodo generali V et in Conc. BRACARENSI II (an. 563) contra ORIGENISTAS. Eius vero falsitas etiam manifeste constat ex creatione primi hominis, cuius anima non ante corpus eius extitit. Sententia altera est *traducianismus* seu melius *generationismus,* quem docuere TERTULLIANUS maxime et APOLLINARIS, statuentes, animam a parentibus per generationem propagari ac traduci. Patres vero aliquos, nominatim AUGUSTINUM, in hac quæstione dubitasse concedimus: plures docuisse eam opinionem, id prorsus negamus. Recentiore ætate *generationismum* plures ex protestantibus et nonnulli etiam e catholicis cum aliqua modificatione renovarunt.

210. Doctrina catholica.

Ad hanc controversiam dirimendam concedimus, nullum ex divinis libris afferri posse testimonium disertum: sed si ex *Patrum* auctoritate, ex sensu *Theologorum et fidelium* et ex doctrina *Ecclesiæ* sentire velimus, omnino tenenda est tertia sententia *creationismi,* quæ statuit: *animas singulas divinitus creari atque cum corpore coniungi, cum præstitutus naturæ ordo id exigit.*

DOCTRINA PATRUM. — Usque ad AUGUSTINI tempora, hæc erat communis in Ecclesia doctrina, et ad rem Patres citari solent CYPRIANUS, CLEMENS alex., GREGORIUS naz., CÆSARIUS, CYRILLUS alex., MAXIMUS, LACTANTIUS, THEODORETUS, aliique. Inter hos eminet S. HIERONYMUS,

(1) VIRCHOW, *Die Freiheit der Wissenschaft* (Libertas scientiæ) pag. 30 STOPPANI, Op. cit. l. c. n. 528 seqq.

(2) *Della specie e delle classi zoolog.* c. 3, § 7.

qui passim id docet et confirmat etiam ex testimonio Ecclesiastes, XII, 7, in illud scribens: *Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim* caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, *manifestum est, Deum patrem esse animarum, non homines.* Hinc et alibi dicit: *Deus quotidie fabricatur animas*, et huiusmodi sententiam seu dictum vocat *ecclesiasticum secundum eloquia Salvatoris* (1). Dubitatio nonnisi sec. V. irrepsit, occasione pelagianæ hæresis, quæ opponebat animam non posse ex Adam peccatum trahere, cum ipsa ex Adam non trahatur. Ut hoc argumentum vitaret, maluit Augustinus in dubio relinquere quæstionem de animæ origine, optans nihilominus, ut sententia *de animarum novarum creatione* vera esset (2).

Sensus theologorum et fidelium. — Post tanti Doctoris hæsitationem mirum non est, si aliqui deinceps in Ecclesia dubitaverint. Verumtamen, post exortam *Scholasticam theologiam,* immediata animarum creatio magis magisque inclaruit, usquedum tanquam doctrina omnino catholica manifestaretur. Hinc totius Scholæ princeps S. Thomas, ait *hæreticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine* (3). In idem consentit Bonaventura (4) et apertius deinde fere omnes theologi et fideles, adeo ut Melchior Canus concluserit, sententiam Theologorum fideliumque omnium consensu ita firmatam sine dubio ad fidem pertinere (5).

---

(1) *Lib. c. Ioannem hieros.* n. 22; *Apol. c. Rufinum* l. 3, n. 28.

(2) *Ep.* 166 ad Hier.; *ep.* 28 ad Optatum.

(3) *Comp. theol.* c. 93 et *Sum. th.* p. I, q. 118, a. 2.

(4) Bonav. q. 2, in Lib. II, *Sent.* dist. 18; ubi ipse Petrus Lombardus iam scripserat « Catholica Ecclesia nec simul, nec ex traduce factas esse animas docet, sed corporibus infundi et infundendo creari ».

(5) Integra verba præclarissimi Theologi audivisse præstat: « Fidei quæstionem duobus modis interpretari possumus: et *ex natura sua* et *quoad nos.* Ex natura sua illa Fidei quæstio est, quæ est a Deo Ecclesiæ revelata, quamvis a plerisque ignoretur. Ut Spiritum a Patre Filioque procedere ipse Spiritus Apostolis revelavit; item animas Sanctorum statim, ut a corpore exierint, videre Deum. De quibus licuit olim varie sentire et sine Fidei discrimine aut affirmare aut negare, cum neutra res scilicet erat plene ab Ecclesia definita. Ita quoad nos non semper Fidei quæstiones illæ sunt habitæ, sed salva Fide viri quidam docti contrariam veritati sententiam tenuerunt. Quomodo asseruit Augustinus, non esse fidei quæstionem, num anima rationalis ex traduce sit. *Nunc* autem, cum post ea tempora theologorum fideliumque omnium consensu firmatum sit, *animam non per generationem sed per creationem existere, sine dubio ad fidem illa quæstio pertinet* ». Ita *De Loc. theol.* lib. 12 cap. ult. Conf. Bellarminus, *De Amiss. Grat.* et *Statu Pecc.* l. IV, c. 11, ubi inter alia, scribit: « Est ita insitum in mentibus fidelium, animas a Deo recens creari, cum fœtus in uteris matrum animantur, ut etiam agricolæ, fabri, sutores, mulierculæ, pueri hoc sciant; et si quis contrarium publice doceret, pessime omnino apud catholicum populum audiret ».

Doctrina Ecclesiæ. — Ipsius Ecclesiæ *declarationes* ad rem non desunt. In responsis S. Leonis M. ad consulta S. Turibii in Hispania episcopi, *Fides catholica* dicitur constanter prædicans atque veraciter, *quod* animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, neque ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, *qui et ipsarum est creator et corporum*. Ergo animæ non traducuntur a parentibus: sed sicut primi hominis anima, ita et aliorum hominum animæ corporibus *inspirantur* seu infunduntur ab opifice Deo: qui ideo est ipsarum animarum creator: per animam vero etiam corporis creator dici potest, quatenus est per animam ei infusam quod corpus accipit esse corporis humani (1). — Item in Conc. Lateranensi V de anima humana habetur, quod corporibus *infunditur*. — Benedictus XII inter errores, quos reiiciendos præscripsit Armenis, enumerat generationismum. — Denique Alexander VII in illa præclara Constitutione *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, qua Definitioni de Immaculato Mariæ Virginis Conceptu præluxit, hæc verba habet: *Eius* (Virginis Mariæ) *animam in primo instanti* creationis atque infusionis *in corpus, fuisse... a macula peccati originalis præservatam immunem* (2).

Argumentum rationis. — Ratio ipsa exigit divinam animarum creationem. Anima enim prolis, si non ab ipso Deo creatur, iam vel producitur ex traduce *materiali*, vel ex traduce *spirituali*, vel virtute parentum creatrice *ex nihilo*. Primum opponitur spiritualitati alterum simplicitati animæ, tertium excluditur verâ ac certâ doctrinâ, virtutem *creatricem* esse incommunicabiliter Dei solius. Directe autem id demonstratur illo principio: *sic alicui competit fieri, sicut et esse* (3). Atqui anima humana habet *esse* independens a materia. Ergo habet etiam *fieri* independens a materia. Quod autem *fit* independenter a materia seu a quocumque *subiecto*, fit *ex nihilo* seu creatur. Ergo anima humana creatur.

211. Recensiores opiniones.

Dantur opiniones quæ sub nova quadam forma veterem traducianismum renovant, at satis ex dictis confutantur. Aliqui, duce Frohschammer, affirmant parentes ipsos *ex nihilo* producere animas filiorum (4).

---

(1) De auctoritate huius pontificii documenti in hac quæstione bene disserit P. Bertani in *ephem. La Scuola Cattolica*. quad. 124.

(2) Hæc verba citantur in Bulla *Ineffabilis* PP. Pii IX.

(3) Ita sæpissime S. Thomas: « Cum fieri sit via ad esse, hoc modo alicui competit fieri, sicut ei competit esse ». Unde sequitur, animas brutorum non *creari*, sed educi de potentia materiæ.

(4) Id docuit ille auctor in libro, quem edidit an. 1854, et quem S. Cong. Indicis damnavit et iterum ipse PP. Pius IX in *Brevi* ad Arch. Monac. et Fring. 11 Dec. 1862. Ad hanc sententiam etiam Klee declinat.

Alii eam restituerunt opionem, cuius meminit S. THOMAS, animam filiorum sensitivam derivari quidem a parentibus, at postea eam evadere intellectivam *per virtutem Dei deforis illustrantem* (1). Porro hæc est opinio, quam in suis iam primis operibus docuit ROSMINIUS et quæ continetur propositionibus XX et XXI ex damnatis in Decreto *Post obitum* (2).

Refellitur prima opinio.

Ad primos quod attinet, eorum argumentum huc reducitur: omnis generatio, etiam brutorum et plantarum, est vera creatio, quatenus principium vitale est realitas omnino nova ex nihilo educta per ipsius generantis actionem: ergo a fortiori generatio hominum creatio erit, qua anima humana per ipsorum parentum actionem ex nihilo producitur. Verum respondemus omnino *negando* antecedens; nam principium vitale brutorum et plantarum non est vera substantia per se subsistens, sed est forma, quæ ut existat materiâ indiget, cui insistat tanquam subiecto; proindeque licet in generatione brutorum et plantarum principium vitale producatur ex novo, attamen producitur *ex præexistente subiecto.* Relate autem ad *consequens* adducti argumenti *distinguimus:* in generatione hominum animæ creantur et creari debent *concedimus;* nam anima humana est forma quæ ex se stare potest, nullâ materiâ indigens a qua sustentetur, proindeque sicut eiusdem *esse,* ita etiam eiusdem *fieri* erit independens a subiecto, seu erit vera creatio ex nihilo sui et subiecti. Verum hoc ipso *negamus:* animam humanam creari posse ex ipsorum generantium virtute: nam anima nostra, cum ad Deum ordinata sit, nonnisi a Deo immediate procedere debet, et cum nonnisi per creationem originem habere possit, ideo nequit a parentibus produci, quia nonnisi Deus creare potest.

---

(1) *Sum. th.* I, 118, 2.

(2) Pr. 20ª, ita sonat: « Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum procedere ». Modus autem quo anima sensitiva fiat intellectiva explicatur in sequenti pr. 21ª: « Cum sensitivo principio intuibile fit *esse*, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale ». Quæ porro singularis opinio in hisce fundatur principiis, quibus tota rosminiana antropologia constat, scilicet: 1° *esse* universale præsens ubicumque adesse; 2° universam materiam principiis sentientibus animari, ex quorum aggregatione unus perfectus sensus (sentimento) resultat: 3° huiusmodi sensum, cum non amplius in suo elaborando organismo occupetur, aptum esse ad sentiendum *esse* ei præsens, qua sola sensatione fiat intelligens; 4° hoc denique solum in homine contingere, cuius organismus suam perfectionem attigit. (*Psicol.* Vol. I, lib. IV, c. IV-XXIII). Porro illa universalis animatio materiæ, per gradus potius quam per species progrediens, est aptissimum doctrinis transformisticis fundamentum.

Refellitur secunda opinio.

Quod autem ad aliam supramemoratam opinionem, adnotasse præstat, per eam penitus offendi animæ unitatem, simplicitatem et spiritualitatem: omnino autem excludi veram animarum humanarum creationem, quam vidimus esse Ecclesiæ doctrinam. Nam illa illuminatio erit transformatio vel transnaturatio principii sentientis in intellectivum, nunquam autem ex omnino nihilo productio. Ceterum sufficiat audivisse quomodo ab ipso S. Thoma ea confutetur: « Sed hoc stare non potest » ait ipse, et post alias rationes hanc affert: « aut id quod causatur ex actione Dei (illustrantis animam sensitivam, ut fiat intelligens) est aliquid subsistens; et ita oportet, quod sit aliud per essentiam a forma præexistente (nempe ab anima mere sensitiva), quæ non erat subsistens: et sic redibit opinio ponentium plures animas in corpore. Aut non est aliquid subsistens, sed quædam perfectio animæ præexistentis: et sic ex necessitate sequitur, quod anima intellectiva corrumpatur corrupto corpore, quod est impossibile » (1).

212. ***Corollarium:*** *de differentia animarum.* — Ex dictis concludi potest, animas, etiamsi sint eiusdem speciei communis, multum inter se discrepare perfectione substantiali individua. Cum enim animæ omnes creentur a solo Deo, nulla creatura cooperante, potest Deus pro suo beneplacito animam plus minusve perfectam creare et corpori infundere (2). Verum altera disparitatis ratio est etiam diversa ipsius corporis dispositio. Anima enim humana, quamvis spiritualis, destinatur natura sua ad informandum corpus, et sic, ut anima corporis, debet aliquo modo ipsi corpori proportionari. Hinc ait S. Thomas: « quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam » (3). Quæ tamen ratio non est nimis urgenda contra experientiam, qua sæpe videmus in pessimo corpore optimam animam et in optimo corpore pessimam animam. Accedit ad idem suadendum analogia cum corporibus humanis. « Nam si inter humana tanta est diversitas, ut in tam innumerabili multitudine vix sit duo reperire vultu et temperamento plane similia; cur non idem putemus de multitudine animarum? Amat enim natura in rebus varietatem, et quantum potest fugit paritatem » (4).

---

(1) *Sum. th.* l. c. Pro hac tota quæstione consule Liberatore, *Dell'Uomo* vol. 2, cap. V et VI.

(2) Lessius, *De perfec. div.* l. XII, n. 145.

(3) P. I, q. 85, a. 7.

(4) Lessius ibid.

PARS ALTERA.

DE DEO ELEVANTE NATURAM.

Sequitur ut agamus de altera Dei communicatione ad creaturas rationales, qua eæ elevantur supra propriam naturam et in ordine supernaturali constituuntur. Ad quam rem totam declarandam supponi debet notio, quid sit *supernaturale.*

213. Quid supernaturale.

Supernaturale, ut ex ipsa patet voce, id valet, quod est *supra naturam.* Natura autem significat: *a) etymologice* a nascendo originem, nativitatem, seu melius terminum generationis, *b) ontologice* ipsam rei essentiam, qua res in sua specie constituitur, *c) dynamice* rei essentiam, prout est principium operationis. Inde sequitur notio primum *naturalis* et deinde *supernaturalis.*

Naturale multipliciter et ipsum sumitur, nimirum: *a)* pro *originali*, seu pro eo, quod nativitatem vel originem comitatur; *b)* pro eo, quod essentiam rei *constituit*, vel ex essentia seu natura constituta *consequitur*, tanquam proprietas vel qualitas ei ex sese conveniens; *c)* pro eo, quod natura suis viribus attingere, assequi aut *efficere* potest, vel quod sibi natura *exigit*, ut proprium *assequatur finem.* Demum latiore significatione *d)* naturale dici potest, quod est naturæ *consentaneum*, oppositum ei, quod est *contra naturam.*

Supernaturale itaque opponitur naturali, at theologico sensu opponitur illi naturali, quod accipitur non pro *originali* aut *pro consentaneo*, sed alia strictiore significatione. Proindeque supernaturale est: « quod *(negative)* neque ad naturam pertinet *constitutive*, neque *consecutive*, neque *dynamice*, neque *finaliter;* sed *(positive)* ad naturam iam constitutam accedens eam *perficit;* quod ideo *(complexive)* naturam perficit ultra omne debitum, nedum *personæ*, sed etiam ipsius *naturæ.* » Alias: supernaturale est naturæ indebitum, quatenus nec naturam constituit aut consequitur, nec ab illa efficitur aut exigitur.

214. **Quomodo dividitur supernaturale.**

Quod indebitum est et supernaturale, potest tripliciter se habere (1).

a) Potest esse donum huiusmodi ut *creaturam perficiat ultra totum ordinem naturæ.* Tunc creatura rationalis constituitur supra omnes ordines rerum creatarum et creabilium, ideoque in *ordine divino.* Hoc sane est *simpliciter* et absolute supernaturale, illudque a theologis etiam definitur id, quod est *in ordine divino* constitutum, quod *participat divinam naturam ut est in se ;* consistit autem *in intrinseca destinatione et elevatione ad finem intuitivæ visionis,* quæ omnem naturalem exigentiam excedit. Ad hunc ordinem divinum pertinet in primis ipsa visio beatifica et deinde dona omnia illi proportionata, tanquam inchoatio et præparatio ad consummationem ; uti divina revelatio et fides, præsertim vero illa a Patribus prædicata deificatio et adoptio in filios Dei, quæ fit per gratiam et inhabitationem Spiritus Sancti in iustis (2). In supremo et quidem spe-

---

(1) Franzelin, Tract. *De traditione* in append. c. III, § III.

(2) Omnem ordinis supernaturalis et divini notionem pervertunt sequentes propositiones Decreto *P. O.* damnatæ. Scilicet pr. 36: — « ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suæ formæ realis : cuius communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiæ, completus in altera vita constituit lumen gloriæ. » — Pr. 37 : « Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale : alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale, sed subsistens ac vivens : illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam obiectivitatem : at qui videt alterum (quod est Verbum) etiamsi per speculum et in ænigmate, videt Deum ».

Iamvero in hac singulari doctrina 1° ad ordinem theologicum et supernaturalem idem ontologismus pantheisticus transfertur, quem in ordine philosophico et naturali primæ damnatæ propositiones asserunt. In utroque ordine est semper unicum et idem esse, sub diversa solum forma ; quia in ordine naturali est esse ideale abscondens suam personalitatem et ostendens solum suam obiectivitatem ; et in ordine supernaturali est esse reale subsistens et vivens, ipsum Verbum ; sed utrobique est esse vere et proprie divinum, est ipse Deus. Ex qua identitate unius divini esse sequitur 2° nullam esse veram distinctionem inter ordinem naturalem et supernaturalem, sed unicam esse tum naturæ tum gratiæ entitatem. 3° Lumen fidei, si ex parte hominis accipiatur, non est nisi aliquis sensus (sentimento) deiformis, quo homo sentit et videt ipsum Deum ; si ex parte Dei spectetur, est ipsum Verbum sentitum et visum.

E contra iuxta catholicam doctrinam totus ordo supernaturalis ab eo pendet, quod Deus pro sua bonitate hominem ad Deum intuitione videndum destinaverit ; qui finis, cum omnem ipsius hominis naturalem exigentiam vere superet, hinc

cialissimo supernaturalitatis ordine continetur unio hypostatica humanæ naturæ cum verbo in Christo.

Ad huiusmodi ordinem divinæ visionis aliqua pertinere possunt tantum *extrinsecus*, quatenus sine ulla intrinseca rerum modificatione sola divina voluntate ad illum supernaturalem finem quomodocumque ordinentur. Quare in præsenti ordine etiam bona naturalia sunt extrinsecus supernaturalia, quia omnia nobis data sunt ut salvemur; unde patet id, quod solum extrinsecus supernaturale est, vero et proprio sensu non esse supernaturale.

b) Potest esse donum, quod excedit naturam naturæque qualitates, vires et exigentiam, quodque creaturam etiam perficit, *non tamen ultra totam naturam elevat ad superiorem illum ac divinum ordinem*, quatenus illam intrinsecam destinationem ad finem supernaturalem, per se non exigit. Hæc dici possunt dona *præternaturalia* vel supernaturalia *secundum quid*. Exemplum esset in homine immunitas a concupiscientia et immortalitas, quæ eius naturam excedunt quidem, sed eum ad divinam destinationem, per se, non elevant.

c) Potest denique esse donum, quod *entitative et quoad substantiam* est naturæ debitum, attamen confertur et efficitur *modo qui superet exigentiam et vires totius naturæ*, ut sunt plurimi effectus miraculosi proprie dicti, cuiusmodi est sanitas miraculose obtenta. Hoc est supernaturale solum *quoad modum*.

215. **Definitiones respuendæ.**

His præstitutis, iam intelligi poterit supernaturalis rationem perverti ab iis, qui supernaturale id esse definiunt, *quod sensus et experientiam fugit*, aut id, quod *Deus* non per causas secundas, sed *immediate ipse per se efficit*. Plura sunt enim superna-

---

etiam ordinem constituit, qui vera et reali distinctione totam naturam superat et excellit. Si vero ex hac destinatione etiam intus in homine sequatur aliqua realis elevatio, quæ dici solet divinæ naturæ consortium; hoc tamen in catholica doctrina fieri intelligitur non per formalem (ideoque pantheisticam) communicationem divini esse ipsi creatæ naturæ factam, sed per internam aliquam assimilationem ad naturam divinam; in qua assimilatione gratia sanctificans consistit et, qua præsupposita quædam etiam fit unio animæ iustæ cum ipsa divina substantia; sed utriusque entitate infinito intervallo distincta usque manente. Vera autem fides divina, tum subiective in homine credente, tum obiective in veritate credenda, quomodo omnino distinguatur a fide prædescripta in supracitatis propositionibus, quisque intelligat ex vaticana divinæ fidei definitione. Const. *De fide* cap. III.

turalia, quæ sensibilia sunt, uti Ecclesia et sacramenta ; et plura naturalia, quæ sensu et experientiâ non attinguntur, ut spiritus spirituumque operationes. Item plura sunt immediate a Deo producta, uti anima, quæ tamen non ideo supernaturalia sunt.

216. Ex dictis pariter liquet, nonnisi creaturam rationalem, proprie et per se, elevari ad ordinem supernaturalem. Si quæ aliæ naturæ ad ordinem hunc spectant, hoc est ut ipsis creaturis rationalibus tanquam media inserviant.

Ideo loquendum hic erit de elevatione angelicæ et humanæ naturæ et consequenter etiam de lapsu sive plurium Angelorum sive totius humanæ naturæ; idque duobus capitibus, quæ erunt:

I. De Angelorum elevatione, lapsu et munere.

II. De elevatione et lapsu humanæ naturæ.

CAPUT I.

DE ANGELORUM ELEVATIONE, LAPSU ET MUNERE.

217. Angelos, sicut homines, statim in creatione etiam gratia ornatos fuisse ideoque constitutos in ordine supernaturali elevationis, communis iam est theologorum sententia. Cum tamen positi fuerint in quodam stadio probationis, ut gratiis cooperando gloriam æternam mererentur, haud parva eorum pars peccavit, nulloque iis facto reparationis loco, e supernaturali statu irreparabiliter excidit.

Angelis autem ad gloriam admissis præcipuum munus Deus demandavit, ut homines in omnibus eorum viis custodirent.

Hæc tria, quæ certa et explorata habentur, distincte vindicabimus. Subiungemus obiter aliqua huic materiæ connexa.

Thesis XXX. — *Angeli ad supernaturalem viatorum ordinem fuerunt evecti; unde plures proprio exciderunt peccato.*

218. ***Declaratio.*** — Prima pars proponit sententiam *communem* et *certam,* quæ est hæc: Angeli, probabilius quidem in primo creationis instanti, constituti fuerunt in statu divinæ filiationis per gratiam ideoque destinati ad visionem beatificam, sed interim positi in quodam stadio probationis, quo beatitudinem

æternam meritis sibi compararent. Altera pars continet *dogma catholicum* de lapsu aliquorum Angelorum et consequenter de existentia dæmonum, prouti definivit Concilium Lateranense IV, cap. 1 : « Diabolus et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali ».

219. ***Prima pars.*** — *Angeli ad supernaturalem viatorum ordinem fuerunt evecti.*

Quoad angelos bonos. — De Angelis bonis certum est, eos nunc visione Dei perpetuo esse beatos. Atqui beatitudinem hanc meritis propriis ex divina gratia consecuti sunt, proindeque ad eam olim in via fuerunt. Ergo Angeli in gratia, iam ante beatitudinem, constituti fuerunt et in via ad eam, seu, quod idem est, ad ordinem supernaturalem viatorum proprium evecti.

Probo *maiorem* ex Scripturis : Ipse Christus docet : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (Matth. xviii, 10). Hinc Angelis ea nomina et munia tribuuntur, quæ nonnisi divina visione beatis competere possunt. Vocantur enim *Angeli cœlorum* (Matth. xxiv, 36) *Angeli lucis* (II. Cor. XI, 14), *Angeli electi* (I Tim. v. 21), *cives in cœlesti Hierusalem* (Heb. xii, 22); et dicuntur versari *in cœlis* (Marc. xii, 25) et *Deo adsistere* (Tob. xii, 15; Dan. vii, 10), et de electis hominibus dicitur quod *erunt sicut Angeli Dei in cœlo* (Matth. xxii, 30; Luc. xx, 36).

Probo item *minorem*, seu Angelos per merita gratiæ beatitudinem esse consecutos. Nam *a)* homines beatificantur propter merita gratiæ et hoc de fide est; ergo et angeli. Ratio enim, propter quam homines debent acquirere beatitudinem per merita gratiæ est quia beatitudo non est debita naturæ humanæ iuxta illud Apostoli : *gratia Dei vita æterna* (Rom. vi, 23). Atqui neque Angelis beatitudo debita est, quia visio Dei beatifica excedit facultatem naturalem cuiusque intellectus creati (1); ergo etiam Angeli eam debuerunt per gratiam mereri. — Hinc *b)* Apoc. xxi, 17, dicitur in cœlesti Hierusalem eandem esse mensuram hominis et Angeli. Atqui homines habent beatitudinem commensuratam suis gratiæ meritis; ergo et Angeli (2). — Confirmatur *c)* quia beatitudo, ea excepta, quæ debetur dignitati substantiali Personæ Divinæ, gloriosius habetur, cum habetur propter meritum, quam cum habetur sine merito. Cum autem admitti nequeat, An-

(1) S. Thomas p. I, q. 62, a. 2; cfr. q. 12, a. 4.
(2) S. Thomas p. I, q. 62, a. 4.

gelos beatitudinem habuisse modo imperfectiore quam homines, hinc dici debet, eam et ipsos acquisivisse per merita et quidem per merita gratiæ, quia etiam pro eis beatitudo est gratia. Quod si Christus beatitudinem non acquisivit meritis, attamen gloriosissime eam possidet, quia possidet ut sibi debitam propter dignitatem substantialem Personæ Divinæ.

Si itaque Angeli modo sunt beati ac si hanc beatitudinem meruerunt per gratiam; ergo eam statim non habuerunt in principio suæ creationis, sed per aliquam saltem morulam in statu viæ positi fuerunt. Stat ergo conclusio, Angelos in gratia, iam ante beatitudinem, constitutos fuisse, et in statu viæ ad eam, seu, quod idem est, ad ordinem supernaturalem, viatorum proprium, a Deo elevatos fuisse.

Angeli creati fuerunt in gratia. — In quæstione autem speciali utrum gratiam sanctificantem habuerint statim in ipsa creatione, an vero deinceps; iam est sententia *communis* in Scholis illa Sancti Augustini dicentis, quod Deus *eos* (Angelos) *cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit simul eis et condens naturam et largiens gratiam. Unde,* concludit, *sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, numquam sanctos Angelos fuisse credendum est* (12 de Civ. Dei, c. 9). In ista sententia sunt Basilius, Damascenus, Hieronymus, Gregorius M. et alii, unde S. Thomas concludit, esse *magis dictis Sanctorum consonum, quod* (Angeli) *fuerunt creati in gratia gratum faciente* (1). Res vero confirmatur etiam ex *congruentia* cum homine. Si enim homo, uti videbimus, creatus fuit in gratia; ergo etiam Angeli, non enim sunt inferioris conditionis.

II. Quoad angelos malos. — Verum quod de Angelis bonis demonstratum est, id certo asseri debet etiam de *malis*. Nam *a)* est eadem ratio de utrisque, quod ad hanc rem. Sicut enim boni, ita etiam mali Angeli fuerunt a Deo ordinati et creati ad beatitudinem supernaturalem, quam obtinuissent, si voluissent; ergo sicut boni etiam mali habuerunt media necessaria ad eam consequendam, seu habuerunt gratiam sanctificantem. — Id autem *b)* colligitur ex Scripturis. Isaias (xiv, 12) de Diabolo in persona regis Babylonis ait: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris,* sane denotans casum ab eminenti dignitate, qualis est ea gratiæ et sanctitatis. Item Ezechiel (xxviii, 12) de

(1) P. I, q. 62, a. 3.

Lucifero in persona regis Tyrii dixit: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore; in deliciis paradisi Dei fuisti,* et infra: *Posui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti;* ubi Patres per *signaculum similitudinis* intelligunt imaginem Dei sane supernaturalem in Angelis impressam, et per *lapides ignitos* intelligunt Angelos caritate ardentes. Item Patres de iustitia et sanctitate ab Angelis prævaricatoribus amissa interpretantur illud Ioannis (VIII, 44): *Ille in veritate non stetit,* et illud Iudæ (v, 6): *Non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium.*

220. ***Secunda pars.*** — *Plures angeli proprio peccato exciderunt.*

I. Ex S. Scriptura. — Angelorum lapsus iam constat ex locis modo citatis. Ad hæc, inquit Christus: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem* (1). Et Petrus tum peccatum tum pœnam Angelorum memorat dicens: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (2). In Apocalypsi prælium Angelorum describitur: *Factum est prælium magnum in cœlo; Michael et Angeli eius prœliabantur cum dracone, et draco pugnabat et Angeli eius. Et non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in cœlo; et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem: et proiectus est in terram, et Angeli eius cum illo missi sunt* (3). Ignis autem æternus dicitur *paratus Diabolo et Angelis eius* (4).

II. Ex Patribus. — Frequentissime docent, dæmones a principio bonos fuisse creatos, sed ipsos sua culpa transiisse in malos, factos ex angelis diabolos. Ita Chrysostomus: *Diabolus non naturæ nomen sed præsumptionis est... non enim diabolus factus est a principio, sed Angelus creatus est* (5). Et Augustinus: *diabolus,* inquit, *spiritus immundus est; et utique bonum quod spiritus, malum quod immundus; quoniam spiritus est naturâ, immundus est de vitio: quorum duorum illud a Deo, hoc ab*

(1) Luc. X, cfr. Io. VIII, 44.
(2) 2 Pet. II, 4.
(3) Cap. XII, 7.
(4) Matth. XXV, 41.
(5) Hom. *de Patient. Iob.*

ipso (1). Gregorius M. etiam explicat, cur Angelis lapsis Deus spiritum pœnitentiæ non dederit: *Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat* (2).

III. Ex analogia dogmatum. — Nam ex omnibus revelationis fontibus evidens est malorum spirituum seu dæmonum existentia: sed evidens pariter est ex fide christiana et sana ratione, Deum non esse auctorem malæ voluntatis, sed quiquid Ipse creavit esse bonum et valde bonum: neque ab eo aliquem damnari citra peccatum. Si ergo existunt dæmones, iique admodum mali atque in pœnali statu, id non est nisi ex eo quod, creati quondam boni atque in statu lætiore, culpa propria inde exciderint.

SCHOLIA.

221. *De cœlestium Angelorum ordinibus.*

Cœlestes spiritus per certos ordines distribui, sine ulla dubitatione antiqui omnes agnoverunt, idemque ex sacris literis colligitur; unde hoc generatim *ex fide* certum est, uti docet Suarez. Illorum ordinum series, sub principe Deo, *cœlestis hierarchia* dicitur, ut distinguatur ab ea, quæ in terris est et *ecclesiastica* vocatur. Eam vulgatus Dyonisius partitur in supremam, mediam et infimam, quarum unaquæque ex tribus ordinibus seu *choris* Angelorum componitur. In suprema sunt *Seraphim, Cherubim* et *Throni;* in media *Dominationes, Virtutes* et *Potestates;* in infima *Principatus, Archangeli* et *Angeli* (3). Alii aliter choros disponunt, fixis tamen remanentibus tribus prioribus et duobus postremis. Verum nomina illa, haud sane synonyma, omnia occurrunt in divinis literis, in quibus redit mentio *Angelorum* passim, *Archangelorum* I Thess. IV, 15, *Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Virtutum,* Col. I, 16 et Eph. I, 21, *Cherubim* Gen. III, 24 et Ezech. X, 3, *Seraphim* Is. VI, 2. Easdem classes, modo aliquas modo omnes, ex Patribus plurimi etiam vetusti recensuerunt, omnes invocat liturgia *ambrosiana* in veteri præfatione (4), ipsasque recepit illustravitque Schola universa.

---

(1) *De Nupt. et concup.* l. I, c. 23.

(2) *Moral.* lib. IX, c. 50.

(3) Opera, *De cœlesti hierarchia* et *De ecclesiastica hier.* sec. V, in fine, conscripta sunt. — Totidem choros enumerat Gregorius Papa, hom. 34 *in Evang.*, ubi, fortasse aptius, *Principatus* ponit loco *Virtutum*, et vicissim. Cfr. Suarez, l. II, *De Ang.* c. VIII.

(4) « Per quem Maiestatem tuam laudant *Angeli,* venerantur *Archangeli; Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus* et *Potestates* adorant. Quem *Cherubim* et *Seraphim* socia exultatione concelebrant ».

Ratio distinctionis: *generatim*. Ratio, qua generatim Angelorum ordines distinguuntur, sunt *dispositive* quidem dona naturalia, quibus congruenter dona gratuita primo collata sunt; at *completive* sunt dona gratiæ, quia gubernatio Angelorum, sub principe Deo, attenditur ultimo per respectum ad finem supernaturalem divinæ visionis, ad quem pertingere non possunt nisi per gratiam (1).

Speciatim hierarchiarum distinctio *dispositive* et fundamentaliter pendet ex triplici universalitatis gradu, iuxta quem angelica multitudo a Deo illuminatur ad cognoscendum res creatas, at *completive* exurgit ex diversis donis supernaturalibus diversisque muneribus in ordine ad Deum, ad alios Angelos et ad homines. Ad primam hierarchiam pertinet consideratio finis, proindeque ea immediate respicit ipsum Deum qui Angelorum hominumque est finis ultimus. Hinc *Throni* elevantur ad hoc, quod in seipsis, veluti in altis sedibus, Deum familiariter recipiant per cognitionem quidem et amorem; sed in Dei cognitione eis præstant *Cherubim*, quibus a *plenitudine scientiæ* est nomen; in amore et caritate utrisque excellunt *Seraphim*, qui ab *igne* nomen habent (2). — Ad secundam hierarchiam pertinet gubernatio seu universalis cognitio et dispositio rerum agendarum, proindeque ea respicit immediate alios Angelos, quorum ministerio mundum ipsum et homines sub Deo regit et in finem adducit. Ad id *Dominationes* præcipiunt agenda, *Virtutes* præbent facultatem ad ea implenda, *Potestates* ordinant qualiter possint impleri. Verum Gregorius M. putat, per Virtutes miracula frequentius fieri, per Potestates arceri et refrænari dæmones. — Ad tertiam demum hierarchiam pertinet ministeriorum exsecutio, unde ea immediatum ordinem habet ad homines. In exsequendis autem divinis ministeriis primi sunt et duces *Principatus*, qui præsunt custodes nationibus, regnis, ecclesiis; veniunt deinde cum aliqua excellentia *Archangeli* curam habentes communitatum, et demum *Angeli*, qui simpliciter nunciant et exsequuntur atque singulorum hominum tutelam habent.

---

(1) S. Thomas, p. I, q. 108, a. 4.

(2) « Nomen *Seraphim* non imponitur tantum a caritate, sed a caritatis excessu, quem importat nomen ardoris, vel incendii. Unde Dionysius (*De cœl. hier.* cap. 7, a princ.) exponit nomen Seraphim secundum proprietates ignis, in quo est excessus caliditatis. In igne autem tria possumus considerare. Primo quidem *motum*, qui est sursum et qui est continuus; per quod significatur quod indeclinabiliter moventur in Deum. Secundo vero *virtutem activam* eius, quæ est calidum, quod quidem non simpliciter invenitur in igne, sed cum quadam acuitate, quia maxime est penetrativus in agendo et pertingit usque ad minima, et iterum cum quodam superexcedenti fervore; et per hoc significatur actio huiusmodi angelorum, quam in subditos potenter exercent, eos in sublimem fervorem excitantes, et totaliter eos per incendium purgantes. Tertio consideratur in igne *claritas* eius; et hoc significat quod huiusmodi angeli in seipsis habent inextinguibilem lucem, et quod alios perfecte illuminant ». S. Thomas, p. I, q. 108, a. 5 ad 5.

222. *De Angelis malis.*

1) Horum seu dæmonum *existentia* sequitur ex eorum lapsu, cum quo simul constituit velut unum dogma. Hoc teneri debet ab omnibus catholicis adversus eos, qui totam de dæmonibus doctrinam affirmant sanæ philosophiæ contrariam eamque contendunt inter placita iudaicæ et postmodum christianæ religionis derivasse ex orientalium opinionibus. 2) Alias vero quæstiones, quas theologi fuse agitare solent, *quo* scilicet *peccato* ceciderint angeli (1) et *quot numero* et *ex quo ordine,* prætermittere liceat eo facilius, quod eæ neque tanti sint momenti, neque certam habeant solutionem. 3) Teneamus tamen *dæmoniacæ perversitatis* veluti *essentiam* contineri perpetuo odio, quo dæmones in Deum ardent et consequenter in homines. 4) Exinde permittente Deo, provenit contra homines resque humanas *impugnatio* seu *infestatio diabolica;* cuius nomine intelliguntur omnes dæmonum conatus viribus suis utentium ad mala moralia vel saltem physica in mundo.

De infestatione dæmoniaca.

Ea triplex distinguitur: *tentatio, obsessio* et *diabolicum commercium. a)* — *Tentationes* ad peccandum, manifestum est, non quidem semper, at sæpius e diaboli oriri instigatione. Dæmon tentat, non quidem *interius* immediate agendo in hominis voluntatem et intellectum, sed *exterius* in quantum, commovendo corporis spiritus et humores, imaginationem perturbat circa aliquod obiectum et passiones excitat in appetitu sensitivo. Tentationibus adcenseri debent multiplicis generis *persecutiones* in Ecclesiam eiusque ministros et bonos fideles, itemque *illusiones* falsis prodigiis, falsisque revelationibus. *b)* — *Obsessio* est actualis vel habitualis eaque physica vexatio in homines, quæ a veteribus theologis distinguebatur in *circumsessionem,* si diabolus tantum extrinsecus hominem circumobsidet: in *obsessionem,* si corpus humanum inhabitat: in *possessionem,* si ita illud inhabitat, ut pene omnes eius vires physicas et psychicas sibi vindicet. De huiusmodi

(1) Certum est primum peccatum Angelorum fuisse *superbiam.* Id ex Patribus et Scripturis docet Schola universa. Controvertitur, quodnam fuerit obiectum huius superbiæ. Suarez aliique theologi probabile putant, Lucifero revelatam fuisse unionem hypostaticam humanæ naturæ Christi cum Verbo Divino; et inde sumptam fuisse occasionem superbiæ et invidiæ. Quia scilicet indigne tulit tantam excellentiam conferri humanæ naturæ, et eam sibi appetiit, tanquam naturæ suæ magis convenientem. Cfr. Suarez *De angelis,* l. VI, cap. VIII. Verum S. Thomas docet, superbiam Angeli in eo constitisse, vel quod appetiverit suam beatitudinem naturalem tanquam finem ultimum simpliciter, non curando de beatitudine supernaturali, ad quam ordinabatur per gratiam: vel quod appetiverit beatitudinem supernaturalem ex suis viribus naturalibus, non curando de divino auxilio. *Sum. th.,* q. I, 63, a. 3.

obsessione generatim duo tenenda sunt: primo eam possibilem esse et cum divina sapientia et providentia conciliari posse; secundo eam quondam obtinuisse atque post Christi quoque tempora obtinere, prouti apparet ex historia evangelica, ex ipso *exorcistarum ordine,* qui a remotissima ætate in Ecclesia semper fuit, ex aperta Patrum doctrina et ex ipsius Ecclesiæ decretis super energumenos editis. *c) — Commercium cum dæmone* multipliciter mali homines attentant, et præsertim per *magiam.* Ea est ars faciendi mira ope dæmonis vel explicite vel implicite invocati (1). Huius magiæ *crimen,* sistens in impio hominis conatu mira patrandi ope dæmoniaca, est plane possibile atque subinde contigisse vel contingere, certum omnino esse debet, tum ex ss. literis tum ex Patribus et historiis indubiis. Magia tamen, tanquam *certa et definita ars,* admitti nequit (2): semper vero in praxi illa regula attendi debet: *Factum quodlibet mirum tamdiu habendum esse pro naturali, quamdiu non probetur contrarium.*

Spiritismus et hypnotismus.

Ad magiam *somnambulismus magnelicus* et primo *spiritismus* revocari *potest.* Nam, posita veritate historica eorum phænomenorum, prouti ex indubiis testimoniis constat, certum est, ea phænomena, præsertim quæ produnt *causam intelligentem et liberam,* uti sunt responsa ad quæstiones datas, non posse proficisci adæquate vel principaliter *a fluido aliquo materiali,* multo minus vel a Deo vel ab Angelis bonis, qui hominibus in vanis et pravis ad nutum non serviunt; ex altera parte certum aliquando est, ea superare facultatem naturalem sive personæ magnetizatæ sive magnetizantis. Ergo remanet ut concludamus *horum phænomenorum,* si non omnium, multorum certe *dæmonem esse causam,* iisque proinde contineri instaurationem superstitionis et magiæ paganæ, formâ quidem nonnihil immutata, et ad urbanitatem quandam redacta. Digna pœna, ut qui Deo obsequi nolunt, mancipia fiant atque ludibrium dæmonum.

---

(1) Magia hæc dæmoniaca vocatur *nigra* ut distinguatur ab ea, quæ fit nonnisi ope notitiæ virium naturalium et dicitur *naturalis,* nec non ab ea, quæ fit ope artis et dexteritatis et appellatur *artificialis.*

(2) Non facile enim probabitur, Deum semper dæmonibus permissurum, ut pro lubito homines infestent atque omnibus impiorum conatibus in hominum damnum inserviant et obsequantur, quotiescumque scilicet magis certa determinataque adhibere libuerit signa.

Thesis XXXI. — *Angeli in custodiam hominum a Deo deputantur.*

223. ***Declaratio.*** — Thesis ad fidem spectat, si sumatur generaliore modo, quippe hæc veritas est in aperta professione Doctorum et fidelium in Ecclesia. Singulis fidelibus etiam peccatoribus et præscitis singulos Angelos custodes deputari est sententia quidem certa, non tamen expresse dogma fidei. Retinendum quoque est Angelos omnibus hominibus, etiam infidelibus, custodes adesse.

224. ***Demonstratur I.*** *ex S. Scriptura.*

Deum Angelis curam de hominibus *a) generatim* demandasse, apertissime docent sacræ litteræ, tum disertis testimoniis, tum exemplis. Testimonium rem graphice describens est illud Psalmi (xc), ubi de illo, qui habitat in adiutorio Altissimi, dicitur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quibus pulcherrimis verbis respondent illa Pauli (Heb. i, 14), qui de Angelis dicit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis ?* (1). Ubi advertas Paulum loqui non de iis tantum, qui actu salvantur, sed de iis, qui *hæreditatem salutis capere debent*, seu qui destinati sunt ad eam capiendam, uti ex græco textu verti potest. Testimonia exemplis confirmantur, quæ ostendunt hanc semper fuisse Dei œconomiam, ut Angelorum ministerio beneficia hominibus conferret. Ita Deus usus est erga Abrahamum, Isaacum, et Iacobum, uti apparet ex Genesi cap. xvi et seq.; ita erga populum Israëliticum, uti liquet passim ex libris historicis pene omnibus Veteris Testamenti. Eadem œconomia in Novo Testamento enarratur passim locis notissimis.

Imo ex sacris litteris etiam *b) speciatim* constat, quemlibet hominem suum Angelum custodem habere. Id insinuare videntur verba Psalmi superius citata, quibus Angelorum custodia veluti peculiaris ad singulos homines describitur. Idipsum apertius suadet Christus Dominus, cum de parvulis dixit (Matth. xviii, 10): *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem*

(1) *Omnes* itaque Angeli de quocumque choro mittuntur propter

Patris mei, qui in cœlis est. Porro *Angeli eorum* sunt Angeli proprii singulorum : quisque ergo ex his habet Angelum proprium. In Actibus autem apostolicis legitur fideles, qui ad ostium pulsantem audierant Petrum mox e carcere eductum, dixisse : *Angelus eius est*, idque porro nonnisi ex communi fide, cuivis suum adesse Angelum. *Ergo,* argumentatur inde Origenes, *intelligitur et alius Pauli Angelus, sicut et Petri, et alius alterius Apostoli et singulorum per ordinem* (Hom. 11, in Num. n. 4).

***Demonstratur II.** ex Traditione.*

Item Angelos ad custodiam *a) generatim* hominum deputari, in apertissima totius Ecclesiæ fide continetur. Id enim apparet tum ex sacris liturgiis, quæ continent cultum Angelorum Custodum, tum ex disertis testimoniis Patrum cuiuslibet ætatis, qui, ex sententia non propria sed fidei, Angelos appellant *Custodes, pædagogos et puerorum institutores, præceptores hominum, episcopos, pastores, pastores gregum* (1). Ita porro Basilius, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus aliique bene multi.

Verum etiam *b*) *speciatim* singulis hominibus Angelum Custodem adesse, sententia est ita certa in Ecclesia, ut, licet non sit definita, est tamen definibilis. Sane id colligi potest imprimis ex communi sensù fidelium, qui credunt sibi suum cuique Angelum præsto esse, eumque ab Ecclesia edocti ita adprecantur : *Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna* (2). — Verum hæc sententia confirmatur disertâ eaque antiquissima doctrina Patrum. In hunc enim sensum interpretantur superallata verba Christi de Angelis parvulorum Hieronymus, Theophylactus, Basilius, Isidorus hispalensis aliique cum quibus in rem consentiunt diserte Iustinus, Clemens alex., Eusebius, Gregorius nyssenus, Cyrillus alexandrinus, Theodoretus, Anselmus et alii apud Suarez, omnesque catholici interpretes, Doctores scholastici et Theologi : quorum imo sententia communis est, etiam infidelibus et peccatoribus et reprobis Angelos Custodes adesse. « Dicendum est, ait Suarez, non solum iustos, sed etiam peccatores, neque solos fideles, sed etiam infideles, neque solos baptizatos, habere Angelos custodes. Hæc est communis sen-

(1) Petavius, *De Angelis* l. II, cap. VII, n. 7.

(2) Precis huius recitationem pluribus indulgentiis ditarunt SS. PP. Pius VI. et VII.

tentia theologorum (1). — Huius autem veritatis rationem repetunt ex benigna Dei voluntate salvandi omnes homines, qui media ordinaria providentiæ omnibus largitur, itemque ex eo quod etiam infideles et reprobi saltem iuvantur ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahantur, quibus et sibi ipsi et aliis nocere possent (2).

Quod si aliqui Patres, uti Basilius, Hilarius, Chrysostomus, docere videantur, vel tantum iustis aut fidelibus dari Angelos Custodes, vel eos a peccatoribus *fugari* aut *recedere*; hæc accipi debent non sensu excludendi peccatores ab omni auxilio et custodia Angelorum, sed tantum affirmandi eorundem specialem tutelam erga fideles et bonos.

Observa: quod Angeli, spiritus cum sint excellentiores, hominibus tamen ministrent, *neque id cuiquam incredibile videatur*, ait S. Bernardus, *quandoquidem ipse quoque creator et rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare et animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit is, cui in excelsis tota cum aviditate et felicitate ministrant?... Huius utique tanti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis, imo et libenter, Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: « Qui me amat, amat et canem meum ». Nos vero, o beati Angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli inquam cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos* (In fest. S. Michaëlis serm. 1).

SCHOLIA.

225: *Gentibus, civitatibus, Ecclesiis sui Angeli præsunt.*

Singulis gentibus et civitatibus singulos Angelos præesse colligunt Patres ex Daniele (c. x): ubi introducuntur quatuor Angeli, quorum unus erat princeps Persarum, alter Græcorum, tertius Gabriel princeps captivorum in Perside, quartus Michaël princeps populi Dei. Inter principem Persarum et Gabrielem erat dissensio, an Iudæi essent liberandi ex Perside vel non; et quisque pro gente sibi commissa decertabat. — Si vere gentibus, ergo potiori ratione singulis Ecclesiis præ-

(1) *De Angelis* l. VI, c. 17.
(2) S. Thom. p. I, q. 113, a. 4.

sunt Angeli. Id docent Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Nazianzenus aliique et probant ex Apocalypsis c. I, II et III (1). Imo toti Ecclesiæ Catholicæ custodem præesse Michaëlem, est communis fidelium sensus; sicut is præerat antea veteri Synagogæ: *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël princeps vester* (Dan. X, 21). Posset vero dici eundem Angelum, cui aliqua communitas commissa est, custodire simul caput seu principem illius communitatis specialiter, quia pro toto corpore, ut includit caput, videtur destinatus. Suarez autem probabile censet personas publicas, uti sunt Pontifices et alii prælati et principes, duos habere Angelos (2).

226. *Beneficia custodiæ angelicæ.*

Ex Scriptura et Patribus collecta sex præcipua enumerantur a Suaresio. Primum est pericula avertere tam corporis quam animæ, plerumque nobis omnino ignorantibus: ad quem effectum etiam spectat tollere impedimenta spiritualis profectus. Secundum est animam excitare ad cavendum malum et operandum bonum, idque faciunt illuminando mentem et movendo voluntatem (3). Tertium est dæmonem coërcere, ne tentet, aut ne tam graviter tentet. Quartum est orationem et bona opera alumnorum Deo præsentare, ut fiant Ei magis accepta. Quintum pro suo alumno assidue et peculiari cura Deum adprecari. Sextum corrigere et etiam punire homines sibi commissos, quando iuxta ordinem divinæ providentiæ fuerit expediens; quod tamen præstant pœnâ nonnisi medicinali, quia pœnæ pure vindicativæ ordinarie per angelos malos infliguntur.

227. *Quando incipiat et quamdiu duret Angelorum custodia.*

Incipit, ait S. Thomas, a nativitate, quando puer separatam existentiam obtinet, et quidem iam ante baptismum, quia hoc est ex illis Dei beneficiis, quæ homini providentur non in quantum est christianus, sed in quantum habet naturam rationalem. Quamdiu vero hæc vita durat, Angelus nunquam totaliter deserit suum clientem. Hæc enim custodia est quædam exsecutio divinæ Providentiæ circa homines facta: divinæ autem Providentiæ nec homo nec res aliqua unquam totaliter subtrahitur. Quando autem homo ad terminum viæ pervenerit, iam non habebit Angelum custodem; sed habebit in regno Angelum cum-

(1) Suarez, l. VI, c. XVII, 23.

(2) L. VI. c. XVII, 24. Suarez etiam docet, Mariam suos Angelos custodes habuisse et fortasse numero plures; Christo Domino autem custodem nullum, sed *ministros* plures Angelos adfuisse.

(3) Quomodo possit illuminare hominem indicat S. Th. « Connaturale est intellectui humano, ut intelligat per conversionem ad phantasmata: et ideo intelligibilem veritatem proponunt Angeli hominibus sub similitudinibus sensibilium » (p. I, q. III, a. 1).

regnantem, in inferno dæmonem punientem (1). Attamen animas iustas Angeli Custodes adhuc vel in purgatorio solantur, vel plene purgatas ad cœlum, aliis etiam Angelis comitantibus, deducunt (2).

CAPUT II.

DE ELEVATIONE ET LAPSU HUMANÆ NATURÆ.

228. Remanet ut dicamus de elevatione et consequenter etiam de lapsu humanæ naturæ. Circa elevationem duo statuenda erunt: tum *factum historicum*, quod Deus protoparentes, donis præclarissimis superadditis, in statu longe excellentiore posuerit, quam est status generis humani deinde sequutus; tum *indoles supernaturalis* illorum donorum, quod scilicet fuerunt omnino indebita et gratuita. Primum est contra Pelagianos et Socinianos, quibus subscribunt recentiores Rationalistæ existimantes, hominem in ea conditione nunc nasci, in qua olim conditus fuit, nempe sine donis superadditis, sine peccato. Alterum est contra Lutheranos, Calvinianos, Baium et Iansenistas admittentes quidem factum illius status excellentioris, sed contendentes eum cum donis adnexis ipsi humanæ naturæ esse debitum.

De lapsu vero satis erit statuere existentiam peccati originalis seu factum historicum inobœdientiæ Adami et veritatem transmissionis huius peccati in omnes Adæ posteros. Alias connexas quæstiones breviter solvendas subiiciemus de propria essentia et natura peccati originalis, eiusque sequelis.

Thesis XXXII. — *Protoparentes in statu gratiæ sanctificantis constituti a Deo fuerunt: simulque ornati eximiis animi et corporis donis, nominatim integritate, singulari scientia, immortalitate.*

229. ***Declaratio.*** — In prima parte proponitur primum ac præcipuum donum primis hominibus collatum, quod est *gratia sanctificans* cum qua suapte naturâ iam connexa est destinatio ad visionem beatificam, et in qua proinde principaliter consistit ho-

(1) S. Thomas, p. I, q. 113, a. 5, 6, 4.
(2) Suarez, l. V, c. 19. Cfr. devota de Angelis meditatio S. Aloisii Gonzagæ.

minum elevatio ad ordinem supernaturalem (1). In altera parte alia enumerantur dona primis hominibus collata, nominatim quoad mentem *singularis scientia*, quoad corpus *immortalitas*, et ob mirabilem spiritus et carnis concordiam *integritas*, vi cuius appetitus inferior subdebatur voluntati rationali.

Tum primam, tum alteram partem, saltem generatim acceptam, ad fidem pertinere constat ex Conc. Tridentino sess. v, can. 1: « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseque per offensam prævaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli; totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; a. s. » Adde quoad primam partem adhuc Conc. Tridentinum ibid. can. 2 et Conc. Arausicanum II, can. 19, et quoad alteram concilia Milevitanum II, et Ephesinum damnantia Pelagianos in hac quæstione.

230. ***Prima pars.*** — *Protoparentes in statu gratiæ constituti fuerunt.*

Argumentum generale. — Probatur generatim hæc veritas ex fine œconomiæ Christi, qui fuit renovare, redimere, regenerare, reconciliare, restaurare, reparare genus humanum Adæ peccato lapsum; quo evidenter significatur, œconomiam Christi erga nos eo tandem spectare, ut restituamur ad primam conditionem, in qua erat homo ante peccatum Adæ. « Mysteriorum Christi omnium, ait Gregorius nazianzenus, unum hoc caput atque unus hic scopus, nimirum mea perfectio et instauratio atque ad primum illum Adamum reditus ». Atqui revocatio atque restauratio hominum per Christum continetur tandem infusione *gratiæ sanctificantis*, qua ex inimicis amici, ex filiis iræ filii Dei constituimur. Ergo iam homo in Adamo hac gratia auctus erat atque ornatus.

---

(1) Fit quæstio inter Theologos utrum Adam in primo istanti suæ creationis gratiam sanctificantem acceperit. Concilium Tridentinum, ne controversiam solveret, mutavit vocabulum: *conditus* in alterum *constitutus*. Est tamen sententia in scholis communis, quod Adam in gratia iam primo instanti conditus fuerit. S. Thomas, p. 1, q. 95, a. 1 ad 5; p. I, 2, q. 112, a. 2 ad 1; q. 113, a. 8 ad 2.

Argumentum speciale: I. ex S. Scriptura. — Idem argumentum conficitur ex testimonio speciali S. Pauli ad Ephesios IV, 23: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Sane homo, qui iubetur renovari, fuit aliquando novus et quidem ea novitate novus, ad quam iubetur renovari. Etenim, ut inquit Augustinus, « quomodo nos renovamur ad id quod homo nunquam fuit? (1). » Atqui homo a Paulo iubetur renovari induendo *novum hominem* (2), *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Ergo homo fuit aliquando ea novitate novus, quæ consistit in iustitia et sanctitate veritatis. Id quod esse non potuit nisi in Adamo, qui proinde primitus constitutus fuit secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis. Ita ipse concludit Augustinus: « Vide ergo quod sequatur: *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Ecce quod perdidit Adam per peccatum (3). » — Huic loco conferri potest alius ipsius Pauli ad Colos. III, 8 et seq.: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creavit illum.* Rursum inde concludit Augustinus: « Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iustitiæ (4). » Quare cum dicitur Gen. I, 26, homo factus *ad imaginem et similitudinem* Dei, id, ex parallelismo reali cum testimonio Pauli, intelligi debet etiam de similitudine supernaturali per gratiam, uti plerique Patres intelligunt (5)

Argumentum speciale: II. ex Patribus. — Ex dictis iam patet, quæ fuerit in hac re doctrina Patrum. Revera Patres hanc veritatem tum docent *theoretice*, uti Damascenus, qui ait: *Hominem summus opifex condidit, divinam ei gratiam suam impertiens seque per eam ipsi communicans* (6); tum *polemice* contra Pelagianos, uti præstitit præsertim Augustinus, qui tanquam dogma catholicum perpetuo tuetur, dona quædam Dei gratuita homi-

---

(1) Aug. *De Gen. ad litt.* lib. VI, c. 24.

(2) Pro *novo hoc homine*, licet etiam intelligatur Christus, bene procedit argumentum, uti patet.

(3) Ibid. c. 26.

(4) Ibid. c. 27.

(5) Bellarm. *De gratia primi hominis*, c. 2.

(6) *De Fid. Orth.* l. II, c. 30.

nes perdidisse per peccatum Adæ, neque nunc nasci humanam naturam, qualis in Adamo constituta fuit, amisisse vero id, ad quod reparatur per Christum, nempe gratiam adoptionis.

231. ***Secunda Pars.*** — *Protoparentes ornati fuerunt eximiis animi et corporis donis.*

1.° ***Receperunt donum integritatis.***

Integritate primum hominem donatum fuisse, apparet vel hoc simplici argumento. Adam immunis fuit a concupiscentia carnali ideoque et ab aliis levioribus passionibus rationi reluctantibus. Atqui ea immunitas non aliunde repeti potest, nisi ex præclarissimo integritatis dono, quo inferiores hominis facultates imperio superioris rationis, hæc vero divinæ voluntati omnino subdebatur. Ergo Adam integritate donabatur. *Major*, quod scilicet protoparentes a vehementiore illa concupiscentia carnis immunes fuerint, apparet ex narratione Scripturarum, quod ante peccatum ab eis abesset effectus concupiscentiæ, qui est erubescentia de nuditate; postea erubescentia sequuta fuerit, signum indubium exortæ concupiscentiæ (1). — Ita porro rem explicat Augustinus (2) et cum eo alii Patres. Inter eos pulcherrime S. Chrysostomus: *Usque ad prævaricationem, quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati... neque indigebant vestimento. Peccato enim nondum præsente, gratiâ quæ superne venerat, vestiti erant, et ideo non erubescebant* (3).

2.° ***Adam habuit excellentissimam scientiam.***

Scientia singularis primi hominis, quantum satis est, *a)* colligitur tum ex Eccli. XVII, 5, 6, ubi inter alia de protoparentibus dicitur, quod Deus *disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum: et mala et bona ostendit illis;* tum ex facto (Gen. II, 19) quod *appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia cœli et omnes bestias terræ;* ut enim nomina sint *sua* rerum, debent earum naturis rite congruere. Eam postulat *b)* character proprius Adami, qui constitutus fuit nedum Pater, sed etiam primus Magister, qui genus humanum instituere debebat in or-

(1) *Gen.* II, 25; III, 7, 10, 11.
(2) *In Gen. ad. litt.* l. XI, c. 1.
(3) *In Gen. hom.* 15, n. 4.

dine *ethico*, *sociali* et *religioso*. Ad hanc scientiam promovendam c) melior tunc erat dispositio, quia passiones silebant et distrahentes sollicitudines aberant; et aptius ipsum cognitionis medium suppetebat, quia mens humana erat tunc ante peccatum nitidior imago Dei, ipsaque rerum universitas contemplanda nondum erat maledicto obnoxia.

3.° ***Protoparentes donati sunt immortalitate.***

Immortales etiam quoad corpus fuisse constitutos protoparentes, adeo ut *possent non mori* et *mortui revera non essent* (1), si conditionem divinitus statutam sancte servassent; id apparet non modo ex controversia cum Pelagianis sec. V, verum etiam ex sacris literis, quæ clare docent mortem nonnisi propter peccatum intrasse in mundum. Ita colligitur ex Gen. II. 17: *In quocumque die comederis ex eo* (ligno scientiæ boni et mali), *morte morieris*, seu esse mortalis vel mori incipies, utique morte etiam *secundum corpus*, uti patet ex obvio sensu et executione, quam Deus postea pronunciavit: *Quia.... comedisti de ligno..., in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram* (Gen. III, 17. 19). Quibus locis respondent testimonia parallela quod: *Deus creavit hominem inexterminabilem*, et quod: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. II, 23), et quod: *A muliere initium factum est peccati et per illam omnes morimur* (Eccli. XXV, 33). Huc conferri possunt alia loca ex Paulo (2).

Impassibilitas. — Porro cum immortalitate cohæret impassibilitas seu immunitas ab ægritudine, ærumnis omnibus atque laboribus. Hinc ex bonis huiusmodi cumulatis colligimus, protoparentes bene se habuisse relate *ad Deum* ob gratiam sanctificantem familiaremque cum eo conversationem; relate *ad seipsos* ob integritatis donum; in ordine *ad verum* propter insignis scientiæ lumen; relate ad *conditionem vitæ* propter immunitatem ab omnibus doloribus et ab ipsa necessitate moriendi, cui addi debent commoda omnia affluentia in *paradiso voluptatis*. Sane hæc erat quædam *æterna et prorsus singularis felicitas*

---

(1) Immortalitas, qua secundum corpus donabantur primi homines non quidem erat, ut *non potuissent mori*, sicut est de spiritibus: sed tantum ut *potuissent non mori*, idque ex divino favore, si non peccassent. Cfr. Aug. *De Gen. ad lit.*. VI, c. 22.

(2) I *Cor.* XV, 21; *Rom.* V, 12; VIII, 10.

primorum hominum, de qua nedum penes christianos fides semper viguit, verum etiam apud gentes sparsim traditæ notitiæ inveniuntur, tanquam de aurea prima ætate (1).

SCHOLIA.

232. *Cetera dona cum gratia erant connexa.*

Sane integritas, scientia, immunitas a corruptione et morte non sunt ex natura sua necessario nexa cum gratia sanctificante, neque hæc cum illis; quippe est horum bonorum diversa omnino ratio. Attamen ex Creatoris ordinatione gratia sanctificans collata in creatione ita cum ceteris illis donis coniungebatur, ut hæc ab illa penderent et cum ea cohærerent. Tum enim ex comminatione Dei, tum ex iis, quæ post commissum peccatum successisse in primis Geneseos capitibus enarrantur, intelligimus eorum bonorum omnium conservationem ab observatione legis et conservatione gratiæ dependentem fuisse. Cum vero dependentia hæc non sit ex rerum natura, remanet sit ex libera Dei ordinatione.

233. *Recensita dona collata fuerant humanæ naturæ et non tantum personis primorum hominum.*

Id persuadetur doctrinâ certissima et catholica, posteros omnes cum Adamo peccante amisisse ea dona. Ad omnes ergo, ex Adamo humanam naturam trahentes, ea dona spectabant.

Thesis XXXIII. — *Gratia sanctificans et cetera dona erant humanæ naturæ indebita.*

234. ***Declaratio.*** — Thesis est contra Lutherum, Baium, Iansenium, Quesnellum aliosque, qui dum consentiunt hisce donis protoparentes fuisse præditos, contendunt ea dona fuisse protoparentibus *naturalia*, non solum quatenus *congenita* vel *convenientia* naturæ, sed quatenus et quia humanæ naturæ *debita*. Doctrina, quæ econtra hic proponitur, non est quidem *fidei dogma* expresse definitum, sed est vere *catholica* et *fidei proxima*, uti apparet ex pluribus damnatis propositionibus. Inter eas 27ª Baii sic iacet: « Humanæ naturæ sublimatio et exal-

(1) Hanc felicitatem graphice describit Augustinus, *De Civ. Dei*, l. XIV, c. 62. Cfr. Vigouroux, *Les livres Saints et la Critique*, vol. III, c. 6: De Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, 3ª ed.

tatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis ; » 26ª sic : « Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio ; » et 78ª : « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio (1) ».

235. ***Demonstratio*** fit triplici argumento : 1° ex ipsorum donorum per peccatum *amissione*, 2° ex ipsa donorum inspecta indole et *præstantia* sive supra sive præter naturam, 3° ex diserta doctrina Patrum.

1.° Primum argumentum sic procedit : Certum est Adamum peccando recensita dona amisisse, nobisque naturam communicari destitutam iis donis. Atqui naturalia per peccatum non amittuntur, et natura humana, si communicaretur detractis essentialibus notis, eadem natura non maneret. Ergo illa dona non erant naturalia. *Maior* ultra conceditur. *Minor* tum continet principium Patribus et universæ Scholæ indubium, nempe : *post peccatum naturalia manere integra* (2) ; tum constat evidenti ratione, essentias rerum esse immutabiles ideoque, vel una detracta ex essentialibus notis, fieri non posse, ut eadem natura maneat.

2.° Ex ipsa donorum indole probatur, gratiam sanctificantem esse *super naturam*, cetera dona *præter naturam*.

Id imprimis de *gratia sanctificante* colligitur ex eiusdem effectibus *formalibus*. Per eam enim *adoptamur in filios Dei*, ideoque *cohæredes Christi ad regnum cœleste* efficimur, quin imo consortio divinæ naturæ *deificamur* et tandem hæreditatem adepti *visione Dei intuitiva* fruemur. Atqui hæc omnia sunt dona simpliciter supernaturalia. Ergo plane est supernaturalis gratia sanctificans, quæ horum donorum ipsa sua inhæsione est causa.

---

(1) Huc referri debent aliæ damnatæ propositiones Bai, 23 : « Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret ; » 24 : « A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad pelagianismum reicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus ; » Quesnelli 35 : « Gratia Adami et sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ ». Alias propositiones dabimus infra.

(2) S. Thomas, *Sum. th.* p. 1, q. 95, a. 1 ; Dionys. *De div. n.* c. 4, n. 23.

Maior abunde constat ex testimoniis omnibus revelationis, quæ enarrari solent in tractatu de Gratia. *Minor* vel tantum ex eo constat, quod naturaliter non sumus *filii*, sed *servi;* naturâ enim sumus creaturæ, et creatura, qua creatura, rationem habet *servæ* non *filiæ;* servus autem, utut innocens, non habet ius ad adoptionem et ad bona propria filiorum, et qui est naturâ servus, naturâ caret hoc iure. Ergo creatura quævis intelligens, utut innocens, et naturâ excellens, eo ipso quod est creatura, nequit ex naturali iure exigere filiationem illaque bona, quæ cum ea sunt conserta: igitur filiatio adoptiva primo homini, sicut cuique creaturæ intelligenti, fuit simpliciter supernaturalis (1). Hinc Patres sæpe inculcant, nos *non natura* sed *gratia* esse Dei filios. Cuius rei non aliam rationem affert Athanasius quam modo allatam, dicens: *Deus non solum eos homines creavit, sed et filios dixit, tanquam si illos genuisset..... Est autem Dei benevolentia, quod quorum est conditor, horum postea per gratiam Patrem se faciat, quod tum contigit, quum creati homines, ut ait Apostolus, Spiritum Filii eius, clamantem Abba, Pater, in suis cordibus suscipiunt... Nec enim alio modo possunt filii fieri, quum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum eius, qui est naturalis et verus Filius, acceperint* (2). Idem proinde dicito de aliis donis adoptionem consequentibus: idem de *iure hæreditatis ad regnum*, cum nullæ res magis distent, quam servum esse et ius habere regnandi simul cum Rege et Domino; idem *de deificatione*, quæ aliud esse nequit quam participatio eorum bonorum, quæ *Dei sunt propria*, quæ autem propria Dei sunt, nulli creaturæ naturalia esse possunt; idem de *visione intuitiva Dei*, quæ tum ex verbo revelationis, tum ab ipsa ratione bene consulta evincitur esse supra vires cuiuscumque creati intellectus, uti suo loco demonstratur.

Iam *alia* quoque *bona*, videlicet integritas, scientia et immunitas ab ærumnis et morte, eius sunt indolis, ut dici debeant saltem *præter naturam* hominis, proindeque indebita.

Et re quidem vera, *a)* naturale est homini intellectu et sensu

---

(1) Implicat dicere, quod aliquis sit *naturaliter* filius *adoptivus*. Vel enim inter homines, adoptio exigentiâ naturæ non fit, sed voluntate et libera electione adoptantis.

(2) Or. 2. *cont. Arianos* n. 59. Cfr. Cyrillus Alex. *Thesaur.* assert. 5 et 13, ubi aperte dicit, quod omnis creatura serva est quia creata, eamque tanquam servam opponit Filio Dei naturali docetque per adoptionem illi communicari ea, quæ huic soli per naturam conveniunt.

constare, proindeque naturale est hinc appetitu sensitivo ferri in quodvis bonum sensibile, quod ei ut delectabile repræsentetur a sensu: illinc vero ratione ferri ad bona rationali suæ naturæ maxime convenientia, et proinde retrahi a pluribus bonis sensibilibus, quæ sive quoad modum sive quoad rem, bonum rationabile et honestum homini impediant. Exinde naturaliter ille exoritur conflictus, quo caro concupiscit adversus spiritum et in quo propter unitatem subiecti naturaliter evenit, ut quod appetitui sensitivo placet, alliciat quoque voluntatem ad id prosequendum, licet a ratione reprobetur. Concupiscentiam ideo ad luctam habere, sive habitualem sive actualem, est per se naturale homini, licet sit negative innocens, idest absque peccato (1). Quod de concupiscentia *b)* idem dicatur de aliis in nobis defectibus. Ex ipsis enim elementis, quibus natura hominis constituitur, una cum concupiscentia connaturaliter exoritur etiam difficultas discendi proindeque ignorantia, et corporis dolor et tandem dissolutio, iuxta illud (Gen. III, 19): *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris;* quibus sane exhibetur mors ut naturalis sequela ipsius humanæ originis et conditionis.

3.° Hanc veritatem docent Patres quoties vel illa dona non *naturæ* sed *gratiæ* adscribunt, vel affirmant, hominem peccando gratiæ veste fuisse nudatum gratuitisque spoliatum. Speciatim ad integritatem quod attinet, hæc dicit inter alios Augustinus: *Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat?* Gratia *quippe Dei* magna *ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem* (quam pro sua natura habere debuisset) *non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operire deberet* (2). Universim vero gratuitatem eorum omnium, quæ a protoparentibus amissa sunt, enunciat Athanasius dicens quod: *Præcepti transgressio illos ad* propriæ

(1) Concupiscentia, ut patet, sumitur hic non prouti dicit simpliciter *tendentiam in bonum sensibile*, quia ita accepta est debita perfectio compositæ naturæ hominis; sed concupiscentia sumitur prouti est *tendentia in sensibile reluctando rationi*, eaque dicitur *habitualis*, si accipitur tanquam *dispositio* appetendi sensibile contra rationem; dicitur *actualis*, si accipitur pro ipsis motibus in bonum sensibile illicitum prævenientibus imperium voluntatis eique resistentibus. Concupiscentia sic sumpta est quidem *malum* quoddam, sed potius *physicum*, quam morale, consequens nempe limitationem nostræ naturæ.

(2) *Contra Iulianum* l. IV, c. ult. n. 82.

naturæ conditionem *revocavit* (1). Ergo quæ antea ab illis habebantur dona, omnia erant supra vel saltem præter eorum naturæ conditionem.

COROLLARIA.

Possibilis est status naturæ puræ.

236. ***Declaratio.*** — *Pura natura* in homine dicitur, quæ habet *omnia* et ea *solum*, quæ continentur *ideâ hominis*, sed non tantum in ordine *metaphysico* considerati, verum etiam in ordine *physico*, *ethico* et *finali*. Proindeque ut homo sit in statu naturæ puræ, *a) negative* nil habeat sive boni sive mali, quod sit supra vel præter naturam, neque ideo peccatum habere debet, neque gratiam sanctificantem et dona inde consequentia fidei, caritatis, destinationis ad visionem beatificam, neque immunitatem a concupiscentia, ignorantiâ, doloribus et morte; attamen *b) positive* habere debet omnia, quæ *necessaria* sunt, ut homo non solum vitam *physicam* degere possit, sed etiam *moralem* et ita consequi possit eam beatitudinem *naturalem*, quæ eius exigentiæ et desiderio vere naturali *undequaque* conveniat; proindeque omnia habere debet, quæ ad id requiruntur, sive scilicet sufficientem potentiam cognoscendi legem moralem eamque servandi, sive alia quæcumque *naturalia* media *vere* et *relative sufficientia* ad finem.

Demonstratio. — Hisce positis, præstituta veritas duo continet: 1° Deus potuisset creare hominem absque gratia sanctificante itemque absque integritate, excellentiore scientia, immortalitate aliisque donis gratuitis quibuscumque. Ratio continetur in superius dictis, quia ea dona sunt vel supra vel præter naturam seu indebita, et Deus nulla lege *optimismi* tenetur ad conferendum cuique creaturæ id, quod est supra vel præter exigentiam eiusdem naturæ. Neque porro tenetur ex *absoluta exigentia naturæ*, neque ex *aliqua decentiæ ratione* (2). — Verum

(1) *De Incarn.* n. 4.

(2) In Deo quod *dedeceret* sapientiam et bonitatem eius, iam est *absolute* etiam *impossibile*. Ad rem S. Thomas: « In nobis, in quibus potentia et essentia aliud est a voluntate et intellectu, et iterum intellectus aliud a sapientia et voluntas a iustitia, potest esse aliquid in potentia, quod non potest esse in voluntate iusta, vel intellectu sapiente. Sed in Deo est idem potentia et essentia, et voluntas et intellectus, et sapientia et iustitia. Unde nihil potest esse in potentia divina quod

2° debuisset Deus homini sic constituto conferre ea omnia, quæ *necessaria* fuissent ad vitam sive *physicam* sive *moralem* agendam et ad beatitudinem suam *naturalem* consequendam. Ratio est, quia repugnaret sapientiæ et bonitati divinæ, creaturam aliquam constituere in statu veræ impossibilitatis vivendi secundum suam naturam et assequendi finem, ad quem creata esset. Exinde intelligitur, quo sensu *Deus potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur,* sicuti catholici tenere debent ex damnata propositione 55ª Baiana: « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur ». Scilicet hoc accipi debet, quatenus Deus potuisset creare hominem absque donis omnibus gratuitis, sicut iis caret quicumque ex Adamo nunc nascitur. Attamen subintelligimus, quod si homo constitutus fuisset absque destinatione supernaturali et in puris naturalibus, etiam ordo providentiæ erga ipsum diversus fuisset ab eo, qui modo viget. Videlicet ordo providentiæ talis fuisset, in quo homini sic constituto alia præsto essent naturalia auxilia, quibus adimpletio legis naturalis et assecutio finis respondentis forent tunc viribus etiam pure naturalibus vere et relative possibiles, quæ nunc, absque auxilio supernaturali, sunt moraliter impossibiles (1).

A difficultatibus præcavetur.

Hinc et facilius patet, quæ dari possit responsio variis difficultatibus, quæ contra possibilitatem naturæ puræ, concupiscentia præsertim ad luctam manente, moveri solent. Videlicet respondere possumus: 1) Deum, quia non tenetur ad optimum, ideo nec teneri ad *omnes* tollendos *defectus,* qui sponte consequuntur naturam creatam. Tunc solum 2) teneretur, cum ii defectus *necessario* impedirent finis naturalis consecutionem, et Deus ad eos superandos *nulla* suppeditaret naturalia auxilia: horum autem nihil affirmare licet. Nominatim 3) si *concupiscentia* vocatur a Patribus *vitium* et *peccatum,* ratio est, non quia sit peccatum in se, sed quia est defectus, consequens quidem humanam naturam, sed ad peccatum inclinans, et præsertim

---

non possit esse in voluntate iusta ipsius, et in intellectu sapiente eius (p. I, q. 25, a. 5, ad 1) ». Unde e converso quod nequit esse in divina sapientia et bonitate, nequit pariter esse in divina iustitia et potentia.

(1) Franzelin *De Tradit. Append.* c. 3, § 3. Ea naturalia auxilia nunc hominibus desunt, quia in ordine præsenti providentiæ pro illis auxiliis abunde supplent revelatio et supernaturalis gratia.

quia Patres loquuntur de ordine *præsenti* et *historico*, in quo ea concupiscentia est *fructus peccati* et *rebellio*, quæ iuxta primitivam et gratuitam Dei institutionem abesse debebat. Accedit quod per causas *speciales et individuales* tantâ vehementiâ nunc concupiscentia quandoque trahit, qua nunquam in statu naturæ puræ, ubi causæ illæ abfuissent (1).

Thesis XXXIV. — *Primi parentes, mandatum divinum violando, graviter peccarunt: et inde Adæ peccatum, quod est mors animæ, in omnes homines transfunditur.*

237. ***Declaratio.*** — Thesis proponit *dogma* christianæ religionis *fundamentale*, quod duobus continetur, tum facto historico tristissimi protoparentum *lapsus*, tum veritate *transfusionis* peccati Adæ in omnes eius posteros. Qua in re sedulo distingui debet actualis Adæ transgressio ab eius peccato habituali, quod post transgressionem permansit naturamque humanam in protoparente infecit. Quod posteris transfusum fuit, non est illud peccatum actuale, quod fuit personale protoparentum, sed est alterum habituale ab actuali proveniens quodque *originale* dicitur, quia contrahitur in ipsa origine et ratione ipsius originis ab Adamo. Hoc vero ipsum peccatum habituale, quatenus post transgressionem in Adamo fuit, solet interdum dici *peccatum originale originans;* quatenus vero transfunditur in posteros et in iis est, nominatur aliquando *peccatum originale originatum*, sed plerumque tum in Adamo tum in posteris dicitur simpliciter *peccatum originale*. Est autem illud in Adæ posteris *verum* peccatum, non prouti sit mors aut pœna corporis, sed prouti est *mors animæ*. Eius tamen distincte *naturam* et *modum* transfusionis inferius illustrabimus.

Pelagiani omnium primi tum propagationem tum factum originalis noxæ adorti sunt: eosque deinde imitati sunt neoterici biblici, rationalistæ, recentioresque protestantes. Contra,

(1) Fateri debemus nunc in pluribus individuis concupiscentiam aliquando *vehementiorem* esse, quam quæ conveniret in statu naturæ puræ. Verum huius specialis vehementiæ facile est invenire causas, non in peccato originali omnibus hominibus communi, sed potius in aliquibus adiunctis illorum individuorum propriis, et præsertim in peccatis actualibus et vitiis sive parentum sive filiorum ipsorum.

utraque veritas, de gravi *transgressione* divini mandati per Adam peracta et de *transmissione* originalis peccati in omnes homines, *de fide* est, idque imprimis ex apertissima professione in Ecclesia, prouti multipliciter in vivo et sub vivo magisterio se prodit, deinde ex expressis definitionibus præsertim concilii Tridentini, tota sess. V, in qua, canone 2°, hæc statuuntur: « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ; a. s. ».

238. ***Prima pars.*** — *Primi parentes, mandatum divinum violando, graviter peccarunt.*

Certum est 1°, Deum protoparentibus præceptum tradidisse servandum, illudque deinde protoparentes esse transgressos.

Utrumque manifestum est ex cap. II Geneseos, ubi lex fertur: *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas,* adiecta sanctione, quod secus *morte morieris;* dein ex toto c. III, ubi tristis historia lapsus enarratur. Neque narratio hæc censeri potest mythus, vel allegoria, vel Evæ somnium; talis enim interpretatio adversatur sensui obvio textus sacri et sensui totius antiquitatis, eâque interpretatione semel admissa, nil erit in divinis literis, quod non possit simili interpretandi fraude negari. Ceterum literali interpretationi non obstat quod serpens *verus*, unum ex animantibus terræ, sit loquutus; quia res explicatur ex eo quod *a dæmone agebatur,* sicuti abunde constat tum ex innumeris locis parallelis Scripturarum, tum ex aperta sententia Patrum (1).

Certum est 2°, peccatum Adami, licet materies videatur levis, plane fuisse *gravitate* summum.

Eam Augustinus ex triplici capite desumit: *a)* ex *facilitate* qua divinum præceptum servari potuisset (2); *b)* ex *ingratitudine* erga Deum iubentem, a quo tot beneficiis homo fuerat cumulatus (3); *c)* ex cognitione, quam protoparentes habebant

(1) Aug., *De Gen. ad Litt.* l. 11, c. 2; cfr. Bellarm. *De amiss. grat. et stat. pecc.* l. III. c. 3.

(2) *De Civitate Dei* l. XIV, c. 12 et 15, n. 1.

(3) Ibid. c. 15; l. XXI, c. 12.

sequuturæ *læsionis totius generis humani* (1). — Quibus rationibus addi possunt aliæ, uti *solemnitas*, qua præceptum impositum fuerat Adamo tanquam Capiti totius generis humani; *comminatio* pœnæ tam gravis, qualis est mors sive corporis sive præsertim animæ; item *scopus*, qui erat ut Adamus observando præceptum huiusmodi, in quo nulla intrinseca ratio mali sed sola voluntas præcipientis attendi debebat, suam Deo subiectionem et obedientiam plenius ostenderet (2). Sed quam grave peccatum hoc existimaverit Is, qui non potest falli, apparet *granditate supplicii* (3), quo revera peccatum in ipsis protoparentibus et in omnibus posteris punitum fuit. Supplicium enim fuit, quod homines *felici statu exciderunt*, in quo conditi erant, iram indignationemque Dei incurrerunt, originalem iustitiam et sanctitatem amiserunt, in mortem et in ipsius diaboli potestatem inciderunt, et licet naturalia illæsa conservaverint, attamen secundum corpus et animam in deterius commutati sunt ob sublatam perfectionem illam et harmoniam, quæ ex gratia aliisque donis gratuitis etiam in natura sequebantur (4). Subita divinæ comminationis exsecutio ita Gen. III, 23 et seq. enarratur: *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et inferius c. v. 5: *Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, et mortuus est.*

239. ***Secunda pars.*** — *Adæ peccatum in omnes homines transfunditur.*

Probatur ex triplici capite: 1° ex doctrina Pauli ad Rom. v, 12 et seqq.; 2° ex baptismi necessitate; 3° ex traditione.

Demonstratur I. *ex doctrina S. Pauli.*

Textus ille classicus Pauli sic integer jacet: (12) *Propterea sicut per unum hominem peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et* (sicut) *ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* (ἐφ' ᾧ) *omnes peccaverunt:* — (13) *usque ad legem enim peccatum* (ἁμαρτία) *erat in mundo, peccatum* (ἁμαρτία) *autem non imputabatur, cum lex non esset:* — (14) *sed regnavit*

(1) Ibid. l. XXI, c. 12.
(2) S. Thomas, Opusc. 2, c. 118; Suarez, *De oper. sex dier.* l. III, c. 21, n. 9.
(3) Aug. l. VI, *operis imperfecti.*
(4) Cf. Conc. Trid. Sess. 5, can. 1; vide supra.

mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri ;... (18) *igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* — (19) *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi.*

Prænota. — Jam probationi inde derivandæ præmittamus observationes quasdam exegeticas. *Syntaxis* totius periodi est hæc: in v. 12 habetur unum membrum comparationis instituendæ inter Adamum et Christum; deinde Paulus, v. 13 et 14, per incidens tacitæ occurrit obiectioni; ad alterum vero comparationis membrum redit primo quidem *implicite* in illo inciso, *qui* (Adamus) *est forma futuri* (seu Christi novi Adami), et post aliqua etiam *explicite* in v. 18 et 19, in quibus, conclusionis instar rursus repetit primum comparationis membrum. Hinc comparatio integra huc redit: sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors; ita per alterum unum hominem justitia intravit in mundum et per iustitiam vita. — Quod autem spectat *sensum* verborum, quæ hic occurrunt, advertendum est, primo *peccatum* accipi proprie, nam accipitur ut est ratio et causa pœnæ; verum non idem peccatum v. 12 designari ac quod v. 13, uti apparet etiam ex articulo illic adjecto, hic omisso; deinde *mundi* voce intelligi homines *omnes*, ut ex inciso mox sequenti patet; *mortis* vero nomine non designari exclusive mortem spiritualem, sed *mortem* præsertim *corporis*, prouti constat ex v. 14 et ex aliis locis parallelis; demun verba ἐφ' ᾧ, quæ vulgata vertit *in quo* (scil. *Adamo*), integro manente dogmate, reddi posse, sicuti recentiores vellent *eo quod*, seu *quatenus*, *quia*.

Argumenta instituuntur. — *Primum* ex v. 12 sic procedit: Ex verbis Pauli tantum patet peccatum, quantum mors, dicit enim mortem intrasse in mundum per peccatum, et ita omnes mori, *eo quod* omnes peccaverunt. Atqui omnes omnino homines, etiam infantes, moriuntur; ergo omnes omnino homines, etiam infantes, peccarunt; sed non omnes, saltem infantes, peccato proprio, actuali et imitationis. Ergo omnes peccaverunt in Adamo (*in quo* omnes peccaverunt), cuius ideo peccatum in omnes generationes pertransiit, sicuti in omnes petransiit moriendi necessitas.

Aliud argumentum desumitur ex v. 13 et 14, ubi Paulus tacitæ occurrit obiectioni: non sequi universalitatem peccati originalis ex universalitate mortis, quia mors repeti potest ex peccatis hominum actualibus, quæ numquam in mundo defuerunt. Ex iis quæ respondet Apostolus, ita argumentamur: mors in omnes homines regnat ut sequela peccati: *per peccatum mors.* Sed ea non regnat ut sequela et pœna peccati actualis, quia mors regnavit etiam ante Moysen, *cum lex non esset* quâ peccatum imputaretur ad hanc determinatam pœnam mortis, et quia regnavit *etiam in eos, qui* actualiter *non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Ergo mors regnat ut sequela et pœna alicuius peccati omnibus *communis*, quo scilicet inficiuntur omnes homines, eo ipso quod ex primo homine homines nascuntur.

Tertium argumentum ex v. 18 et 19 confirmat peccatum hoc, ab Adamo in omnes transfusum, esse veri nominis et *formaliter* peccatum, hoc modo: Teste Apostolo, ita homines constituuntur Adami inobedientiâ peccatores, sicut Christi obedientiâ iusti. Atqui homines merito et obedientiâ Christi constituuntur iusti vere intrinsecus, formali iustitia unicuique propriâ. Ergo per peccatum et inobedientiam Adæ homines constituuntur peccatores vere et intrinsecus, *formali* peccató unicuique proprio.

Huic principi loco, prouti comparatur universalitas peccati et damnationis per Adamum cum universalitate iustitiæ et salvationis per Christum, conferri possunt ea effata omnia, quibus Christus exhibetur *omnium* redemptor, reconciliator, mediator, pro *omnibus* mortuus, quia omnes mortui sunt, *agnus qui tollit peccatum mundi,* etc. (1).

Demonstratur II. *ex Baptismi necessitate.*

Est enim dogma catholicum, baptismum esse omnibus etiam infantibus, *necessarium* et quidem necessarium esse *in remissionem peccatorum;* quemadmodum profitemurin symbolo: *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Atqui remissio peccatorum ea est, qua peccatum admissum deletur, non qua futurum, ne admittatur, cavetur. Ergo baptismum in omnibus, etiam in parvulis, supponit aliquod peccatum sacramentali ablutione delendum, quod cum in parvulis esse nequeat peccatum actuale personæ, remanet sit peccatum originale naturæ.

(1) Cf. *Rom.* c. V, 6; I^a *Tim.* II, 4; II^a *Cor.* V, 14; Ioan. I, 29.

Illatio hæc confirmatur ex exorcismis, qui in baptismo quoque infantium ab antiquissimis temporibus adhibentur. « Quid de parvulo, ait Augustinus, agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur (1)? » Confirmatur disertius sententiâ concilii Milevitani II can. 2: « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit ». Et post allata verba Pauli (Rom. v, 12), Synodus concludit: « Propter hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissione veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt ».

Demonstratur III. *ex Traditione.*

Eadem veritas manifestissimâ traditione continetur; cuius testes longa serie profert Augustinus contra Iulianum l. 1 et 2, ubi, eorum testimoniis recitatis, ait: *Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati, et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius* (nanzianz.), *Innocentius, Ioannes* (Chrysostomus), *Basilius, quibus addo presbyterum, nolis velis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de* omnium hominum peccato originali obnoxia successione *sententiam* (2).

Non diffitemur, sicut aliquando de aliis dogmatibus catholicis, ita quoque de peccato originali testimonia aliqua obscuriora inveniri in scriptis veterum nonnullorum Patrum, præsertim ex græcis. Sed id meminisse sufficiat, quod Augustinus respondit Iuliano provocanti ad Chrysostomum dicentem: « Ideo et infantes baptizamus, quamvis *peccata non habentes* ». S. Doctor respondit: *Intellige « propria », et nulla contentio est. At inquies, cur non ipse addidit « propria »? Cur, putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur* (3). Si quæ itaque difficiliora in

(1) *De Nupt. et concup.* l. II, c. 18.
(2) *C. Iulian.* l. II, c. 10, n. 33.
(3) *Contra Iulian.* I. I, c. 6, n. 22, in fine.

aliquibus Patribus occurrunt, hæc meminisse iuvabit: disputantes in Ecclesia catholica, *se intelligi arbitrabantur*; ergo ad doctrinam aliunde certam universæ Ecclesiæ eorum dicta exigamus: nullis litigantibus, *securius* loquebantur; ergo contenti simus *dogmatis substantiâ*, etsi *modus illud proponendi* minus aptus occurrat.

Dices 1°. — Apud Ezechiel. XVIII, 20 legitur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris.* — R. Hic textus refertur ad peccata personalia parentum et sensus est: filius innocens non feret pœnas debitas peccato patris. At peccatum originale *inest unicuique proprium;* omnes Adæ posteri *participes* fuerunt peccati eius, quum Adam, constitutus a Deo caput iuridicum et procurator totius generis humani, non egit tantum proprio nomine. Ergo filii Adæ proprie loquendo non portant iniquitatem patris, sed propriam.

Dices 2°. — *(cum Zwinglio, Calvino, Bucero)* Apostolus 1 Cor. VII, 14 ait: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et... alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo filii saltem fidelium peccatum originale non contrahunt. — R. Non dicuntur sancti filii fidelium sanctitate *formali* et propria, sed quatenus præparantur ad veram sanctitatem et facile possunt Baptismum recipere.

Dices 3°. — Dicitur in S. Paulo, *Rom.* V, 19: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Non *omnes* igitur incurrunt peccatum. — R. *Multi* ibi valet *omnes*, nam v. 12 habet: « *Omnes* peccaverunt » et v. 18: « In *omnes* homines in condemnationem ». Unde S. Augustinus (l. VI *Contra Iulian.* c. 26) ait: « Se dixisse omnes et multos, ut ostenderet omnes esse multos: non enim semper omnes sunt multi, seu magno numero: sic omnes Evangelistæ non sunt multi ».

Dices 4°. — Eodem loco, *Rom.* V, 15, declaratur gratiam redemptionis in *plures* abundasse quam delictum. Atqui hoc non esset verum, si peccatum Adæ transfunderetur propagatione ideoque in omnes omnino. — R. 1° ex Origene (in h. l.): « Sic plures Christus reducit ad vitam, quam Adam ad mortem, quia etiam ipsum Adam (possent addi Heva et B. V. Maria), qui ceteris exstitit causa mortis, Christus revocavit ad vitam ». 2° In textu originali græco non invenitur vox *plures,* sed vox multos, τούς πολλούς: idem habet versio Syriaca et Aethiopica. Unde comparatio instituitur non inter numerum et numerum, sed inter damnum et donum, et sensus resultat: *Multo maius abundavit,* non in magis multos, idest non in plures (S. August.).

Dices 5°. — Apostolus comparationem instituit inter Christum et Adamum. Sed non omnes accipiunt iustitiam Christi. — R. Omnes, *quoad sufficientiam,* iustificantur per Christum, qui vere *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (*Tim.* II, 6). Insuper stat hæc comparatio: sicut *omnes* qui ab Adamo generantur, constituuntur peccatores, sic *omnes* qui regenerantur per Christum, iusti constituuntur.

SCHOLION I.

De peccati originalis natura.

240. *Peccatum originale non consistit in forma quadam substantiali mala, seu in eo quod anima ipsa sit substantialiter corrupta.*

Hic error fuit Flacci Illyrici, rigidi luterani, cuius asseclæ dicti sunt *substantialistæ*. Porro sana ratio dictat, peccatum, utpote malum morale, non in aliqua positiva re, sive ea substantia sit sive qualitas, sed in privatione alicuius boni quod deberet adesse ponendum esse pariterque substantias, qua tales, omnes bonas esse. Divina autem revelatio docet hominem etiam nondum iustificatum actiones bonas peragere posse, illamque sententiam de substantia hominis undequaque mala et corrupta ut hæresim damnat.

241. *Peccatum originale neque consistit metonymice in effectu pœnaque peccati.*

Error fuit Zwinglii et refellitur argumentis supra adductis, quæ ostendunt, non solum miserias transiisse in Adami posteros, sed etiam peccatum *formaliter* qua tale, vi cuius omnes *constituuntur peccatores* (Rom. v, 19), quodque *deletur* baptismo: pœnæ autem et sequelæ peccati non sunt id, quo quis formaliter constituitur peccator, neque id quod baptismo deletur.

242. *Peccatum originale neque consistit in concupiscentia.*

Ita erravit Lutherus, qui et docuit concupiscentiam hanc, licet etiam in generatis maneat adhuc ut verum peccatum, credentibus tamen non imputari. Sed baptismo peccatum ipsum originis aufertur, deletur, lavatur; dum econtra *concupiscentia* baptismo non tollitur. Præterea concupiscentia, quamdiu desit *consensus*, nullo modo dici potest *veri nominis* peccatum, et inde ea *peccati nomen accipit*, ut ait Augustinus, *quod ei consentire peccatum sit* (1). Hunc errorem renovavit Hermesius qui posuit peccatum originale in dispositione et pronitate ad futuram inordinatam concupiscentiam seu ad futurum actuale peccatum, quæ dispositio Adæ posteris ante iustificationem peccatum vertatur. Ad eunde merrorem accedit sententia eorum qui peccatum originale reponunt in aliqua contagione vel corruptione carnis aut sensitivæ partis, quæcumque demum illa sit. Porro peccatum ex natura sua sistere debet non in carne aut in sensu, sed in ipsa anima rationali (2).

---

(1) *De perf. iust.* n. 44.

(2) Peccatum originale consistere in aliqua corporis aut animalitatis infectione et contagione dupliciter intelligi potest, vel *causaliter*, quatenus caro infecta animam peccato inficiat, vel *formaliter*, quatenus ista corporis infectio sit ipsa formalis

243. *Peccatum originale non consistit in ipso actuali Adæ peccato posteris extrinsecus tantum imputato.*

Hæc erat opinio, quæ Alberto Pighio et Ambrogio Catharino ante conc. Tridentinum scribentibus condonari potest; sed quæ omnino aliena est a fide. Nam conc. Tridentinum expresse statuit: *Adæ peccatum, quod origine unum est et propagatione non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium* (1). Ergo non portant posteri peccatum Adæ sed suum; illud fuit causa, istud effectus. Insuper illâ opinione homines ab origine non *vere constituerentur,* sed tantum *denominarentur* peccatores.

244. *Formalis ratio peccati originalis in omnibus Adæ posteris continetur in privatione gratiæ sanctificantis, ex peccato actuali protoparentis inducta.*

Tria notanda: *a) status absque gratia sanctificante* eorum omnium, qui ex Adamo naturaliter progignuntur; *b)* id non meram esse carentiam, sed veram *privationem,* quatenus, ex prima Dei voluntate naturam humanam elevante, gratia sanctificans inesse debebat omnibus ex Adamo

---

et proprie dicta ratio peccati. In primo sensu sententia est contra communem sensum Doctorum, qui cum Bellarmino (*) docent intelligi non posse quomodo caro, quæ corpus est, et peccati incapax, animam inficiat, quæ spiritus est, inficiatque contagione peccati; et est etiam contra catholicam doctrinam, quæ tenet post peccatum naturam hominis in iis, quæ pure naturalia sunt, adhuc mansisse. In altero sensu ea sententia absurdum inducit, quod corpus per se sit capax peccati proprie dicti, et ad doctrinam lutheranam accedit, quod peccatum originale in concupiscentia consistat.

Iamvero in hoc altero sensu iuxta Auctoris doctrinam intelligi debent in Decreto *P. O.* pr. 33ª et 34ª et præsertim 35ª. Prima enim docet dæmones, una cum fructu, quem protoparentes ederunt, hominis animalitatem ingressos, libere de eo atque pro lubitu disponere. Altera pr. fingit B. Virginem a labe originis ideo fuisse præservatam, quia vel aliquod minimum semen a dæmone forte neglectum per omnes generationes transierit incorruptum. Ergo peccatum originale in aliqua corruptione carnis et animalitatis reponitur, qua nec proprie pars intellectiva infici potest, quæ in doctrina Auctoris est ipsum esse ideale, divinum prorsus et incorruptibile. Tertia pr. vero expressius dicit, quædam peccata scilicet non libera, uti est mala naturalis voluntas, quæ baptismo non destruitur, non vere remitti, sed solum tegi et non imputari. Constat autem ex doctrina Auctoris hanc malam voluntatem, post baptisma manentem, esse concupiscentiam, in qua proprie peccatum originis consisteret *(Risp. al finto Eusebio n. XCVI).* Est itaque duplex error, qui hic continetur vel supponitur: peccatum originale consistere in concupiscentia, et per baptisma non tolli totum id, quod rationem peccati habet. (Conc. Trid. Sess. V, *Decr. de pecc. orig.* can. 5.).

(1) Sess. V. can. 3.

(*) L. IV. *De amiss. gratiæ et statu pecc.* c. 12.

progenitis; *c)* privationem hanc rationem culpæ habere non per se, sed unice *ex relatione* et dependentia a voluntate Adami, qui per peccatum libere omnino commissum sibi et posteris causa fuit meritoria huius privationis.

Demonstratio prima. — Res demonstratur primo ex natura cuiusque generatim peccati. Quia enim peccatum originale rationem habet veri peccati, ideo non alia esse potest eius natura, quam ea peccati. Iam age peccatum vel est *actuale* vel *habituale*. Peccatum actuale est ipsa actio peccaminosa, seu ipse *liber actus aversionis a Deo*. Ex actu autem huiusmodi consequitur *status perseverans aversionis a Deo ultimo fine sub displicentia et improbatione Dei*, qui status est peccatum habituale. Cum autem in præsenti ordine elevationis Deus, per gratiam sanctificantem, constituerit homines in statu filiorum adoptionis ordinatos ad se intuitive fruendum, tanquam ad finem supernaturalem; hinc culpam actualem consequitur *privatio gratiæ adoptionis*, quæ privatio *permanens, in sua connexione cum culpa actuali*, est ipse status aversionis a Deo fine supernaturali, seu est peccatum habituale quod proinde definiri potest: *Privatio permanens gratiæ sanctificantis, a peccato actuali inducta.*

Modo applicemus has notiones peccato originali, et in primis illud considerando in Adamo. Actum peccati libere ipse posuit violando mandatum Dei, et inde inductum fuit in eo peccatum habituale, seu status ille perseverans aversionis a Deo fine supernaturali, seu privatio illa permanens gratiæ sanctificantis. Iamvero ex duobus hisce peccatis illud, quod Adamus transmisit posteris non fuit sane peccatum *actuale*, quod ipsa transgressione legis transiit, sed alterum *habituale*, quod ideo, sicut in Adamo, ita et in eius posteris formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis. Cum hac tamen differentia, quod *imputabilitas* huius privationis in Adamo oriebatur a proprio libero actu personali, dum econtra in posteris Adami non ex libero actu singulorum dependet, sed a libero peccati actu ipsius primi parentis (1). Quomodo vero ea privatio nobis imputari possit ad peccatum, cum non nostrâ sed voluntate Adæ inducta fuerit, in hoc latet huius dogmatis difficultas et *mysterium*. Ad quod tamen illustrandum, peccatum originale intelligi debet non *personale*, sed potius peccatum *naturæ*, illius scilicet humanæ naturæ, quæ ab Adamo, prouti eum Deus statuerat totius humani generis *Caput morale*, iuridice repræsentata Dei offensam tota incurrit (2).

---

(1) Peccatum originale, quoniam est verum peccatum, ideo vere *voluntarium* dici debet. At vero, quum sit peccatum non *personale* sed *naturae*, hinc voluntarium est non *immediate* et *absolute* ex voluntate propria et personali cuiusque parvuli, sed voluntarium est *mediate* et *relative*, ex voluntate Capitis naturæ i. e. primi hominis. Cfr. S. Thomas in l. II, *Sent.*, dist. 30, q. 1, a. 2.

(2) S. Thomas, I, 2, q. 81, a. 1.

Demonstratio secunda. — Deinde enarratam sententiam de natura peccati originalis vere esse catholicam, apparet *a) ex baptismi effectu*, qui ex concilio Tridentino (sess. vi, c. 7) est delere peccatum originale per gratiam, quæ confertur, restituta stola innocentiæ, quam Adam sua inobœdientiâ sibi et nobis perdidit; *b)* ex *diserta* ipsius concilii Tridentini *doctrina*, quod peccatum ex Adamo transfusum *sit mors animæ*; anima autem dicitur mori privatione gratiæ sanctificantis; *c)* ex *consensu* et *auctoritate* totius Scholæ, cuius princeps S. Thomas ait: *Privatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originis; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali ut quid materiale* (1).

245. *Ex dictis explicatur quoque transfusio peccati originalis.*

Cum enim consistat in privatione gratiæ sanctificantis, quam natura humana in protoparente veluti in suo stipite et radice existens amisit; hinc natura humana, *hoc privata dono*, generatione communicatur ac proinde eo ipso maculâ ab origine est infecta. Neque obstat, quod anima *immediate* a Deo creatur. Respondet enim S. Thomas: *Sic peccatum originale est in anima, in quantum pertinet ad naturam humanam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectionem incurrit, quod* (anima) *fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet* (2). Quod si parentes iusti non amplius transmittunt iustitiam vi generationis in filios, ideo est quia in statu naturæ reparatæ iustitia non est amplius *donum naturæ*, sed *personæ*; ea autem, quæ generatione a patre filio communicantur, sunt quæ naturam, non quæ formaliter personam spectant.

246. *Propagatio peccati originalis divinæ bonitati nullatenus repugnat.*

Hæc maxima et perpetua obiectio rationalistarum (3) sponte sua corruit, si notio sincera peccati originalis retineatur. Ex hac enim constat, propter peccatum originale homines privari bonis tantum *indebitis*, non vero bonis naturalibus; in hoc autem nihil invenitur benignitati Dei repugnans. Rem theologi illustrant exemplo principis, qui subditum et in eo posteros eius honoribus omnibus gratuito ei collatis privaret ob grave aliquod crimen, quod ipse in principem commisisset (4). Diversitas est tamen, quod in ipsis posteris Adæ pro-

(1) *Sum. th.* q. 1, 2, q. 82, a. 3.
(2) *De potentia* q. 3, a. 9 ad 3.
(3) Vegscheider, *Instit. theol. chr. dogm.* § 117.
(4) S. Thom. *Comp. theol.* c. 195.

pria ratio peccati una cum pœnalitatibus invenitur; dum in posteris illius subditi infidelis pœnalitates sine peccato invenirentur.

SCHOLION II.

De peccati originalis sequelis.

247. *Homo per originis peccatum nullum amisit bonum naturale.* Id tenendum est cum Ecclesia contra LUTHERANOS, BAIANOS, IANSENIANOS et affines. Nominatim hominem non amisisse liberum arbitrium, est de fide ex conc. TRIDENTINO sess. VI, can. 5.

248. *Homo spoliatus fuit gratuitis omnibus.*

Imprimis homo, amissa gratia sanctificante, cuius privatione vidimus ipsam contineri *maculam originalem*, amisit omnes effectus formales, gratiam hanc consequentes, uti sunt adoptio in filium Dei, supernaturalis venustas et similitudo cum Deo, ius ad hæreditatem cœlestem, seu ad beatitudinem supernaturalem visione beatifica comprehensam. Hinc infantes sine baptismo decedentes eâ privantur, et hæc *privatio* habet in eis rationem *damnationis*.

Exinde sequuta sunt alia damna et detrimenta in homine, qui scilicet amisit integritatem aliaque præternaturalia dona facilitatis ad scientiam acquirendam, impassibilitatis, immortalitatis; prætereaque incurrit sub ipsius seductoris seu diaboli potestate captivitatem, sicut Conc. TRIDENTINUM (1) docet et Ecclesia profitetur adhibendo ante baptismum exorcismos, et sacra Scriptura et Patres ipso nomine insinuant, quo vocant dæmonem *principem hujus mundi* (2).

249. *In ipsa natura vulnera infirmitatis sunt subsecuta ita, ut totus homo secundum corpus et animam in deterius sit commutatus.*

Id porro constat tum ex axiomate Scholæ, quod homo fuerit *vulneratus in naturalibus*, tum ex definitione tridentina, quod Adam *secundum corpus et animam in deterius commutatus fuerit*. Sed diversimode hæc naturæ vulnera accipiuntur a Theologis. — Veteres theologi in ipsa donorum præternaturalium amissione ponebant vulnerationem naturæ, et quatuor ab iis recensebantur vulnera: ignorantia, infirmitas, concupiscentia, malitia seu pronitas ad malum in ipsa voluntate sistens. Hæc dicebantur vulnera naturæ, quia dona, quæ nos præternaturalia dicimus, ea vocabantur a veteribus naturalia, eo quod

(1) Sess. V, cap. 1; Sess. VI, cap. 1.

(2) Huiusmodi sub diabolo captivitas intelligi debet non sensu *physico*, prouti insinuat pr. 33 Decreti *P. O.* (quasi sit ipsius diaboli ingressus et possessio in hominis animalitatem), sed sensu *morali*.

naturam in suo ordine perficiunt (1). — Porro cum hisce Theologis concordant recentiores illi, qui animadvertunt, in protoparentibus, quia aderat gratia sanctificans cum aliis donis præternaturalibus, ideo productam esse facultatum naturalium perfectionem maximam et miram harmoniam, hancque perfectionem provenisse quidem ex illis donis indebitis ipsamque proinde fuisse *secundum modum* indebitam, attamen, *ontologice* talem, ut per eam natura intra ipsos limites ordinis naturalis perficeretur. Comparate ergo ad hanc primitivam perfectionem, per se naturalem sed modo supernaturali in primo homine inductam, homines, qui modo nascuntur ea perfectione spoliati, dicuntur in ipsis naturalibus vulnerati. Non vero ita dici possent vulnerati comparate ad statum naturæ puræ, in quo illius perfectionis vel harmoniæ carentia non esset vulnus, sed defectus naturam sibi relictam sponte sua consequens. Hinc homo lapsus ab homine in statu puræ naturæ differt sicut *spoliatus* a *nudo;* et præterea *culpa* est in homine lapso, quæ non esset in pura natura. — Contra alii Theologi contendunt, peccato originali hominem vulneratum fuisse etiam comparate ad statum naturæ puræ ita, ut factus sit *deterior* non modo ab ea perfectione naturali, quæ in Adamo tanquam effectus præternaturalis aderat, sed etiam ab ea, quæ ex sese competit naturæ humanæ, quamque homo, etiamsi in puris naturalibus constitutus, habere *debuisset.* Ideoque isti distinguunt hominem lapsum ab homine naturæ puræ sicut *ægrotum* a *sano.*

Jam ex hisce sententiis prima facilius et tutius conciliatur cum doctrina Ecclesiæ: potuisse a Deo hominem creari sicut nunc nascitur (2). Concedimus tamen quod si homo constitutus fuisset in puris naturalibus, debuisset saltem *extrinsecus* in iis Providentiæ conditionibus poni, quæ cognitionem veritatis et observantiam legis ei redderent faciliorem aut moraliter saltem possibilem ad consecutionem proprii finis naturalis. Proindeque hoc sensu concedimus, hominem nunc factum esse *extrinsecus* deteriorem, etiam comparate ad statum naturæ puræ (3).

250. *Sequelæ peccati originalis rationem habent pœnæ vel pœnalitatis.*

Quæritur primo — *de ipsa gratiæ sanctificantis privatione,* utrum habeat rationem non modo culpæ, verum simul etiam pœnæ. Privatio gratiæ, quæ, prouti perseverat, est *formaliter* peccatum habituale, relate ad peccatum actuale habere potest rationem *pœnæ,* quatenus est malum, quod Deus homini infligit propter illud ipsum actuale

(1) S. Th. *Summ. th.* p. I, q. 45, a. 3.

(2) Vid. prop. 55 ex Baianis apud Denzinger, n. 935.

(3) Franzelin, App. ad tract. *De Trad. et Scrip.* c. III, § 3, n. 2.

peccatum. Cum autem peccatum actuale, unde processit gratiæ privatio, in qua consistit peccatum originale, nullum antecesserit in singulis hominibus, sed tantum fuerit in Adamo; hinc ea privatio gratiæ dici potest punitio peccati Adami, non autem peccati singulorum (1).

QUÆRITUR DEINDE — utrum *amissio donorum præternaturalium* habeat pœnæ rationem, etiam in posteris Adami. Et respondetur distinguendo gratiâ renatos ab iis, qui adhuc peccato originali obnoxii sunt. In his illa privatio plene habet rationem pœnæ, quia ex una parte ea non est culpa, ex altera est malum hominibus inflictum propter peccatum adhuc in eis omnino perseverans. Verum in renatis licet defectus illi naturales, qui remanent remissa culpa, passim nomen pœnæ retineant, tamen *proprie dictæ pœnæ,* scilicet vindicativæ peccati originalis, *non sunt;* quia *nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu* (2) et quia docet conc. FLORENTINUM per baptismum *tolli omnem culpam originalem et actualem et omnem quoque pœnam, quæ pro culpa debetur.* Quare illæ miseriæ, quæ remanent post baptismum, potius dici debent *pœnalitates* respectu peccati originalis, vel eæ ut pœnæ peccatorum actualium tolerari possunt.

QUÆRITUR DEMUM — quænam sit pœna debita peccato originali in altera vita. Et respondetur iis, qui decedunt originali peccato obnoxii, necessariam pœnam esse privationem visionis intuitivæ Dei. Ratio est, quia per peccatum originale excedit homo ab ordine supernaturali, ergo etiam a visione Dei, quæ huius ordinis finis est. Est vero sententia Patribus et Theologis communis, hanc solam pœnam peccato originali convenire, quin alia superaddatur pœna sensus. Ratio est petenda ex dictis, quia per peccatum originale nonnisi bona gratuita amissa sunt; econtra pœna sensus esset insuper privatio boni naturalis. Hæc est sententia S. THOMÆ (3), qui eam vocat communem, eaque suadetur pluribus decretis fidei ab Ecclesia propositis (4).

---

(1) FRANZELIN, *De Verbo-Incarnato,* Sec. IV, § 2 in calce.

(2) *Ad Rom.* VIII, 1.

(3) *De malo* q. 5.

(4) Conc. LUGD. II; Conc. FLORENT.; INNOC. III, L. 3 *Decret.* tit. 42, c. 3; Prop. 26 synodi Pistoriensis damnata a Pio VI, apud DENZINGER n. 1389. PIUS IX declaravit, quod Deus « pro summa sua bonitate et clementia, minime patiatur, quempiam æternis puniri suppliciis, qui voluntariæ culpæ reatum non habeat. » *Encyc. ad ep. Italiæ,* 10 aug. 1863.

FINIS VOL. II.

INDEX ANALYTICUS

(citantur numeri marginales).

A

Abælardus 137.
Adæ origo quoad corpus 205.
Adultorum salus 97.
Æternitas Dei 46, 56 — quomodo temporaria coëxistant æternitati 59.
Ævum, tempus 46.
Alvarez 87.
Angeli existunt 188 — quando creati 191 — numerus 192 — natura 193-5 — quomodo in loco 196 — cognitio 197 — locutio 198 — potentia 199 — evecti ad supernat. viatorum ordinem 219 — plures peccaverunt 220 — angelorum ordines 221 — angeli mali 222 — angeli Custodes 223 — gentibus, civitatibus, ecclesiis sui Angeli præsunt 225 — custodiæ ang. beneficia 226 — duratio 227.
Anima rationalis forma corporis 202 — dat esse corporis 203 — eius origo 209 — falsæ sententiæ 209, 211 — differentia animarum 212.
S. Anselmi argumentum ontol. 12.
Antelapsarii 98.
Antiquitas generis h. 206.
Appropriatio in divinis 168.
Argumenta omnia pro existentia Dei enumerantur 14.
Athei 9.
Attributa Dei 41, 42.
Augustinianenses 92, 94.

B

Ballerini Gius. 4, 15.
Bannez 87.
Bautain 4, 7.
Benignitas Dei 112.
Bergson 4.
Bona 63.
Bonitas summa et prima Deus est 109 — bonum diffusivum sui 138, 173.
Bonnetty 4, 7.
Bosizio 183.
Bougaud 183.
Buckland 183.

C

Calmet 184.
Carpocrates 126.
Cartesius 12.
Circuminsessio seu perichoresis 165
Clifford 183.
Coadamitæ 206.
Cochin 184.
Communitas in divinis 168.
Compte 4.
Concupiscentia 235 — peccatum orig. non consistit in concupisc. 242.
Congruistæ 65, 92.
Conservatio rerum 185.
Consubstantialis, ὁμοούσιος 135.
Cosmogonia Mosaica: præcipuæ interpretationes 183.
Creatio 170, 176 — errores 171 — Deus mundum creavit 172 — libere 173 — ad suam gloriam

175 — causa creationis: efficiens 177 — exemplaris 178 — tempus creationis 179 — data della creazione 180 — de modo et ordine 181.
Critici 4.

D

De Bonald 4.
Deus existit 14 — est ipsum esse subsistens 31, 33, 35 — est omniperfectus 34 — est præsens per essentiam 63 — est ipsa Bonitas 109 — Benignitas 112 — Sanctitas 111 — est omnipotens 117 — est omnidominans 119 — *(vide singula attributa)*.
Diluvianistæ 183.
Distinctio virtualis in Deo 51.
Dona Dei in prædestinatione et executione 101 — dona Protoparentibus collata 234.
Dualistæ 39.

E

Electorum numerus 108.
Esse divinum et esse universale 37 — Deus est ipsum esse 31, 33, 135.
Essentia Dei 17 — metaphisica 19 — quomodo a nobis cognoscitur 21-28.
Essentia, natura, substantia 124.
Eunomiani 18.
Evæ origo quoad corpus 205.
Existentia Dei: certo cognoscibilis 5 — demonstrabilis 7 — non ignoratur invincibiliter 9 — num possit simul sciri et credi 10 — non immediate nota 11 — non datur idea Dei innata 11 — non a priori 11 — vel quasi a priori 11 — non per se nota quoad nos 13 — probatur a posteriori 14 — tres classes argumentorum 14 — quinque viæ S. Thomæ 14 — nostra idea Dei non est falsa 26.

F

Finis mundi gloria Dei 175.
Froschammer 13, 137, 211.
Futura 73, 78.
Futuribilia 74, 78.

G

Gaudry 184.
Gemelli 184.
Generatio 141 — Filius a Patre procedit per generationem 143.
Generationismus 209.
Generis hum. unitas et antiquitas 206.
Gilbertus Porretanus 44.
Gioberti 4.
Gnostici 39.
Gottescalcus 99.
Gratia sanctific. et cetera dona Protoparent. erant indebita 234.
Günther 126, 137, 200.

H

Hermes 171.
Hexæmeron Mosaici præcipuæ interpretationes 226.
Hierarchia cœlestis 221.
Homo constat tantum ex corpore et anima rationali 201 — est una persona et natura 202 — eius origo quoad corpus 204 — theoria transformismi absol. 207 — eius origo quoad animam 209.
Hummelauer 183, 184.
Hypnotismus 222.
Hypostasis seu suppositum 124.

I

Ianssens 184.
Immanentistæ 4.
Immensitas 47, 60.
Immortalitas et impassibilitas Protop. 231.

Immutabilitas 45, 54.
Infantium salus æterna 97.
Infestatio dæmoniaca 222.
Infinitas Dei 34.
Infralapsarii 90.
Integritatis donum 231.
Ioachimus Abbas 44, 126.

K

Kant 3.
Klee 11, 211.
Knabenbauer 184.

L

Lagrange 183.
Lamennais 4.
Laurent 183.
Leibnitz 12.
Le Roy 3, 184.
Liber vitæ 108.
Libertas divina 85.
Libertas humana et præscientia Dei 79.
Littré 4.
Liturgismus 183.
Loco adesse circumscriptive 47.
Lovanienses 4.
Lullus R. 137.

M

Magia 222.
Maimonides 33.
Malum physicum et morale 83.
Mamertus Claudianus 137.
Manichæi 39.
Manzoni Cæsar: citatur eius *Compendium theol. dogm.*
Mastrofinius 138.
Mazzella Horatius: adducuntur Prælectiones scholastico-dogm. ed. 4ª
Meignan 183.
Michelis 183.
Missio personarum divin. 166.
Mivart 184, 204.
Modalistæ 126.
Modernistæ 171.
Molina, Molinistæ 65, 78.
Monismus 38.
Mysterium SS. Trinitatis 137, 139.

N

Naturæ puræ status possibilis 236.
Neo-thomistæ 91.
Neo-critici 4.
Nicolas 137.
Nomina Dei 32.
Nominales 31.
Notionis in Divinis 164.

O

Omnipotentia Dei 113.
Ontologi 4, 11, 21, 36, 38, 170.
Ordo supernaturalis 213-226.
Originale peccatum 237 — eius transfusio 239, 245 — natura 240-244 — non repugnat divinæ bonitati 246 — eius sequelæ 247.
Origo in divinis 141, 145.

P

Palamitæ 44.
Palmieri 171, 172, 183.
Pantheistæ 20, 36, — Pantheismus refellitur 38.
Patripassiani 126.
Peccata fieri Deus permittit 83.
Peccatum originale 237 — Primi Parentes graviter peccarunt 238 *(cf. originale).*
Pecci 78.
Perfectiones rerum in Deo 23, 34 — Deus est omniperfectus 34.
Perichoresis seu circuminsessio 165
Persona 124.
Pesch Christ.: citatur *Prælectiones Dogm. ed. 3ª.*
Pesch Til. 184.
Philoponus 126.
Photinus 126.

Pianciani 183.
Pneumatomachi 126.
Poligenistæ 205.
Poliphylogenesis 184.
Polytheismus 20.
Possibilia 71.
Postlapsarii 98.
Præadamitæ 206.
Prædestinatiani 99.
Prædestinatio 91, 93 — dona Dei in prædestinatione 101 — prædest. ad gratiam 104 — ad gloriam 105 — ad gratiam et ad gloriam 106 — signa prædest. 108 — numerus prædest. 108 — fac ut prædestineris 93.
Præexistentianismus 209.
Præscientia Dei et libertas humana 79.
Præsciti 94, 108.
Præsens est Deus per essentiam, præsentiam, potentiam 63 — ratio formalis præsentiæ divinæ 63
Principium causalitatis 4, 16.
Processiones divinæ 140, 164 — Filius a Patre procedit per generationem 143 — Spiritus S. non generatur et procedit a Patre Filioque 147, 156 — duæ tantum processiones div. 155, 164
Protoparentes etiam quoad corpus ab ipso Deo immediate conditi sunt 205 — in gratia constituti 230 — an. creati 229 — ornati donis integritatis, scientiæ, immortalitatis, impassibilitatis 231 — hæc dona erant connexa cum gratia 232 — et collata humanæ naturæ 233 — omnia indebita 234 — Protop. graviter peccarunt 238.
Providentia divina 186.

R

Reid 4.
Relatio 125 — relationes divinæ 159
Remer V. citantur eius *Prælectiones Philosophiæ*.
Reprobatio 90 — repr. positiva, negativa 98–100.
Reusch 183.
Rosminius 18, 21, 36, 38, 65, 137, 170, 200, 211, 214, 242.

S

Salus infantium et adultorum 97.
Sabelliani 126, 135.
Sanctitas ipsa est Deus 111.
Schiffini 44.
Schleiermacher 4.
Scientia Dei 65, 67 — de modo quo Deus alia a se cognoscit 77 — Scientia Protoparentum 231.
Semiariani 135.
Sentimentalistæ 4.
Simplicitas Dei 44, 49.
Sociniani 126.
Spencer 4.
Spiratio 153, 164.
Spiritus S. non generatur et procedit a Patre Filioque 147, 150, 156 — a Patre per Filium 148 — secundum operationem voluntatis 153 — quorumnam obiectorum dilectione? 158.
Status puræ naturæ est possibilis 236.
Staudenmajer 11.
Subiectivistæ 4, 15.
Supernaturale: notio, divisio, falsæ definitiones 213–216.
Suppositum 124.
Supralapsarii 90.

T

Tanquerey A. citatur eius *Synopsis theol. dog.* ed 8ª.
Tempus, ævum, æternitas 46.
Theodotus 126.
Thomassin 11.
Tomistæ 65, 78.

Traducianismus seu generationismus 209.
Traditionalistæ 3, 8.
Transformismus absolutus, mitigatus 184 — theoria transf. absoluti de hominis origine 207 — confutatio 208.
Trias et Trinitas 123, 138.
Trichotomia 200.
Trinitas SS., conceptus 125 — errores 126 — veritas probatur 128 — in V. T. 130 — probatur ex N. T. 131 — ex Traditione 134 — est mysterium proprie dictum 137 — non contra rationem 139 — imago Trin. in spiritu creato 154.
Tritheitæ 126.

U

Ubaghs 4.
Unitarii 126.
Unitas generis h. 206.
Unus est Deus 39.

V

Ventura 4.
Verbum a Patre procedit per generationem 143 — secundum intellectionem 152 — quorumnam obiectorum? 157.
Veritas ipsa Deus est 80.
Vigouroux 183.
Vilia a Deo cognoscuntur 76.
Visio Dei in vita præsenti et futura 21, 29, 30 — per sensum 28.
Viventium origo 184.
Voluntas divina 81 — obiectum 82 — vol. salvifica 86 — huius divisiones 87, 88 — Deus vult omnes salvos 95 — infantes et adultos 97.

Z-W

Zahm 184.
Wasmann 184.
Westermayer 183.
Wiseman 183.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751.S214 C001 V002
INSTITUTIONES POSITIVO-SCHOLASTICAE THOL
3 0311 00042 9022

WITHDRAWN

43949

BX
1751
.S214
V.2

43949

AUTHOR Sala, Fridericus

TITLE INSTITUTIONES POSITIVO-SCHOLASTICAE THEOLOGIAE DOGMATICAE

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIIS THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

3 0311